



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Ordinis Minorum, S. R. E. Cardinalis,  
Episcopi Albanensis, Seraphici Doctoris Ecclesiae, De Vita  
S. Patris Francisci, Liber I.**

**Bonaventura <Sanctus>**

**Antverpiæ, 1597**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41460**




Th. 2333.

K III

~~7~~ 30

ca. 1711





SANCTI  
BONAVENTURÆ

Ordinis Minorum,  
S. R. E. CARDINALIS,  
EPISCOPI ALBANENSIS,  
Seraphici Doctoris Ecclesiæ,  
DE VITA S. PATRIS FRANCISCI,  
LIBER I.

*Ad veteres libros, F. HENRICVS SEDVLIVS  
Ordinis Minorum, recensuit, &  
Commentario illustravit.*

*Liber Collegij Societatis Iesv, Paderbornæ*



ANTVERPIÆ,  
EX OFFICINA PLANTINIANA,  
Apud Ioannem Moretum.

M. D. XCVII.  
*Cum Gratia & Privilegio.*

WOLFFENBUTEL

AN DER UNIVERSITÄT  
VON WOLFFENBUTEL  
BIBLIOTHEK

DEUTSCHEN  
BIBLIOTHEK



UNIVERSITÄT  
VON WOLFFENBUTEL  
BIBLIOTHEK

SERENISS. PRINCIPI  
ALBERTO,

S. R. E. CARDINALI,

*Archiepiscopo Toletano, Archiduci  
Austria, Belgica Proregi, Impera-  
toris Filio, Imperatoris Fratri,*

F. HENRICVS SEDVLIVS D.D.



ELIBERANDVM mihi  
diu non fuit, maxime  
Princeps, vtrum ad te  
deferrem libellũ hunc,  
quem intimo meo vo-  
to, magno tuo nomini, æternumque  
victuro, libens meritò donavi, dedi-  
caui. Multa me iure mouent. In pri-  
mis, exemplum Sancti Patris Fran-  
cisci, quem sequor. tum etiam maxi-  
ma in Ordinem nostrum beneficia, &  
immortalia merita, inclutæ Austria-  
cæ gentis; cui proprium laborare, vti  
illi quàm plurimi debeant. Sancto  
Francisco decretissimum fuit, iam in-

\* 2

de



de ab initio, & in omne æuum, Ordini suo, aliquem S. R. E. Cardinalem legi, & à Summo Pontifice constitui Protectorem: quo, velut columnâ, subnixus stare queat, & confirmari. Hoc exemplo, ego (cum bonâ veniâ) Historiæ vitæ eius, piè & grauitè à Sancto Bonauenturâ, etiã S. R. E. Cardinale, conscriptæ, Commentario nostro illustratæ, te Cardinalem (quo post natam dignitatem illam, in eâ nemo maior exstitit) elegi Tutorem & Patronum, qui partû hunc infirmum, auctoritatis tuæ clypeo tegas, contra maligni liuoris dentem. Id vt sperem, & satis confidam, facit eximia benignitas tua, tuorumque Maiorum, aduersus Seraphicum Ordinẽ nostrum, quam recensebo in parte. Maximilianus Primus Imperator, atauus tuus, maiorum nostrorum memoriã quã benignè iuuerit, & stabilierit, iam tum laborantem & titubantem familiam nostram

nostram Instituti de Obseruantia, archiua nostra testantur. Ferdinandus Imperator auus tuus, magnificum cœnobium exædificatum Oeniponte, fratribus nostris adsignauit: sumptibus suis aluit, liberaliter hodieque aluntur. Ferdinandus Archidux Austriæ, Ferdinandi Imperatoris Filius, Patruus tuus, pius Princeps, ex omnibus monasteriis nostri Instituti, in Rhætiâ, Norico, & Sueuiâ, quâ erant ditiones eius, auctoritate S. D. Gregorij XIII. Prouinciam Tirolensem, operâ meâ instituit, azylum, tutumque aliquando perfugium, me etiam duce, fratribus nostris, per arma rebellia, dirumque furorem bellorum, superioribus annis, è Belgicâ profligatis. Quid dicam de sorore tuâ Margarita? Ipsa profapiâ suâ generosior, & generis celsitudinem superans, Ordini sanctę Clare, (quem Secundum instituit Sanctus Franciscus) pauperi, & mendico

dico se addixit, & professione perpetuum obligauit. O præclarum & rarum exemplum in virgine Regina! Adeste animi contemptores. videte tumiduli, à scientiâ, nobilitate, potentiâ: vos, illos Ordines, talibus margaritis decoratos contemptum itis? desinite, cum illam videtis sublimes thoros, potentia regna, superba sceptrâ, Christi cælestis amore Regis, pro nihilo putare. Summum verticem conscendit: omnia sub se, quæ pro excelsissimis habentur, despexit. *Inuentâ unâ pretiosâ margaritâ, abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.* Verè suo isto dignissima nomine: è tot Augustis Imperatoribus orta, ipsa Filia Imperatoris & soror, alium talem vnionem non habet indiscretum. Ad hæc, Serenissime, eius, tuique Germani Fratris, Rodolphi Imperatoris Secundi; Philippi item secundi, Hispaniarum Regis Catholici, auunculi tui,  
cali-

calidum adfectum in Ordinem Minorum, testantur; illius, Germani, Bohemi, Vngari, & quâ Imperium eius; huius pænè reliquus orbis Christianus. Publica hæc, & maxima Austriorum Principum nomina, quid? vile opusculum hoc? immo verò totū Ordinem nostrum, quātus, quantus est, meritissimò vindicant sibi. Sed est & alia ratio, quæ me tangit: quia meos, germanos, Ianum & Casparem, Sedulios Fratres, mihi ipso me cariores. A funestâ cæde Curlandorum, ante annos amplius viginti, à Moscis ipsi capti: Moscâ barbariâ,

— exerciti

*Labore multo, & vincto nigri carceris.*  
Illos Maximilianus Secundus Cæsar Augustus, Pater tuus, sibi propriâ benivolentiâ, & humanitate in bonos & doctos; cuius (teste æui nostri maximo viro) una Viennensis Aula plures eruditos habuit, quàm aliorum tota regna;

\* 4

acci-

accitos, sibi asseruit, & libertati: & honoribus augens, par illud dulce fratrum, egregios Vates, isthoc titulo, suo carmine nobilitauit,

*Nomen ab insigni sedulitate gerunt.*  
cum

*Apollinari Laureâ coronati*

*Ambo, ipsius sacrâ Imperatoris manu,*  
Decessit vterque properato publico sine generis humani, luctu multorû, apud meliores mentes sui desiderio relicto. Nullum dubium; si datum fuisset illis producere vitam: gratiam Magno Imperatori, cui largiter debebant, habuissent, beneficij & honoris accepti. Quod illi non potuerunt, inuidâ morte; ego nomina illorum, quia Frater, expedio: & in parte, hoc posthumo litterario munere, soluo Parenti, quia Filio. Vides Princeps Serenissime, quot mihi causæ, quicquid hoc est operis, nomini tuo, dedicandi dicam? veriùs splendore nominis tui illustran-

lustrandi. Ita visum mihi, auitâ, & ingenitâ tibi benignitate freto, Carbunculo hoc, in ipsis tenebris lucete, frontispicium eius adornare: vt scriptio per se obscura; resplendeat tuâ luce. Supplex oro Summum Deum, te in purpurâ radiantem, & summo fastigio positum, inter has bellorum flâmas, instar Carbunculi, (cuius hoc ingenium) ignem non sentire: sed alto animo & excelso, Austriaco, ad res labentes, lapsasque restituendum fatali; constantiâ forti, salubri consilio, restinguere & reprimere; prudenter gubernare huius laceri nauigij clauum, in his turbulentis tempestatibus; diu incolumem perennare, Religioni, Patriæ, publico bono.

\* 5

AD

AD REVERENDISSIMUM  
PATREM, F. BONAVENTURAM  
à Calatagironâ, Ordinis Seraphici Mi-  
nistrum Generalem,



*S*PE voluere soleo cum ani-  
mo meo, Pater Reuerendis-  
sime, quâ viâ ac ratione, Or-  
dinis Seraphici candidatus,  
felicitis illius & florentis inity puritatem,  
& sanctimoniam sequi possit, & assequi.  
Hæc cogitanti subiit illud oraculum di-  
uinum, Attēdite ad petram vnde ex-  
cisi estis: & ad cauernam laci de quâ  
præcisi estis. Attendite ad Abraham  
patrem vestrum: & ad Saram quæ pe-  
perit vos. Quemadmodum hic Iudæi  
monentur, communes spectare parentes,  
virtutes emulari: ita nobis præscriptum  
arbitror, Inspice, & fac secundum  
exemplar, quod tibi in monte mon-  
stratum est. Habemus Christum Sal-  
uatorem, in monte Caluarie, pro sa-  
lute

<sup>1</sup>Isaia 51.1.

<sup>1</sup>Exo. 25.40.

lut e nostrâ crucifixum: quem purâ fide  
inspèctantes, à noxiorum serpētum mor-  
sibus sanāmur, & reparāmur saluti.  
Habemus item illud Ecclesie delictum,  
diuum Franciscum, in monte Lauernâ,  
omnibus saeculis inaudito prodigio, sacris  
stigmatibus, velut signo Dei viui, insti-  
gnitum: quem si piè intuemur, quid  
agendum sit nobis, apertè docemur. Pa-  
ter sequendus est, & Regula institutum:  
mater nostra, qua diuiniore partione nos  
genuit, audienda. Scilicet, <sup>Sen. ep. 11.</sup> Opus est ali-  
quo, ad quem mores nostri, se ipsi eri-  
gant. Nisi ad regulam, praua non cor-  
riges. Elegimus nobis in patrem San-  
ctum Franciscum; regulam ab illo præ-  
scriptam prendimus: ad illam, totam vi-  
tam exaquemus oportet. ut fiat; sancti-  
tudinē Patris ante nos semper feramus:  
illum nobis semper ostendentes vel custo-  
dem, vel exemplum. ubi ille custos nobis  
fuerit, & pedagogus, magna peccatorum  
pars tolletur, calcar etiā subdetur ad  
vir-



<sup>Idem cp. 5.</sup> *virtutem.* Sed pars virtutis disciplinâ  
constat, pars exercitatione: & discas  
oportet; & quod didicisti agēdo con-  
<sup>Isaia 7. 16.</sup> firmes. *Audi Vatem Evangelicum,* Dis-  
cite benefacere. *Discenda virtus est:*  
<sup>Aug. 4. c. 10.</sup> *quia ars.* & ars bene recteq; viuendi,  
virtus à veteribus definita est. *Itaque*  
*sicut bellator sine armis, & usu esse non*  
*potest: ita nec sine exercitatione virtus,*  
*discendi, agēdiq;.* At quod ignoras, haud  
*imitabere: ut possis; inspicere & discere.*  
*Quamobrem saniorū consilium est, cot-*  
*tidie attendere ad patrem nostrum; ad*  
*matrem qua peperit nos: hoc est, Ordinis*  
*institutum obseruare, sanctitatem pater-*  
*nam inspicere & imitari, qua in historiâ*  
*vitæ eius nobis præscribitur. Plena illa*  
*salutarium admonitionum; quas velut*  
*medicamentorum vtilium compositiones,*  
*efficaces in vulneribus nostris experie-*  
*mur. Serpere saltem desinent, et sinōdum*  
*persanantur. Sumatur igitur in manus*  
*Minoritarū, historia vitæ Patris Mino-*  
*rum:*

rum: nec adspiciatur modo, sed inspiciatur. En purior illa prodit, & castigatior. Tu Reuerēdisime Pater, ut facis, prae, & sterne hanc viam: patrem sequentur filij. tange hanc proiectam expositamque prolem. tolle: ceteri tollēt. Res ipsa postulat. tum etiam tibi cognominis operis auctor, in cuius locum Bonā fortunā, successisti. In quo caput nullū, paragraphus nullus, quod vitia non minuat, augeat virtutes. Degeneravit aliquis ab auitā pietate? inspiciat, & faciat secundum propositum exemplar. Deferbuit maiorum calor? accedat ad hunc ignem: recalescet. Ut aurea solis avis, iam senescens, thure, castiā, odoribus extracto nido immoritur, & mox reuiuiscit: sic quisquis hoc templum, omnium virtutum floribus odoratum frequentauerit, vitiiis morietur, ad pristinam & auitam sanctimoniam illico reformandus.

F. I A.

F. Iacobi de Hertoghe Minoritæ  
Carmen ad Lectorem.



*Vi cupis insignem Francisci noscere vitam,  
Quam Doctor olim cōdidit Seraphicus:  
En tibi Seduly scriptis lustrator exit,  
Abstrusa passim multa recludentibus.  
Si placet, hinc duplici poteris ditescere fructu,  
Nec penitendus hic eris labor tibi.  
Sub Patre Francisco planè aurea sæcla videbis,  
Nascentis & statum reductum Ecclesie.  
Nemo suum quicquam tunc diceret, omnia cunctis  
Cælestis ardor fecerat communia.  
Agmina pacifico ductore merentia cernes,  
Canemq; stygium fortiter prementia.  
Hunc igitur librum dum mente, oculisq; reuoluū,  
Quæso, benignus esto, lector, arbiter.*

BENI-

## BENIVOLO LECTORI.

**H**ISTORIA vitæ Sancti Patris Francisci, benigne lector, auctore S. Bonauenturâ, frequenter mihi in manibus est: & vt sentio, non sine fructu. Siue enim doctrinâ quæro pietatis; multa inuenio, quæ ad Sapientiam illâ paucis notam, me perducant: siue operis auctorem considero; hic æquè animum meum ad virtutem inflamat. ad mores, ad vitam ex Regulæ Seraphicæ præscripto instituendam, nihil vnquam scriptum præclarior. Sed cum viderem omnia mendis vitata; tum etiã vix exstare exemplaria, formâ commodiori, quæ in manibus versentur: curæ meæ & cogitationes (tantisper dum, benignitate Prælatorum, quos Christi loco colimus, procul à munere, in otio bono, seposito in hæc studia, apud me mihi licuit esse) in hoc euigilaerunt, vt diligenter piissima historia nostri Patris repurgata, ac pura à vitiis, puram auderet adspicere lucem. Nam recensui ad veteres pluresque libros, etiam manuscriptos; denique ad exemplar Romanum, quod nuper cum vniuersis operibus S. Bonauenturæ, iussu Sixti Quinti Pont. Max. operâ Cardinalis Sarnani, eleganter in primis & adcuratè correctis, aptoquæ ordine singulis dispositis, prodiitè Typographiâ Vaticanâ. Sordibus & senectâ detractis, feci nouiorem, melioremque. Tui gratiâ & fastidij vitandi; longiora capita subdividinxi in paragraphos: additis ad oram locis Scriptorum quæ citantur; & notulis inter se connexis, in quibus semper breuiculus historiæ totius. Notas vberiores subiunxi: in quibus multa non pænitenda, & pleraque hætenus vulgo non nota; quas

quas

quas iure Commentarium indigito : quodd multa  
variè conquisita ab auctoribus bonis , in vnum  
conduxit, iucunda lectu, vtilia factu. De stilo, pie-  
tatis studioso non valdè laborandum : id æuum  
auctoris ita ferebat, res magis Sapientiæ tractans,  
quàm verba. Nec enim illi beati comendæ gratiã  
linguæ scripserunt, sed vitæ ornandæ. Tu igitur  
(quod scribit temporis nostri vnicus Phœnix) *mi-  
litis illius rusticuli exemplo, qui in pradâ Persicâ, cum  
sacculum purpureum margaritis plenum repperisset,  
ipsas vt vilēs calculos abiectit, illum, colore delectatus,  
seruauit ; nequaquam facies, verba ante facta po-  
siturus : sciens magis reconditas virtutis gemmas  
excerpendas esse. De ratione meæ scriptionis, dixi  
initio Commentarij mei, & in fine. Hoc tantum  
addo, conscientia mei me subnixum, & conten-  
tum, indicio & amore veri nonnulla me posuisse,  
nullum tangere voluisse : quod tamen si quis in-  
terpretari volet & suspicari, is morbo laborat, non  
re, sed prauâ opinione. prodibunt aliquando, Dei  
gratiã, vitã comite, historiæ reliquæ historiæ San-  
ctorum, qui ex tribus Ordinibus sancti Francisci,  
relati sunt inter Diuos ; huic fini, *Deo in honorem,  
illis in splendorem, nobis in fructum.* At hunc pri-  
mum ingenioli mei factum, velut exploratorem  
emitto : & si nulli, aut pauci hostes, fidenter reli-  
quos. *Sin laquei, & insidie : quiescam, & tenebo me  
iure in fidis silentij castris.* Sed nunc præmitto com-  
pluria magnorum virorum*

ELO-

# ELOGIA

## In Sanctum Patrem Franciscum,

Anno à  
Christo  
nato  
xcvij.

A. 60. cc.  
LXXIV.  
vixit.

*S. Joannes Apostolus & Euangelista*

**E**T vidi alterum Angelum, ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui. *Apocal. 7. 2.*

*S. Bonaventura S. R. E. Cardinalis, Seraphicus  
Ecclesia Doctor.*

Beatus Franciscus, sancti Apostoli & Euangelistæ S. Fran-  
ciscus à  
beato To-  
anne Apo-  
stolo præ-  
nunciatus vaticinatione veridicâ, sub similitudine Angeli ascendentis ab ortu solis, signumque Dei viui habentis, adfruitur non immeritò designatus. *Prolog. in vitam sancti Francis. §. 2. & cap. 13. §. 11.*

60. cc.  
xcix. clā  
vixit.

*Bartholomæus Pisanus Ordinis Minorum.*

*S. Theologia Doctor.*

*Sanctus Bonaventura, dum esset Ordinis Seraphici Minister Generalis; & in conuentu S. Mariae de Portiuncula conuocaturus de S. Francisco: locum illum Apocalypsis, Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui; animo attento considerans, Deum supplex rogabat, vt indicaret sibi, de quo intelligendus esset. Mox è calo oraculum audiuit huiusmodi; Frater Bonaventura, figura illa litteraliter dicta est de beato Francisco. Conformitate fruct. 1. & 31.*

Id diuinitus indicat S. Bonavent.

60. cccc.  
XLIIII.  
obiit.

*S. Bernardinus à Senis Ordinis Minorum.*

Meritò ergò Apocalypsis septimo, in apertione sexti sigilli, à Ioanne Euangelistâ, beatus Franciscus habere sic sacra stigmata descriptus est, cum ait, Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui. *De Euangel. aeterno, Serm. 60. de Stigmatib. S. Franc.*

*Indidem.*

Huic sententiæ attestatur assertio, quam fecit dominus Bonaventura in Capitulo Generali Parisiis celebrato, cum esset nostri Ordinis Generalis Minister. Nam prædicans in ipso Capitulo, cum maximo furore asseruit, se certissimè scire per reuelationes indu-

\*\*

bita-

bitabiles, & solennes factas talibus personis, quæ de hoc non poterant dubitare, quòd beatus Franciscus erat singulariter Angelus sexti signaculi: & quòd ad litteram de ipso, atque illius statu, & Ordine intellexit Euangelista Ioannes, atque in spiritu eum vidit, quando protulit dicta verba. nec non & filiorum suorum perfectè imitantium Christum, collegium, in omnibus senariis libri Apocalypsis, clariùs intellexit. *De Euang. atern. Ser. 60. c. 1. §. 7.*

*Apostolus  
etiam de  
illius in-  
finito va-  
tate, natum*

*Bernardinus à Buis Ordinis Minorum.*

Est autem sciendum, quòd B. Franciscus fuit à Deo directus in mundum, ad instituendum tres Ordines, in apertione sexti sigilli, ut ait S. Bonaventura in prologo maioris legendæ ipsius B. Francisci; quod demonstravit Ioannes Euangelista Apocalypsis sexto, & septimo, ubi ait, quòd in apertione sexti sigilli, fuit à Deo missus Angelus, id est, angelicus vir Franciscus, habens signum Dei viui, id est, stigmata Iesu Christi. Et ipse Dominus Iesus reuelavit sancto Bonaventuræ, quòd B. Ioannes nò intellexit in prædictâ prophetiâ de alio, quàm de Sancto Francisco. & hoc affirmavit ipse Sanctus Bonaventura legens Parisiis, & iuravit sic esse veritatem. *Rosarij par. 2. Sermon. 27. par. 2. §. b.*

*S. Bonaventura  
iuravit  
ut hoc  
sibi in-  
casum.*

*Leo Papa X.*

Ad vineam suam excolendam, primo manè oriente iam sole, misit ipse Paterfamilias Angelum illum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui, beatum Franciscum: qui comitantibus miræ sanctitatis viris, prima vitis huius iecere fundamenta. *Apud Gonzagam par. 1. de Origine Seraph. relig. in Bullâ vnionis. cuius instium: Ite & vos in vineam meam.*

*Iacobus à Voragine, Ordinis Sancti Dominici  
Episcopus Ianuensis.*

*Alter  
Angelus  
S. Fran-  
ciscus.*

Christus ante primum aduentum, qui erat misericordix, præmisit Angelum, scilicet beatum Ioannem Baptistam: ante verò secundum aduentum suæ iustitiæ, præmisit alterum Angelum, scilicet B. Franciscum. *Serm. 2. de S. Franc.*

∞. cccc.  
LXX.  
floruit.

§. 2.

A. ∞. 15.  
XVII.  
Mat. 20  
1.

∞. cccc.  
floruit.

Mat. 13  
10.

*S. Ber-*

*S Bernardinus à Senis, Ordinis Minorum.*

Præcesserat ante S. Franciscum angelicus vir, gloriosus Dominicus, in angelicâ vitâ pariter & doctrinâ: beatus enim Franciscus est alter angelus in regulâ & in personâ, sed idem in caritate, & fide, atque vitâ. qui propter facta angelus nuncupatur: tum propter eius angelicam vitam; tum quia Dei nūcius fuit, ad renouandum in mundo Euangelium Christi. *De Euangel. aeterno, Serm. 60. in initio.*

*Ibidem.*

Ascendit ab ortu solis: quia sui ascensus initium, <sup>Ascendit ab ortu solis.</sup> & fundamentum incepit à Romanâ sede, quæ inter quinque Patriarchales Ecclesias principalis est, Sedes & ciuitas veri Solis, scilicet Christi, & fidei eius. vel sic; Ab ortu solis ascendit: quoniam per diuinæ sapientiæ exemplum, prædicationem, & sensum, cum suo Ordine, mundum irradiauit. Sicut enim Apocalypsis sexto, obscuratio solis, diuinæ sapientiæ subtractionem in mūdo, significat, per quam generalis ruina statuum, & personarum, & Ecclesiarum, surgit: sic etiam ortus solis, diuinæ sapientiæ illustrationem significat, quæ in sexto Ecclesiæ statu in Mendicantibus ortum sumpsit, & creuit. Proinde Bonauentura in Illuminationibus suis, vocat prædictum tempus, Tempus illuminationis Scripturarum: quòd hoc tempore mirabilius declaratae sunt à doctoribus Ordinum prædictorum.

*Iacobus à Voragine, Ordinis S. Dominici, Episcopus Ianuensis.*

Venit enim S. Franciscus portans secum tres radios; scilicet, radium doctrinarum, per quem illuminauit obscuros. radium exemplorum, per quem inflammauit tepidos. & radium miraculorū, per quem conuertit obstinatos. Ipse enim excussit ignorantiam in erroneis, radio doctrinarum. negligentiam in tepidis, radio exemplorum. & duritiam in obstinatis, radio miraculorum. *Serm. 2. de S. Francisco.*

\*\* 2

Henri-



## ELOGIA

*Henricus ab Vrimariâ, Ordinis Eremitarum.**S. Augustini.*ccxi  
xli.

Ipse enim habuit tres radios, quibus totum mundum illuminavit: quia radio doctrinæ illuminavit obscuros. radio beatorum exemplorum excitavit tepidos. & radio miraculorum illustravit & conuertit obstinatos. Et idem de ipso verificatur quod scribitur in Ecclesiastico, Tripliciter Sol exurens montes, radios igneos exsufflans, & refulgens. Nam radio doctrinæ fugauit ignorantiam. radio exemplorum in tepidis fugauit negligentiam. & radio miraculorum fugauit obstinationem & duriciam. *Ser. 3. de S. Francisco.*

Cap. 43. 4

*Iacobus à Voragine, Ordinis S. Dominici,**Episcopus Ianuensis.*Habes si-  
gnum Dei  
viri.

Habentem signum Dei viui. Istud signum portauit in corde, per amoris vulnerationem. in corpore, per macerationem. in parte, per stigmatum impressionem. *Sermon. 2. de S. Francisco.*

*Henricus ab Vrimariâ, Ordinis Eremitarum**S. Augustini.*Stigmata  
terre  
quinque.

Per hoc enim conformabatur Deo viuo, quod stigmata Iesu Christi per biennium in corpore proprio portauit. quæ bene erant signum Dei viui: quia per hæc Christus ostendit discipulis, se verè viuere post passionem suam, cum diceret: Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum. quod quidem signum Dei, in hoc euidenter apparuit, quod beatus Franciscus fuit sigillatus bullâ Summi Põtificis, & cõsignatus vexillo, & caractere summi regis, per impressionem deifici stigmatis. *Sermon. 3. de S. Franc.*

Luc. 24  
34*S. Bernardinus à Senis, Ordinis Minorum.*Ab ipso  
Christo  
quod in  
sarbente.

Nec tantum in specie Seraphicâ [Christus] illi apparere debuit, sed veluti cruci affixus: vt aperte innueretur, quod non cælestis spiritus illa stigmata imprimebat, sed ille, qui pro nostrâ salute crucifixus est, atque ex Seraphico ardore cordis eius, Christum in crucifixi similitudinem transformabat. *De Euan. ater.*

*Ser. 60. Art. 1. Cap. 1.*

Indi-

Nec recolo me legisse, nec repperisse aliquid aliud immediate fabricatum à manibus Iesu Christi, quod ab Ecclesiâ fuerit approbatum, nisi hos clauos, & stigmata hæc sacra. *Art. 2. cap. 3.*

A. 100. 13.

Pelbartus à Themesswar, Ordinis Minorum.

Signum magnum & singulare, omni veneratione dignum: utpote digito Dei viui descripta imago crucifixi, non in tabulis lapideis, sed carnis, hoc est, in corpore beati Francisci. Si enim Iudæi venerantur Moſen, & tabulas eius lapideas, in quibus digito Dei, vel ministerio angelico descripta erant præcepta Decalogi: quanto magis debemus nos venerari beatum Franciscum, in cuius carne ipse Christus tam mirabiliter descripsit suorum vulnerum imaginem, ad salutarem vtilitatem totius Ecclesiæ? *Serm. 2. de S. Francis.*

*Qui prædigitorie stigmatibus illorum, & clauorum fabricator*

Exodi  
34. 30.  
2 Cor.  
3. 8.

A. 100. cc.

LXI.

diuicissit.

Hæc igitur mira & decora nouæ demonstrationis indicia, magnæ debent esse deuotioni; diuinitæ Christianis; & inestimabiles Religionis deliciae, in spiritualibus conuiuuiis Ecclesiæ Orthodoxæ. *In Bullâ de Stigmatibus S. Franc. cui initium; Benigna diuinæ operatio voluntatis. in firmam. irium Ordin. par. 2.*

Dionysius à Rijkel, Ordinis Carthusiani.

100. cccc.

LX.

Gal. 6.

17.

Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto. Hæc verba S. Paulus in propria dixit personâ ad litteram, quæ excellentissimo Confessori, beatissimo Patri Francisco valdè sublimiter competunt: quoniâ quinque vulnerum Christi impressuras, seu stigmata, quæ erant realiter vera vulnera, in suo corpore accepit ac tulit. *Serm. de S. Francisco.*

*Stigmata illa quinque, vulnera fuerunt*

100. cccc.

LX.

Robertus Licio, Ordinis Minorum,

Episcopus Aquinatis.

Stigmata S. Francisci fuerunt miraculosa, ratione vitæ. Non enim potuisset per naturam viuere duobus annis, plagatus in quinque locis spasmosis, ex quibus continuo fluebat sanguis, cum dolore vehementissimo, non solum corporis, sed & cordis, ex memoriâ

*Sanguine manantis semper.*

\*\* 3

passio-

passionis Dominica. Neque vsus est pro toto tempore illo, aliquo vngueto vel medicinâ: sed tantum panis restringebat sanguinem emanantem, quem sextâ feriâ liberè prodire sinebat. Et quod miraculum auget, erant illæ plagæ odore fragrantissimæ: ex quibus nulla vnuquam putredo, aut immunditia profluxit. *Serm. de stigmatib. S. Franc. cap. 2.*

*Ioachim Abbas Florensis, Ordinis S. Benedicti.*

*S. Franc.  
antè verâ  
formâ des-  
criptus,  
quomodo  
natus.*

Prænuñciauit beatum Franciscum venturum, verbo non solum, sed etiam opere: quia cum depingi fecit in Ecclesia S. Marci Venetiis super ostiū sacristiæ, cum stigmatibus; sicut ternentibus hodiernâ die apparet, & hoc, opere musaico. *Testatur Barptolom. Pisan. Conform. fruct. 1. Robert. à Lucio Serm. de Tribus excellentiis B. Franc. cap. 1. Gulhelmus Pepin Ordinis S. Dominici attestatur, vnâ cū S. Francisco, etiam S. Dominicum depictum ab eo esse. Et subiungit, Nota quod prædictus Abbas præcesserit prædictos duos Sanctos, per annos centum, aut paulò plus. Serm. de S. Francisco.*

oo. cc.  
x. l.

*Iacobus à Voragine, Ordinis S. Dominici,  
Episcopus Iannensis.*

Christus dedit beato Francisco stigmata, tamquam arma sua, vexilla sua, & testimonia sua: ipse namque erat miles Christi, signifer Christi, legatus Christi, & præco Christi. *Serm. 1. de Stigmatib. S. Francisc. siue 3. de S. Francisc.*

*Alexander Papa IIII.*

*S. Franc.  
miles  
Christi.*

Extremo iam instante sæculi senectutis interitu, ostendit excessus regis, militem, regis militaribus insignitum: vt regis aciem iam labentem, iamque ab hostibus fugientem defenderet, & certamen victoriosum triumphatoris superni, verbis & actibus hostibus aggredientibus prædicaret. *Apud S. Bernardinum à Senis, de Euang. ater. Serm. 60. cap. 3. art. 1.*

*Henricus ab Vrimariâ, Ordinis Eremitarum  
S. Augustini.*

*Signifer  
Christi.*

Fuit enim miles & vexillifer ipsius Christi: & ideo præ-

IN S. FRANCISCVM.

præcessit aciem expeditorum militum, fratrum scilicet, suam vitam & Regulam sequentium, portans vexillum summi Regis, quo potestates aëreæ fugantur, & Christi milites in actibus bellicis confirmantur.

*Serm. 3. de S. Francisco.*

*S. Bernardinus à Senis, Ordinis Minorum.*

Tanto amore, tanto feruore, tantoque ardore transfornatus in crucifixum Iesum, vt miraculo omnibus inaudito faculis, benignitas Saluatoris in carne illius imprimeret similitudinem suæ sanctissimæ passionis: constituens eum vexilliferum in nouâ remuneratione crucifixionis eius. *De Euang. ater, Serm. 60. initio.*

*In Ecclesia militante.*

*Indidem.*

Sicut beatus Franciscus fuit vexillifer Iesu Christi in Ecclesiâ militante, sic post resurrectionem (secundum Doctores) remanentibus in corpore suo prædictis signis, vexillifer erit in Ecclesiâ triumphante.

*In Ecclesia triumphant.*

*Art. 2. cap. 3.*

*Robertus à Licio, Ordinis Minorum,*

*Episcopus Aquinatis.*

21. de  
ciu. Dei.  
20.

Nam sicut de martyribus refert B. Augustinus, quoddam resurgunt cum cicatricibus, quæ ad ornatu faciunt & decorem corporum, non ad aliquam deformitatem: ita pie tenere possumus, quoddam S. Franciscus cum illis signis, cum quibus ex hac vitâ discessit, ad vitam immortalem resurget. *Ser. de stigmatib. S. Franc.*

*cap. 2.*

er. cc.  
x. l. i.  
obit.

*Gregorius Papa IX.*

Caput draconis vltimum  
Vltorem ferens gladium,  
Aduersus Dei populum,  
Excitat bellum septimum.  
Contra caelum erigitur,  
Et nititur attrahere  
Maximam partem siderum,  
Ad damnatorum numerum.  
Verum de Christi latere  
Nouus legatus mittitur:

*Aduersum  
draconem  
fortiter  
pugnans.*

*Legatus  
In Christi.*

ELOGIA

In cuius sacro corpore  
 Vexillum crucis cernitur,  
 Franciscus princeps inclytus  
 Signum regale baiulat,  
 Et celebrat concilium  
 Per cuncta mundi climata,  
 Contra draconis schismata,  
 Acies trinas ordinat  
 Expeditorum militum:  
 Ad fugandum exercitum,  
 Et tres cateruas dæmonum,  
 Quas draco semper roborat.

*Apud Bartholom. Pisanum Conformitate fructus secundæ.*

*Iacobus à Voragine, Ordinis S. Dominici,  
 Episcopus Lanuensis.*

*Præco  
 Dei &  
 Christi.*

Quia erat præco Dei, dedit ei stigmata, tamquam  
 signa, vel testimonia sua: vt ab omnibus præco Dei  
 cognosceretur; & verba illius, quasi ex ore Dei reci-  
 perentur, *Serm. 3. de S. Francisco, qui primus est de Stigma-  
 tibus eius.*

*Philippus Diez, Ordinis Minorum.*

O si Deus nobis plurimos viros sanctos, spiritua-  
 lisque ac cælestis sapientiæ gnaros concederet: quan-  
 tam in animabus nostris operationem facerent! Vnus  
 olim concionator vniuersum mundum conuertebat:  
 nunc autem vix tot concionatorum prouentum ex-  
 perimur. Seraphicus Pater noster Franciscus tantâ  
 spiritus efficaciam dicitur prædicasse, vt aliquando con-  
 tingerit, finitâ concione, ad eum triginta viros habitum  
 eius petituros sese contulisse: quibus omnibus ipse  
 concessit. Et in quodâ Capitulo, quod in Sanctâ Ma-  
 riâ de Portiunculâ celebravit, tanto, tamque feruenti  
 spiritu, de mundi contemptu concionatus est, vt illo  
 sermone innumeri ad huius sanctæ religionis habi-  
 tum suscipiendum fuerint conuersi: peractâque con-  
 cione, ex illis, quingentos nouitios recepit. *Conc. 4. de  
 S. Francisco.*

co. 19.  
 LXXX.

*S. Anto-*

IN S. FRANCISCVM.  
S. Antoninus, Ordinis S. Dominici, Archiepiscopus  
Florentinus.

Quia videbatur extincta memoria passionis Christi in mentibus hominum, præ tepiditate eorum: voluit Dominus excitare, & incalescere hanc recordationem, per impressionem manifestam cicatricum in corpore beati Francisci. *Histor. par. 3. tit. 24. cap. 1. §. 3.*  
*Guilelmus Pepin Serm. de S. Franc.*

*Ad renouandam crucis Christi memoriam.*

Alexander Papa IIII.

Grande ac singulare miraculum, quo beatum Franciscum, omnium Sanctorum splendor & gloria, Dominus Iesus Christus mirabiliter decorauit. *In Bulla, cui hoc idem initium. In firmam. trium Ordin. trac. 1. par. 2.*

Baptista Fulgosius.

Quam ingentem perfectæ virtutis prærogatiam, atque minimè dubium argumentum, Franciscus Assisio vrbe natus, à Deo tulit! Nec verò id dico, quia in Sanctorum numerum relatus fuerit; id enim etiam ad alios pertinere videmus: sed quòd præcipuo Dei munere dignus, & factus, & iudicatus est, qui viuens in corpore suo veram, certamque vulnerum pertulerit formam, vnde humani generis abstersa labe, vita prodit mortalibus, quos primi parētis error in aeternum peremerat. Ita autè fuisse, præterquam quòd res ipsa inspiciebatur, Alexander quoque quartus, Gregorius Nonus, Nicolaus Tertius, Apostolicâ auctoritate testati sunt. O singulare munus, gratiaque diuinitus infusa! O vnica rerum excellentissimarum excellentia! Ferre Franciscum in corpore suo, ita vt inspicere tangiq; possent, signa illa; quibus pretium conferri nullum potest: in quibus iuncta Diuinitati humanitas, dum per ea mortem accepit, salutem, vitamque terrarum orbi peperit. *Lib. 8. Factorum dictorumq; memorabil. c. 10.*

*sub orz  
lus in  
de qua  
2. 2. 2.*

*Stigmata  
S. Fran-  
cisci ma-  
nus singu-  
lare.*

Robertus Bellarminus, Societatis Iesu.

Hoc signum omnium maximum ac singulare, & quasi prodigium omnium prodigiorum, sacra illa stigmata fuerunt. *Con. Louanij habitâ, Dominica Sexagesima.*

\*\* 5

Marcus

no cccc.  
LXXXIIJ.  
VLXII.

A. 10. 10.  
LXXV.

*Marcus Marulus Spalatensis.*

Sed quid nunc de te Pater Franciscus dicam? Quantum tibi quoque adhuc in terra degenti tua contulit contemplatio? Vidisti fulgentem Saluatoris nostri crucem; vidisti sanctum Seraph, à quo Seraphicus dici meruisti. Inde tibi singulari quodam privilegio, Dominicæ crucifixionis cicatrices corporaliter vindicasti: ut cuius paupertatem, mansuetudinem, humilitatem fueras imitatus, eius etiam beatissimæ passionis signa in manibus, in latere, in pedibus referres. & cum Paulo gloriari posses, dicens: Christo confixus sum <sup>Gal. 1.</sup> cruci. Vivo autem iam non ego, vivit verò in me Christus. <sup>20.</sup> Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo: ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto. O felicem servum, cui Dominus tradidit quinque talenta! ut quibus ille perditum reparavit mundum, hic labentem repararet Ecclesiam!

*Lib. 2. Distorum factor. memorabilium cap. 4.*

*Henricus ab Wyimariâ. Ordinis Eremitarum S. Augustini.*

Et ideo bene congruit B. Francisco, quod scribitur <sup>Eccl.</sup> de Abraham, Non est inuentus similis illi in gloria: <sup>44. 20.</sup> quia inter omnes Sanctos nullus inuenitur, cui sit sic euidenter impressa Bulla Summi Pontificis, & qui in corpore suo sic ferret vexillum Summi Regis, sicut fecit beatus Franciscus. *Serm. 1. de S. Franc.*

*S. Antoninus Ordinis S. Dominici, Archiepiscopus*

*Florentinus.*

Quoddam singulare concessum fuit beato Francisco, quod nulli inter natos mulierum legitur fuisse donatum; & hoc est impressio stigmatum sacrorum. <sup>Cap. 6.</sup> Quamuis enim Paulus dicat de se ad Galatas, Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto; tamen nullus dicit, quod habuerit corporaliter signa passionum in manibus, & pedibus, & latere: sed dicuntur stigmata passiones multæ & afflictiones. *Paulo post hæc addit:* Dicitur etiam de aliquibus deuotis hominibus, quod senserint magnum dolorem in manibus, & pedibus,

oo. cccc.

LIX.

obiit.

Non data  
aitu eius  
modi sti-  
gmata.

dibus, & latere, ac si habuissent ibi vulnera: sed tamen non ita impressa corporaliter, vt in B. Francisco. *Hist. tri. par. tit. 24. cap. 1. §. 3.*

A. 10. 12.  
xxij. ab.  
ait & vitâ

*Guilhelmus Pepin, Ordinis S. Dominici, Theologus Parisiensis.*

Dicitur de aliquibus deuotis personis, quod senserunt interdum maximum dolorem in manibus, pedibus, & latere, tamquam ibi habuissent vulnera, & stigmata Christi: sed tamen non ita impressa corporaliter, seu visibiliter, sicut factum est in corpore beati Francisci. & huius generis fuit beata Catharina de Senis: qua legitur rogasse Dominum, vt non apparent exteriùs stigmata. *Serm. de S. Francisco.*

*Non S.  
Catharina à Senis*

100. cccc.  
EXI.

*Robertus à Licio, Ordinis Minorum, Episcopus*

*Aguinatenfis.*

Sancta Catharina Senensis, cum esset in ciuitate Pisanâ, & quodâ manè in Ecclesia S. Christinae communicasset; ac iuxta altare rapta maneret in spiritu: postquam diu sic steterisset, vidit Christum cruci adfixum, magno super se cum lumine descendentem, radiosque sanguineos ex suis quinque sacratissimis cicatricibus emittentem. Cumque tunc, videtibus pluribus viriufque sexus ipsam expectantibus, virgo se erigeret, & super genua sua stans, facie rutilante brachia eleuasset ac manus; oraretq; ne cicatrices in corpore apparent exteriùs: tunc ex radiis sanguineis insolares immutatis à cicatricibus crucifixi procedentibus, & ad manus, pedes, & cor illius peruenientibus, valde extrinsecus dolor sensibilis in dictis partibus corporis est relictus. Ex quo cum corpus eius diu sic staret rigidum, & oculis clausis; tandem cecidit, ac si fuisset letaliter vulneratum. Post modicum ad se reducta, tanto dolore concutiebatur, vt à cunctis putaretur in breui moritura. Dominicâ verò sequente ibi communicans, à dolore extitit liberata. Ex visione præacta, in plerisque locis nonnulli S. Catharinam suscipientem stigmata à Christo dopingi fecerunt: qui si eâ intentione id egerint, vt per visibilia, inuisibilia

*Histeria  
eius, qua  
de stigmatibus est.*



bilia cognoscantur; & per picturam illam visibilem,  
 dolor eius inuisibilis, licet sensibilis designetur: forte  
 (non obstante errore inde sequente, quo credi posset  
 stigmata eam visibilia suscepisse) tolerari possent. Sed  
 si hæc facta sunt, vt sic æquiparetur S. Francisco, cui  
 soli vsque in præsens, singulari modo stigmata diui-  
 nitus sunt impressa: vtique reprehensibile est. Nam vt  
 dixi in Sermone de sacris stigmatibus B. Francisci, Ser. 44  
cap. 2.  
 inter miracula grandia nostræ fidei, Francisci confi-  
 gnatio supremum obtinet gradum. Fuerunt quippe  
 stigmata & visibiliter, & sensibilibus à Christo illi im-  
 pressa: tulit illa duobus annis continuis; & in vitâ, &  
 in morte, etiam à viris sanctis & grauissimis visa & ta-  
 cta. Summi Pontifices, Gregorius Nonus, Alexander  
 Quartus, Benedictus, Nicolaus, & alij illa approban-  
 tes, fatentur singulari miraculo in Francisci pedibus,  
 manibus, & latere fuisse depiæta ab eo artifice sapien-  
 tissimo, qui creauit cælum & terrâ. Quid verò de ce-  
 tero sit factururus, cuius arcana perscrutari nequimus,  
 ipse nouit. Vnum scio, & quidem absque vilo errore,  
 quòd beatus Franciscus electus fuit à Domino Iesù  
 Christo, vt in proprio corpore vexillum crucis, bien-  
 nio antequam spiritum redderet Deo, deferret. Non  
 derogent ista dignitati beatæ Catharinæ, nec alterius  
 sancti. Ego peccator, qui hunc sermonem cõfeci, San-  
 ctam ipsam, deuotione quâ possum colo & veneror;  
 eramque Romæ anno Domini millesimo, quadrin-  
 gentesimo, sexagesimo primo, anno tertio Pij Pontifi-  
 cis Maximi; quando Pontifex præfatus, Spiritu san-  
 cto volente, S. Catharinam sollempni celebritate cano-  
 nizauit: nulla tunc à referentibus & vitam & mira-  
 cula Catharinæ, de stigmatibus facta est mentio. nul-  
 la pictura cum stigmatibus fuit delata. nulla insuper  
 in Bullâ, quam superius frequenter allegauimus, de  
 stigmatibus mentio habita est. Ego insuper eâ die ca-  
 nonizationis, sermonem ad populû habui post pran-  
 dium, in ecclesia Mineruæ Ordinis Prædicatorum,  
 inspexi, legi, & quidem sæpius, omnia quæ scripta erant  
 de

Nota no-  
 ta, & cre-  
 de restâ  
 certo.

S. Catha-  
 rina Se-  
 nensis  
 Anno 1000  
 1000.  
 1000. albo  
 Sanctorum  
 adscripta.

de laudibus huius Sanctæ: nihil aliud inuenire potui, nisi quod superius expressum est de illo dolore, quem tulit absque signis, in suo exstatico raptu. Et si nomine stigmatum dolorem illum intelligi volumus: non tamen in illo continentur & includuntur conditiones miraculosæ stigmatum beati Francisci. Igitur, cum Deus non egeat nostrò mendacio: ea proferamus de Sanctis, quæ secundùm rei veritatem, non inuentionem hominum, illis possunt accommodari. *Serm. de S. Catharina à Senis cap. 3.*

*Sibylla Erythraea.*

Erit autem bestia horribilis ab Oriente veniens, Sibylla S. Dominicum, & S. Franc. Prædicatorum. Stellæ quoque duæ surgent contra ipsam: & non obtrinebunt, donec veniat abominatio, & voluntas Altissimi consummetur. *Apud Barptol. Pisan. Confor. frug. 1. Robert. à Licio, Ser. 2. de S. Franc. Gulielm. Pepin Serm. de S. Franc. & interpretantur bestiam, Mahumetem: Stellas duas, Sanctos, Dominicum & Franciscum.*

A. ab or  
be cõ-  
to 1920,

A. 60. cc.  
LXXIV.

*Humbertus, Generalis Ordinis Prædicatorum.*

&

*S. Bonaventura, Generalis Ordinis Minorum.*

Hi sunt (vt ad gloriam Dei loquamur, non nostrâ) duo magna luminaria, quæ lumine caelesti, sedentes in tenebris & umbra mortis, vbique terrarum illuminant, & ministrant. Hi sunt duæ tubæ veri Mosis Christi Dei nostri: quorum ministerio multitudinem populorum iam ad suum principium conuocauit. Hi sunt duo Cherubim, pleni scientiâ mutuo se respicientes, dum idem sentiunt; & alas suas extendentes ad populû, dum ipsum verbis & exemplis protegent, & discurrunt secundùm obedientiæ volatum, super omnem populum disseminare scientiam salutarem. Hi sunt vbera sponsæ, ex quibus paruuli in Christo lac sugunt, quo nutriantur & augmenta recipiant in salutē. Hi sunt duo filij olei splendoris, qui assistunt Dominatori vniuersæ terræ: prompti ad eius imperium, quocunque voluntas eius eos duxerit suam legationem implere. Hi sunt duo testes Christi, qui

faccis

*Sella  
duæ isti.*

faccis amicti iam prædicant, & testimonium perhibent veritati. Hi sunt illæ duæ stellæ lucidæ, quæ secundum Sibyllinum vaticinium, habent species quatuor animalium, in diebus nouissimis nomine Agni vociferantes, in directionem humilitatis, & voluntariæ paupertatis. *Epistolâ ad omnes Prædicatores & Ministros, apud Reuerendissimum dominum Petrum Radulphium, lib. 2. historiar. Seraph. religion.*

*Thomas Bozius, Congregationis Oratorij  
Presbyterorum.*

oo 19.  
xcii.

Duo hi Dominicus & Franciscus, Ordinum religiosorum inter suos primi auctores & institutores, meritò vocari possunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantia, de quibus in Apocalypsi: ab his enim verè dicta est Ecclesia Dei, dominus ruinam quodammodo minans, institutis suis, & 4. cælestis vitæ innocentiam sustentari. *Lib. 7. de signis Ecclesie Dei. cap. 1.*

*Ioannes Garzon, Bononiensis Orator.*

*Et nobile  
par am-  
scotum.*

Romæ cum Dominicus noctu sanctis orationibus indulgeret, Christum intuitus est in peccatores irâ commotum: quod eos de medio tollere instituisset, præter Mariam cæli reginam illi posse resistere neminem. Hæc precibus obsecrabat, ne quos suo sanguine redemerat, eos iret perditum: vnum esse Dominicum, cuius virtute & sanctimoniâ, plerique se ab erratis reuocarent. Hæc, quamquam ita sint, nequaquam tamen, inquit Christus, seiungendus est Franciscus: cum omnium sit virtutum simulacrum. hic eam prouinciam minimè recusabit. Iam nox in diem inclinabat, cum Dominicus, quæ conspexerat cum animo suo considerans, ad templum iter suscipiebat, fortè illi obuius fuit Franciscus; confestim illum amplexus est, & deosculatus: atque ita verba fecisse fertur; Nos Christi optimi maximi munere societatem inuenimus: illud oneris pro religione Christianâ suscipiamus oportet. nec vllum defugiamus laborem, vt qui à Christo deficiēt, hos prosternamus, deleamusq;.

Repri-

Reprimenda erit eorum qui præter rationem appetitui obtemperabunt, iniquitas atque insolentia. Accessit Franciscus Dominici sententiæ. &c. apud Aloysium Lipomanum, de *Visis Sanctorum par. 2. in vitâ sancti Dominici.*

Theodicus ab *Apoldiâ, Ordinis S. Dominici.*

Beatus Dominicus socium suum in hac visione diligenter contemplans, ad id usque tempus ignotum sibi, posterâ die in ecclesia inuentum agnouit: ruenſq; in sancta oscula, & sinceros amplexus, ait, Tu es socius meus: tu mecum pariter cures.

*Fidâ se-  
cretâ  
deuotâ.*

STEMVS SIMVL.

*Isaie  
50.8.*

& nullus aduersariorum vincet nos. Visionem quocumque, quam iam diximus, enarrauit ei, atque ab illo die

*Et tuâ.*

*Act. 4.  
32.*

fuit illis cor vnum, & anima vna in Domino. quod etiam à successoribus suis iusserunt perpetuò obseruari. *Apud Sur. 10.4. ad diem quintum Augusti, lib. 2. de S. Dominico cap. 1. S. Antonin. histor. par. 3. tit. 23. cap. 3. Hieron. Plat. lib. 1. de bono status relig. cap. 34.*

S. Antoninus, Ordinis S. Dominici, Archiepiscopus Florentinus.

*Apoc.  
11.4.*

Hi utique sunt duæ Oliuæ, pinguedine dilectionis & deuotionis, & duo candelabra lucentia ante

*Exo 37  
7.*

Dominum, orbem doctrinâ illustrantia. Hi duo Cherubim sapientiâ plena, obumbrantia Propitiatorium, nec non & duo Seraphim, caritate ardentia,

*Isa. 6.2*

clamantia Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus, Deus Sabaoth; implentia omnem terram gloriâ eius, documentis & exemplis. Hi status Mendicantium, vtrumque statum videntur comprehendere, Prælatorum Ecclesiæ, Episcoporum, & aliorum, quo ad actum doctrinæ, & prædicationis, spectantis ad vitam Activam; & statum Religiosorum, seu Monachorum, deseruientium Contemplatiuæ, quo ad Cæremonias regulares, & officia. vnde dici potest vita mixta, quam vt perfectissimam tenuit Christus. *Hist. par. 3. tit. 23, cap. 1.*

*Mendi-  
cantium  
Ordinum  
encamiâ.*

Item.

Item.

Quorum  
Sancti Do-  
minicus  
& Fran-  
ciscus in-  
stitutores  
primi.

Primi patres institutores status Mendicantium, fuerunt beatissimi Dominicus & Franciscus, contemporanei: se fratres ad hoc simul deputatos, in Ecclesiâ S. Petri in vrbe primò recognoscentes, & in osculo sancto mutuo amplexantes. Et Dominicus Patriarcha Prædicatorum, prior quidem tempore, quoad mundi ingressum, & ex eo egressum, ac etiam ad conuersationem Religionis, & actum prædicationis: nam per decem annos, antequam confirmationem Ordinis procuraret, in Hispaniâ, & Tolozanâ regione, iam religiosus & pauper discurrebat. Patriarcha autem Minorum Franciscus, prius confirmationem sui Ordinis procurauit, non sollemnem tamen, sed vt permissionem pro tunc talis status, vtpote vicinior Curia, ab Innocentio Tertio. Dominicus verò, ab eodem promissionem confirmationis habuit: sed executionem à successore eius Honorio, ad Curiam reuersus accepit. *Histor. par. 3. vbi supra.*

Rursus.

Vtrius  
instituti  
primus.

Ex prædictis patet, quòd quantum ad quandam concessionem simplicem habitus, & modi illius viuendi, & quasi permissionem, fuit prius institutus Ordo Minorum: quia per Innocentium Tertium, vt dictum est. Quantum verò ad sollemnem approbationem per Bullas Apostolicas authenticè, fuit prius Ordo Prædicatorum confirmatus: quia in principio Pontificatus Honorij. & post aliquod tempus Ordo Minorum sollemniter approbatus per litteras Apostolicas, & Regula approbata. *S. Antonin. histor. par. 3. tit. 24. cap. 7.*

Hieronymus Platus societatis Iesu.

Institutum  
vtriusque  
primo om-  
nium à  
Pont. ap-  
probatum

Et quidem quod litteris existet, Franciscus primùm & Dominicus, separatim vterque, suâ magis sponte quàm legis cuiuspiam coactu, Innocentio Tertio, instituti quod meditabantur, rationem, Pontificia potestate sancendam obtulerunt. quod cum in Lateranensis Concilij tempus incidisset, in eodem Concilio cautum

A. m. 12.  
xcij.\*Vide  
cap. 13.  
Extrau.  
s. Sancta  
Roma-  
na. de re  
lig. Do-  
mibus.

tautum ac scitum est, vt id in posterum sollemnè esset  
ac perpetuum. Idemque non multis post annis à Gre-  
gorio Decimo in Synodo Lugdunensi renouatum, &  
deinde in vniuersales Ecclesiæ mores receptum est.  
*Lib. 1. De bono status relig. cap. 2.*

*M. Antonius Coccius Sabellicus.*

la. cccc.  
cclij.

Duo Christianæ pietatis lumina terris affulserè,  
quibus multo maximâ parte orthodoxa creuit fides.  
Auctores incrementi huius, Dominicus Calagurita-  
nus Hispani generis, & Franciscus Assisias, in Umbriâ  
Italiae regione ortus. æquales hi: vterque enim alte-  
rum vidit. & hic quidem sanctitate clarus, & ille: sed  
numerosâ familiâ clarior Italus, quæ ex eo orta est,  
*Ennead. 9. lib. 6.*

*S. Bernardinus à Senis, Ordinis Minorum.*

⁂ Dan. 3.  
92.

⁂ Species quarti similis Filio Dei. Fuit quippe quar-  
tus inter principales Leuitas, Stephanum, Lauren-  
tium, Vincentium, beatus Franciscus. Fuit etiam  
quartus inter Ordinum Patriarchas, videlicet Basi-  
lium, Augustinum, Benedictum. *De Euangel. ater. Ser.*  
*60. art. 1. cap. 1.*

*Leuitas  
quartus  
S. Franc.  
instituit  
regulam  
quartam.*

⁂ la. cc.  
xx.

*Iacobus à Vitriaco, S. R. E. Cardinalis.*

Tribus Eremitarum, Monachorum, & Canonico-  
rum religionibus, vt regulariter viuientium quadra-  
tura fundamenti, in soliditate suâ firma subsisteret,  
addidit Dominus in diebus istis quartam religionis  
institutionem, ordinis decorem, & regulæ sanctita-  
tem. Si tamen Ecclesiæ primitiue statum & ordinem  
diligenter attendamus: non tam nouam addidit re-  
gulam, quàm veterem renouauit, releuauit iacentem,  
& penè mortuam suscitauit religionem, in vespere  
mundi tendentis ad occasum, imminente tempore  
filij perditionis: vt cõtra Antichristi periculosa tem-  
pora nouos athletas præpararet, & Ecclesiam præ-  
muniendo fulciret. Hæc est religio verè pauperum  
crucifixi, & Ordo prædicatorum, quos Fratres Mi-  
nores appellamus. Verè minores, & omnibus huius  
temporis Regularibus in habitu & nuditate, & mudi

*Apostolus  
cum videret  
illius redi-  
tione.*

⁂ 1. Thef.  
3. 3.

contemptu, humiliores. Habent autem vnum summum Priorem, cuius mandatis & regularibus institutis reuerenter obediunt minores Priores, ceterique eiusdem Ordinis Fratres; quos per diuersas mundi provincias causâ prædicationis, & salutis animarum ipse transmittit. Ad eam autem primitiuam Ecclesiæ religionem, paupertatem, & humilitatem in se reformare diligenter procurant, puras Euangelici fontis aquas cum siti & ardore spiritus hauriētes; quod non solum Euangelica præcepta, sed & consilia, vitam Apostolicam expressius imitantes, modis omnibus adimplere laborant, omnibus quæ possident renunciantes, seipsos abnegantes, crucem sibi tollendo nudum sequentes, relinquentes pallium cum Ioseph, & hydriam cum Samaritanâ, expediti currunt, ambulant ante faciem suam & non reuertuntur, *Gen. 39. 12. Ioan. 4. 28. Ezech. 9. 9. 100. ccc. LXX. Deut. 4. 24.*

*Historia Occidentalis, cap. 32.*

*S. Birgitta, vidua.*

Christus inquit: Franciscus amicus meus fuit, quasi lapis ignitus, & igneus: quia habuit me in se, qui sum ignis. *Reuelationum extrauagantium, cap. 90.*

*Alibi eadem.*

*Christo  
eius  
regula.* Ipsius Francisci regula, quam ipse incepit, non fuit dictata, & composita ab ipsius humano intellectu & prudentiâ, sed à me, secundum voluntatem meam: quodlibet enim verbum quod in eâ scriptum est, à Spiritu meo sibi fuit adspiratum. & postea ipse aliis regulam illam protulit & porrexit. Ita etiam omnes alia regula, quas amici mei inceperunt, non fuerunt dictata & composita ab ipsorum intellectu & humanâ sapientiâ, sed adspiratione eiusdem Spiritus sancti. *Lib. 7 Reuelat cap. 20.*

*Iacobus Bergomensis, Ordinis Eremitarum*

*S. Augustini.*

Franciscus ex Assisio ortus, nouum mox Ordinem instituit, & velut sol in orbe radians, Christianam religionem plurimum illuminauit. *Supplement. Chronicor. lib. 13.*

*Ra-*

IN S. FRANCISCVM.

Raphael Volaterranus.

60. ccc. xliij.

Auctus exinde paulatim Ordo, vt cunctis postea <sup>Ordinis</sup> multitudine virorum præstiterit, & Sacerdotio, & do- <sup>S. Franc.</sup> <sup>incrementis</sup> <sup>& præ-</sup> <sup>stantiâ;</sup> <sup>Lib. 21. Anthropolog.</sup> <sup>strinatâ,</sup> & sanctitate præcellētium.

M. Antonius Coccinus Sabellicus.

Rarò, ac nescio an vnquam verius dixerim, vllum humane pietatis institutum maiora sensit incremen- ta: totum orbem terrarum vna hæc impleuit familia: *Eunæ. 9. lib. 6.*

A. 60. 12. lxxij.

Ludovicus Granatensis, Ordinis S. Dominici.

Tantum abfuit vt à beato Francisco institutus Or- do inopiâ cogente defecerit, vt ob hoc ipsum supra omnes alios Ordines auctus ac dilatatus fuerit. Exi- guis namque expensis monasterium humile extrui- tur: quo exstructo, facillè monachi sine vllis redditi- bus, quæ sunt ad pauperem ac tenuem vitam neces- saria sibi comparant. Hinc factum est, vt vnicus bea- tissimi Patris Francisci Ordo, plura fortasse intra se <sup>nois</sup> cœnobia, quàm reliqui omnes omnium aliorum Or- dinum, contineat. *Conc. 2. de S. Franc. 2.*

Hieronymus Platus societatis Iesu.

Atque hæc, quàmquam ita sunt gloriosa & hono- <sup>Orbis no-</sup> <sup>uam Fra-</sup> <sup>scianis ordi-</sup> <sup>num præ-</sup> <sup>mi Euan-</sup> <sup>gelio Chri-</sup> <sup>stus illis</sup> <sup>stravit</sup> rifica Religiosis, nihil tamen præclarior aut glorio- sius, quàm totius noui orbis conuersio: quæ quanta- runque est, tota est Religiosorum. Ipsi enim primi Euangelium in oras illas intulerunt. ipsi fidem plan- tarunt, ipsi deinde rigarunt, iidemque adhuc excole- te, & propagare non desistunt. Primos omnium, qui tantam hanc prouinciã aggressi sunt, Franciscanos fuisse legitimus: atque eosdem etiam in iis regionibus inueniendis, cum antea ne de nomine quidem audi- tæ essent, magnopere contulisse. Cum enim Christo- phorus Columbus de ea nauigatione instituendâ apud <sup>Et is e-</sup> <sup>muntra-</sup> <sup>tur plur-</sup> <sup>im con-</sup> <sup>tulerunt.</sup> Ferdinandum Hispaniæ regem ageret; nec ei, vt in re- tam nouâ atque incertâ, multum fidei haberetur: Pa- tres duo Franciscani valde eum iuuisse dicuntur, tum ipsam animando, tum etiam Regem impellendo, vt

\*\*\* 2 camp



eam occasionem omnino tentaret. Itaque cum impetrata classe, Columbus Mexicana regna feliciter aperuisset, atque in Hispaniam tam late rei nuncius reuertisset: statim aliquot familiae eius patres in ea loca nauigarunt, annum circiter à Christo nato millesimum quadringentesimum, nonagesimum tertium. Atque eodem penè tempore, ad \* Occidentalem Indiam, Emanuelis Lusitani regis auspiciis à Vasco Gama patefactam, anno videlicet millesimo quingentesimo, missi sunt Euangelij causâ, ex eadem familiâ viri octo, tum doctrinâ, tum pietate præstantes. Ab his initiis, hic Ordo per eas regiones diffusus, multiplicatis breui tempore domiciliis, tresdecim (vt ipsi vocant) Prouincias instituere, in quibus magnam Christianæ rei operam nauarunt, & adhuc nauant.

\*Orientalium.

Lib. 2. De bono status relig. cap. 30.

Franciscus Gonzaga, Ordinis Minorum,  
Episcopus Mantuanus.

A. 1583.  
LXXXVJ.

Anno à Christi natiuitate millesimo quingentesimo, religiosissimos octo Fratres Minister [*Portugallia Prouincia*] cum secundâ inuictissimi Lusitanorum regis Emanuelis classe, ad Orientales Indos transmissi: quatenus eos, postposito quocunque vitæ discrimine, suis prædicationibus, atque exhortationibus Christo lucrifacerent. Quorum antesignanus atque Pater, F. Henricus à Conimbriâ, cum solus, aliis septem sociis diuersimodè ab illis barbaris, oppressis, atq. glorioso martyrio coronatis, ex tam famoso certamine superfuisset: plurimis exanclatis laboribus, S. Thomæ Custodiam erigere, atque plantare cœpit. quæ ad eò excreuit, vt plurimis prouinciis æquiparari, inò potius præferri optimo iure possit. quâ etiam de causâ, in Generali Toletanâ congregatione anno Domini 1583. celebrata, à patribus decretum fuit, vt Prouinciæ dignitate honestaretur. De orig. Seraph. Relig. par. 3. initio descriptionis prouincia Portugallia. Item part. 4. initio descriptionis prouincia S. Thomæ apud Indos Orientales.

Chri-

*Christophorus à Capite Fontium, Ordinis Minorum,  
Archiepiscopus Casariensis.*

In Indias etiam Orientales, quæ hodie regi Portugallia parent, primi & ipsi Franciscani prædicanda fidei causâ, longissimâ & periculosissimâ navigatione traiecere: vbi multis ad fidem conuersis populis, ædificatisque Ecclesiis, & monasteriis quamplurimis, multa regna, opida, prouincias, & vrbes Christi imperio subiugarunt. idque antequam Sodalium nominis Iesu instituta religio foret, quibus si primam illarum gentium conuersionem quisquam attribuere vellet, summâ nostros, aliosque Mendicantes religiosos iniuriâ, debitam illis suffurando laudem, afficeret: iam enim per quadraginta ad minus annos, antequam quispiam illuc peruenisset Iesuita, gentes illas Christo nostri verbi Dei falce metebant, qui, si quanta per eos Deus ad illarum gentium conuersionem fecit, non scripserunt; non minùs tamen vera sunt quæ dico, *Epist. ante Compendium priuilegiorum Fratrum Minorum.*

*Orientalis  
Asia Indias ante  
alios reli-  
gione inu-  
enerunt.*

*Franciscus Gonzaga, Ordinis Minorum,  
Episcopus Mantuanus.*

Vt paucis multa perstringam, Quicquid in Indiâ Orientali, per quadraginta continuos annos, laboris fuit, siue in infirmis curandis, siue in infidelibus conuertendis, siue in Catechumenis instruendis, siue in conuersis in officio continendis, siue in Sacramentis administrandis, siue etiam in aliis operibus caritatis exercendis: id totum ex Franciscanorû humeris pendit. *De orig. Seraph. Relig. part. 4. in descriptione prouincie S. Thomæ apud Indos Orientales.*

*Raphael Volaterranus,*

Franciscus Afifinas, tamquam nouum sidus in terris apparuit, teste Bonauenturâ, qui eius vitam excelsit: Conseruatoris nostri ferè per omnia typum gessit. *Lib. 21. Anthropol.*

*S. Franc.  
et Ieron.  
Christi.*

\*\*\* 3

Ioan-

## ELOGIA

Ioannes Orosius, Societatis Iesu.

Modus &  
pauper.

Solet pictoris ars in multis ostendi, præcipuè verò in depingendò corpore nudo. Facile enim est pictori hominem vestitum depingere: at difficillimè admodum nudum pingit, Tanta enim in corpore humano sunt, & adèdè diuersa, vt perfectè effigiari non possint, nisi à supremo artifice. Ad hunc modum, gratia quidem munus est, depingere in hominum animis Christum Dominum. Hinc Paulus: "Filioli quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis: quia conformes nos fieri vult imagini Filij sui. Sed in quibusdam gratia diuina pingit Christum indumentis ornatum; & id facillè gratia præstat, in aliis verò depingit Christum nudum, vt in Francisco; & id quidem difficile admodum est, & nisi eximia gratia id non præstat, vt enim homo omnibus se exposit, maximà indiget gratiâ. *Concion. de S. Francisco.*

*Baptolomæus Pisanus Ordinis Minorum.*Amore  
paupertatis  
in Euangeliis.

Sanctus Franciscus paupertatè diligenter, & summo affectu quæsiuit per vicos & plateas: id est, inter homines qui tunc viuebant. Et quia oblitterata erat paupertatis semita & memoria, non inuenit. Per nobiles quæsiuit & potentes, nec inuenit: quia omnes à maiore vsque ad minimum diuitiis inhiabant & auaritiæ. Hæc siquidem paupertas, etsi primo homini adhæsit cum esset conditus, quia nudus: tamen peccando, & tunicâ pelliceâ induto, ac labori manuum tradito, ab ipso recessit. A Patribus veteris testamenti abiit: quia terram fluentem lac & mel in promissione acceperunt. Sed Domino Iesu Christo descendente de monte suæ maiestatis, per carnis assumptionem, hanc secum de cælo ad terram deuexit: & cum ipso, nascendo, viuendo, & moriendo est commorata fideliter & indissolubiliter. Hanc commendauit suis discipulis, & grata illis fuit, & multis aliis fidelibus. Beatus Franciscus montem Domini ascendit, Patrem cælestem exorando, vt eam sibi in sponsam, sociam, & dominam mittere dignaretur. &c. *Confor fruc. 16.*

Iustus

*Iustus Lipsius.*

A. 80. 19.  
LXXXj.

Quot viri boni beatiq̄ue paupertatem appetiere  
vltro ! Litteræ ipsæ diuina eam nobis conciliant, vt  
rectam ad cælos viam. *Centu I. epist. 19.*

*Qua 98.  
Et in cao  
lucis via.*

*Guilielmus Pepin. Ordinis S. Dominici.*

Vt vitis in luxurioso solo degenerat, fit veiò in aren-  
te nobilior: sic instituta monastica & Ordines profi-  
ciunt, & firmanur ab illa rerû virtutumq̄. seruatri-  
ce inopia. cõtrà, copia & opes pleraq̄. talia euerterunt:  
& euerent tardè aut citò, vt occasio aut ingenia se  
dabunt. *Ex Ser. de S. Francisco.*

80. cccc.  
xcii j.

*Ioannes Tritemius, Ordinis S. Benedicti,  
Abbas Spanhemius.*

Franciscus Ordinis Minorum institutor & prin-  
ceps, natione Italus, ex Asisio ciuitate Italiae oriundus  
fuit. vir sanctissimæ conuersationis, & Euangelicæ  
paupertatis ardentissimus sectator: qui verbo & ex-  
emplo multos ab iniquitate conuertit, & in viam iu-  
stitiæ Catholicæ direxit. Tantus amator Christi existi-  
tit, vt in contemptu mundi, & consolationis transito-  
riæ parem vix habuerit. In cuius Ordine multi iam  
deinceps doctissimi viri claruerunt, qui ad vtilitatem  
fidelium, innumera penè composuerunt opuscula.  
Ipse autem Franciscus scripsit breuem

*S. Franc.  
opuscula.*

Regulam Minorum. Lib. 1. Regula & vita.

Testamentum breue, Lib. 1. Dominus dedit mihi.  
Claruit sub Frederico Imperatore Secundo. Anno  
Dom. M. c c x x.

*Præter ista alia quoque exstant S. Francisci monumenta,  
quæ apud nos habentur: vt sunt*

\* Apud  
Baptol.  
Pisa cõ.  
form.  
† uc. 11.  
\* Conf  
† uc. 12.  
† Conf  
† uc. 12.

\* Admonitiões eius. Lib. 1. Franciscus in admoni-  
tionibus. \* Orationes piæ ad diuersos.  
† Epistolæ variorum argumentorum. quibus tum  
fratres sui instituti, tum omnes Christianos ad caritatem,  
virtutes, & summum honorem Sacrosanctæ Eucharistiæ ha-  
bendum, efficacissimè adhortatur. Hac in manibus nostrorum.  
& oportune citamus in nostro ad vitam S. Francisci Com-  
mentario. Forsitan audebunt aliquando videre lucem.

\*\*\* 4

Elogia

## Elogia in S. Franciscum

*hæc quæ habui. exemplum tibi erit, lætiora cum inueneris. quæ  
nostra augeas, & magis ornes. Nunc etiam encomiis aliquot  
magnorum virorum illustrabo*

## Historiam vitæ S. Francisci,

*à Sancto Bonauentura S. R. E. Cardinale Episcopo piè &  
grauiter, tum etiam magnâ cum laude conscriptam.*

*S. Antoninus, Ordinis S. Dominici, Archiepiscopus  
Florentinus.*

*Vitam S.  
Francisci  
S. Bonam  
scripsit.*

S. Bonauentura stilo mirabili vitam Beati Franci-  
sci compilauit: ipsamque diffusam ad compendiô-  
siorem formam reduxit. in qua nihil posuit nisi cer-  
tum, & probatum testibus fide dignis. *Hystor. par. ter-  
tia. tit. 24. cap. 8.*

*Ioannes Clibonius.*

Vitam beati Francisci sanctus Bonauentura cum ma-  
gnâ pietate, & sinceritate conscripsit. *Conc. de S. Franc.*

*Ludouicus Granatensis, Ordinis S. Dominici.*

Quisquis beati Francisci vitam, quam sanctissimus  
Bonauentura conscripsit, diligenter attenderit: inue-  
niet planè pulcherrimum quoddam certamen inter  
Deum ipsumque Franciscum intercessisse. Vir enim  
sanctus, Dei voluntatem in omnibus exsequi niteba-  
tur: Deus contrâ, sancti viri voluntati omnibus in re-  
bus obsequabatur. Ille abiectioe sui, Dei gloriam fi-  
delissimè quærebat: Deus contrâ, serui honorem mo-  
dis omnibus amplificabat, Ille totus diuinæ volunta-  
tis obedientiæ traditus erat: contrâ verò Deus crea-  
turas omnes, atque aded semetipsum, obedientem illi  
exhibebat. Ille omnia propter Deum reliquerat: at  
Deus omnia illi rursus centuplum aucta rependebat,  
hoc ita esse deprehendet, quisquis (vt modò dixi) eius  
vitam, & res ab eo gestas perlegerit. Nihil enim in eâ  
non summum, nihil non nouum, & mirabile inue-  
niet. *Conc. 4. de S. Francisco.*

*Aloisius*

*Aloisius Lypomanus, Episcopus Veronensis.*A. 99. 13.  
L viij.  
Apud  
Sur. 10. 5  
Orob. 4

Hanc diui Francisci vitam, beatus ille Boauentura S.R.E. Cardinalis, & Episcopus Albanensis, Franciscani instituti non solum sectator, verum & instaurator & rector; vir in diuinis Scripturis eruditissimus, de quo præceptor eius Alexander ab Hales dicere solebat, In Bonauenturâ Adam peccasse non videtur; puro ac simplici stilo descripsit, tanta rerum copiâ, & sententiarum grauitate refertam, vt totus mûdus eius lectione instrui possit, & ad amorem Dei, per beati Francisci exemplum instaurari. Ego (vt verum fatear) cum S. Francisci vitam lego, non solum accendor, sed in eius meditatione totus exardesco: vtpote in quo tanta diuini amoris claritas effulserit; vt Angelus potius, atque ex supremo ordine, qui ardor & incendium dicitur, magis quàm homo dici posse videatur. Semper enim beatissimus iste, cogitatione in cælo versabatur; semper felix eius anima summo Auctori purissimè & intètissimè inhærebat: ad cò, vt præ amoris magnitudine (quod hominibus plerumque ardentissimè amantibus contingere solet) alienatus à sensibus, atque extra se esse videretur.

Quâ tã-  
tus mun-  
dus ad pie-  
tatis eru-  
diti queas

Accede & tu benigne lector, accede ad sanctum istum ignem: certò scio calesces plus satis.



*Vidi alterum angelum, ascendentem ab ortu solis,  
habentem signum Dei vultus. Apocalypsis 7. 2.*

SANCTI  
BONAVENTURÆ

Ordinis Minorum,  
S. R. E. CARDINALIS,  
EPISCOPI ALBANENSIS,  
Seraphici Doctōris Ecclesiæ,  
IN VITAM S. P. FRANCISCI  
Prologus.

§. I.



DPARVIT gratia Dei Sal-  
uatoris nostri, diebus istis no-  
uissimis in seruo suo Francisco;  
omnibus verè humilibus, &

sanctæ paupertatis amicis: qui super adfluen-  
tem in eo Dei misericordiam venerantes, S. Fran-  
ciscus pius  
est excelsus  
pio.  
ipsius erudiuntur exemplo, impietatem &  
secularia desideria funditus abnegare, Christo  
conformiter viuere, & ad beatam spem desi-  
derio indefesso sitire. In ipsum namque vt ve-  
rè pauperculum & contritum, tantà Deus  
excelsus benignitatis condescensione respexit,  
quod non solum de mundialis conuersationis  
puluere suscitauit egenum; verùm etiam  
Euangelicæ perfectionis professorem, ducem, Dux ad  
lucem &  
pacem.  
atque praconem effectum, in lucem dedit cre-  
dentium: vs testimonium perhibendo de lu-  
mine,

Regiz  
66. 2.

91. Reg.

28.

Pfal. 111

7.



mine, viam lucis & pacis ad corda fidelium Domino prepararet. Hic etenim quasi <sup>Luc. 1. 17.</sup>

<sup>Stella matutina</sup> stella matutina in medio nebulae, claris <sup>Eccli. 10. 6.</sup>

vite micans & doctrinae fulgoribus, sedentes in tenebris & umbram mortis, irradiatione praefulgidam direxit in lucem. & tan-

<sup>Arcus inter nebulas.</sup> quam arcus refulgens inter nebulas gloriae, signum in se Dominici foederis repraesentans, pacem & salutem euangelizavit hominibus, existens & ipse Angelus verae pacis. <sup>Indid. 8.</sup>

<sup>Angelus pacis.</sup>

Secundum imitatoriam quoque similitudinem Praecursoris destinatus a Deo, ut <sup>Luc. 1. 1.</sup>

viam parans in deserto altissime paupertatis, tam exemplo quam verbo poenitentiam

<sup>Hortatur ad poenitentiam.</sup>

praedicaret: primum supernae gratiae praeventus donis, dehinc virtutis inuictae adauctus

meritis; prophetali quoque repletus spiritu, necnon & Angelico deputatus officio, incendioque Seraphico totus ignitus, & ut vir Hierarchicus curru igneo sursum vectus, <sup>Inf. c. 4. 9. 4.</sup>

sicut ex ipsius vite decursu luculenter appareret: rationabiliter comprobatur venisse in spiritu & virtute Eliae.

2.

<sup>Est alter Abaelus ascendens ab ortu solis habens signum Dei sui.</sup>

Ideoque alterius amici sponsi, Apostoli & Evangelistae Ioannis vaticinatione veridica, sub similitudine Angeli ascendentis ab ortu solis, signumque Dei viui habentis, astruitur

tur

tur non immeritò designatus. Sub apertione  
 namque sexti sigilli, Vidi, ait Ioannes in Apo-  
 calypsi, alterum Angelum ascendentem  
 ab ortu solis, habentem signum Dei  
 viui. Hunc Dei nuncium amabilem Christo,  
 imitabilem nobis, & admirabilem mundo,  
 seruum Dei fuisse Franciscum indubitabili  
 fide colligimus, si culmen in eo eximia san-  
 ctitatis aduertimus: quã inter homines vi-  
 uens, imitator fuit puritatis Angelicæ, quã  
 & positus est perfectis Christi sectatoribus  
 in exemplum. Ad quod quidem fideliter sen-  
 tiendum & piè, non solum inducit officium,  
 quod habuit vocandi ad fletum, & plan-  
 ctum, caluitium, & cingulum sacci; si-  
 gnandique Thau super frontes virorum  
 gementium, & dolentium, signo pœni-  
 tentialis Crucis, & habitus cruci conformis:  
 verum etiam irrefragabili veritatis testifi-  
 catione, confirmat signaculum similitudinis  
 Dei viuentis, Christi videlicet Crucifixi,  
 quod in corpore ipsius fuit impressum, non  
 per naturam virtutem, vel ingenium artis,  
 sed potius per admirandam potentiam spiri-  
 tus Dei viui.

Ad huius tam venerabilis viri vitam,  
 omni imitatione dignissimam describendam,  
 indi-

cap. 7.

A.

Ista. 12.

12.

Ezech.

3. 4.

Ius. c.

1. 5. 4.

officium  
S. Franc.

indignum & insufficientem me sentiens, id nullatenus attentassem; nisi me fratrum feruens incitasset affectus: Generalis quoque Capituli concursus induxisset instantia. & ea quam ad sanctum Patrem habere teneor, deuotio compulisset: utpote qui per ipsius inuocationem & merita, in puerili aetate (sicut recenti memoriâ teneo) à mortis faucibus erutus; si præconia laudis eius tacuero, sceleris timeo argui ut ingratus. Est & hæc penes me causa præcipua hunc assumendi laborem: ut ego, qui vitam corporis & animæ à Deo mihi conseruatam recognosco per ipsum, & virtutem eius in meipso expertus agnouit, vitæ illius virtutes, actus, & verba, quasi fragmenta quædam partim neglecta, partimque dispersa, quamquam plenè non possem, utcunque colligerem: ne morientibus iis qui cum famulo Dei conuixerant, deperirent. Ut igitur vitæ ipsius veritas ad posteros transmittenda, certius mihi constaret & clarius: adiens locum originis, conuersationis, & transitus viri sancti, cum familiaribus eius adhuc superuiuentibus, collationem de iis habui frequentem ac diligentem. & maximè cum quibusdam qui sanctitatis eius & conscij fuerunt, & sectatores præcipui: quibus

Causa ori  
ma Sancto  
Bonau. hu  
m. opus.

Altera.

Tertia.

Quarta  
aut  
quinta.

quibus propter agnitā veritatem, probatāq̄ virtutem, fides est indubitabilis adhibenda.

4. In descriptione autem eorum, que per ser-  
uum suum Deus dignanter effecit, curiosum  
styli ornatum negligendum esse putavi: cum  
legentis deuotio plus simplici sermone, quā  
phalerato proficiat. Nec semper historiam se-  
cundum ordinem temporis texui, propter con-  
fusionem vitandam: sed potius ordinem ser-  
uare studui magis apte iunctura, secundum  
quod eodem peracta tempore, diuersis mate-  
riis, vel diuersis patrata temporibus, eidem  
materie congruere videbantur. Initium au-  
tem vite ipsius, progressus, & consum-  
matio, quindecim distincta capitulis descri-  
buntur inferius adnotatis.

Formas  
sua libri.

Agitur enim primo, de conuersatione ipsius in  
habitu seculari.

Es parti-  
tio mat-  
ria.

Secundo, de perfectā cōuersione eius ad Deū.

& de reparatione trium Ecclesiarum.

Tertio, de institutione religionis. & appro-  
batione Regule.

Quarto, de profectu Ordinis sub manu ipsius.

& confirmatione Regule prius approbate.

Quinto, de austeritate vite. & quomodo  
creatura prebebant ei solatium.

Sexto, de humilitate, & obedientiā. & de

condescensionibus diuinis sibi factis ad  
nutum.

Septimo, de amore paupertatis. & mirā  
suppletionē defectuum.

Octauo, de pietatis affectu. & quomodo ra-  
tione carentia affici videbantur ad ipsum.

Nono, de seruore caritatis. & desiderio  
martyrij.

Decimo, de studio & virtute orationis.

Undecimo, de intelligentiā Scripturarum. &  
spiritu Prophetie.

Duodecimo, de efficaciam prædicandi. & gratia  
sanitatum.

Decimo tertio, de Stigmatibus sacris.

Decimo quarto, de patientia ipsius. & trans-  
itu mortis.

Decimo quinto, de canonizatione. & trans-  
latione ipsius.

Postremo, de miraculis post transitum eius  
felicem ostensis aliqua subnectuntur.

SANCTI  
BONAVENTURÆ

Ordinis Minorum,

S. R. E. CARDINALIS  
EPISCOPI ALBANENSIS,

Seraphici Doctoris Ecclesiæ,

DE VITA SANCTI P. FRANCISCI

LIBER I.

CAPVT PRIMVM.

*De conuersatione S. Francisci in habitu seculari.*

**V**IR erat in ciuitate Assisij Franciscus <sup>S. I.</sup>  
nomine, cuius memoria in benedi- <sup>S. Francisci</sup>  
ctione est: pro eo quod Deus ipsum <sup>patria.</sup>  
in benedictionibus dulcedinis beni-  
gnè præueniens, & de præsentis vitæ  
periculis clementer eripuit, & cælestis gratiæ do-  
nis affluenter impleuit. Etenim cum inter vanos <sup>Educatio.</sup>  
fuerit hominum filios, iuuenili ætate nutritus in  
vanis; & post aliqualem litterarum notitiam, lu-  
cratiuis merationum deputatus negotiis: super-  
no tamen sibi assistente præsidio, nec inter lasciuos  
iuuenes, quamuis effusus ad gaudia, post carnis pe-  
tulantiã abiit; nec inter cupidos mercatores, quan-  
quam intentus ad lucra, sperauit in pecuniã & the-  
sauris. Inerat namq; iuuenis Francisci præcordiis, <sup>Affectus in</sup>  
diuinitus indita quædam ad pauperes miseratio li- <sup>pauperes.</sup>  
beralis: quæ secum ab infantia crescens, tantã cor-  
ipsum benignitate repleuerat, vt iam Euangelij  
non furdus auditor, omni proponeret se petenti <sup>Luc. 6. 30.</sup>  
tribuere, maxime si diuinum allegaret amorem.

A

Cum

2. Cum autem semel negotiationis intentus tum-  
 multibus, pauperem quendam, pro amore Dei  
 petentem eleemosynam, præter morem solitum,  
 vacuum repulisset: statim ad cor reuersus, cu-  
 currit post ipsum; & eleemosynâ illi clementer  
 impensâ, promisit Domino Deo, quod nunquam  
 ex tunc, dum adesset possibilitas, petentibus pro  
 amore Domini se negaret: quod vsque ad mor-  
 tem indefessâ pietate obseruans, copiosa in Deum  
 dilectionis & gratiæ incrementa promeruit. Aie-  
 bat enim post, cum iam perfectè Christum in-  
 duerat, quod etiam existens in habitu sæculari,  
 vocem diuini expressiuam amoris audire vix vn-  
 quam sine cordis immutatione valebat. Porrò  
 mansuetudinis lenitas, cum elegantia morum, pa-  
 tioria, & tractabilitas supra humanum modum,  
 munificentia largitas ultra suppetentiam faculta-  
 tum; quibus bonæ indolis adolescens certis flore-  
 re conspiciebatur indiciis; quædam videbantur ef-  
 se præludia, quod copiosior super eum foret in po-  
 sterû diuinæ benedictionis abundantia diffundeda.

*Promittit sem-  
 per dare elee-  
 mosynam,  
 amore Domi-  
 ni interpella-  
 tus.*

*Rom. 13. 14.*

3. Quidam sanè vir de Assisio valde simplex ( vt  
 creditur, eruditus à Deo ) cum aliquando per  
 ciuitatem eunti obuiaret Francisco, deponebat  
 pallium, sternebat ipsius pedibus vestimentum;  
 asserens omni fore Franciscum reuerentiâ dignum:  
 utpote qui esset in proximo magna facturus, & ob  
 hoc ab vniuersitate fidelium magnificè honoran-  
 dus. Ignorabat autem adhuc Franciscus circa se  
 consilium Dei: pro eo quod tam iussione patris, ad  
 exteriora distractus, quàm corruptione naturalis  
 originis ad inferiora depressus, nondum didicerat  
 contemplari cælestia, nec assueuerat degustare di-  
 uina. Et quia spiritali auditui dat intellectum  
 inflicta vexatio: facta est super eum manus Domi-  
 ni, &

*3.  
 Pallium ei  
 quidam ster-  
 nit.*

*Isaiæ 28. 19.*

ni, & immutatio dexteræ excelsi, diutinis languoribus ipsius corpus affligens, vt coaptaret animam ad sancti spiritus vnctionem. Cum quæque resumptis corporis viribus, sibi vestimenta decentia more solito præparasset: obuium habuit militem quendam generosum quidem, sed pauperem, & malè vestitum; cuius pauperiem pio miseratus affectu, illum protinus se exuto vestiuit; vt simul in vno geminum impletet pietatis officium, quò & nobilis militis verecundiam tegetet, & pauperis hominis penuriam releuaret.

Nocte verò sequenti, cum se sopori dedisset; palatium speciosum & magnum, cum militariibus armis crucis Christi signaculo insignitum, clementia sibi diuina monstrauit: vt misericordiam pro summi Regis amore, pauperi exhibitam militi, præstenderet incomparabili compensandam esse mercede. Vnde & cum quæreret, cuius essent illa omnia: sua fore, militumque suorum supernâ fuit assertionem responsum. Euigilans itaque manè, cum nondum haberet exercitatum animum ad diuina perscrutanda mysteria; nesciretque per visibilibus species, transire ad contuendam inuisibilem veritatem: magnæ fore prosperitatis indicium æstimabat insolitam visionem. Disposuit itaque, diuinæ adhuc dispositionis ignarus, in Apuliam ad quendam liberalem Comitem se conferre: in ipsius sperans obsequio decus adipisci militiæ, vt ostensa sibi visio prætendebat. Cumque paulò post iter aggressus, iuisset vsque ad proximam ciuitatem; audiuit in nocte Dominum familiari sibi allocutione dicentem: Francisce, quis potest melius facere tibi, Dominus an seruus? diues an pauper? Cui cum Franciscus respondisset, quòd tam Dominus quàm diues facere melius potest: intulit

A 2 statim,

Corpus eius affligitur, ut anima Dei gratia appetat.

Suis vestibus exuto, militem pauperem induit.

4.

Videt palatium Crucis signis ad ornatum.

Ille spiritus ad diuina perscrutanda mysteria.

A militia diuini serui.



statim, Cur ergo relinquis pro seruo Dominum, & pro paupere homine diuitem Deum? Et Franciscus, Quid me vis Domine facere? Et Dominus ad eum; Reuertere in terram tuâ: quia visio quam vidisti, spiritualem præfigurat effectum, non humanâ, sed diuinâ in te dispositione complendum. Manè itaque facto, cum festinatione reuertitur Assisium, securus & gaudens: & iam exemplar obedientiæ factus, expectabat Domini voluntatem. Ex tunc, à publicæ negotiationis tumultu se subtrahēs, supernam deuotè precabatur clementiam; vt quid sibi foret agendum, ostendere dignaretur. Cum autem ex frequēti orationis vsu, flamma desiderij cælestis in eo vehementer succresceret, & iam pro amore supernæ patriæ, terrena omnia despiceret quasi nihil: thesaurum sentiebat se reperisse absconditum, ac velut prudens negotiator margaritam inuentam, excogitabat venditis omnibus comparare. Adhuc tamen qualiter id ageret, ignorabat: nisi quia ipsius suggereretur spiritui, quòd spiritualis mercatio à mundi contemptu sumat initium; *Christiq; militia sit à sui ipsius victoriâ inchoanda.*

*Exorationis  
usu & fre-  
quēti flam-  
ma desiderij  
cælestis.*

*Mat. 13. 44  
Ibid. 45.*

*Christi mili-  
tia à sui vi-  
ctoriâ in-  
choanda.*

f.

Quâdam itaque die, dum equitaret per planitiem, quæ subiacet ciuitati Assisij; leprosum quendam habuit obuiū: cuius inopinatus occurfus, ei non paruum incussit horrorem. Recurrens autem ad perfectionis mente iam conceptæ propositum; & recolens quòd seipsum oporteret primum deuincere, si vellet effici Christi miles: ad deosculandum eum, equo lapsus adcurrit. Cui cum manum quasi aliquid accepturus leprosus protenderet; pecuniam cum osculo reportauit. Statim autem equum ascendens, & se circumquâque conuertens; cum campus pateret vndique liber; leprosum

*S. Franciscus  
leprosum os-  
culo atque subito  
disparem.*

sum illum minimè vidit. Admiratione itaque repletus & gaudio, laudes cœpit Domino decantare deuote; proponens ex hoc semper ad maiora conscendere.

Solitaria proinde loca quærebat, amica mœroribus: in quibus dum gemitibus inenarrabilibus incessanter intenderet, post longam precum instantiam, à Domino meruit exaudiri. Dum enim vnâ dierum sic sequestratus oraret, & præ nimietate feruoris, totus esset absorptus in Deum, apparuit ei Christus Iesus, veluti cruci confixus: ad cuius conspectum liquefacta est anima eius: & memoria passionis Christi, visceribus cordis ipsius adedò impressa medullitus, vt ab illâ horâ, cum Christi crucifixio veniret in mentem, vix posset à lacrymis & gemitibus exterius cõtineri. sicut ipse postmodum familiariter retulit, cum appropinquaret ad finem. Intellexit per hoc nempe vir Dei, illud Euangelicum sibi dicti, *Si vis venire post me, abnega te ipsum, & tolle crucem tuam, & sequere me.* Induit ex tunc spiritum paupertatis, humilitatis sensum, & affectum intimæ pietatis. Nam cum priùs, leproforum non solùm consortium, verùm etiam longinquum contuitum vehementer horeret: iam propter Christum crucifixum, qui iuxta verbum Propheticum, contemptibilis vt leprosus apparuit, vt semetipsum plenè contemneret, humilitatis & humanitatis obsequia leprosis beneficâ pietate præstabat. Visitabat enim frequenter domos ipsorû, liberaliter eis elemosynas erogabat: & cum multo compassionis affectu, manus eorum osculabatur & ora. Pauperibus etiam mendicantibus non solùm sua, verùm etiam seipsum cupiebat impendere: aliquâdo vestimenta exuens, aliquando diffuens, aliquando scindens, ad lat-

6.

*Christus ei  
apparet cruci-  
fixus.*

*Mat. 16. 24.*

*1a. 13. 4.  
Christi amore  
leprosis obse-  
quiosus, &  
pauperibus.*

1. Tim. 5.  
17.  
Sacerdotes li-  
cet pauperes  
honorat.

giendum eis, cum præ manibus alia non haberet. Sacerdotibus etiam pauperibus reuerenter subue-  
niebat & pie, præcipue in ornamentis altaris: quod  
& cultus diuini particeps fieret, & cultorū inopiæ  
supplementa præberet.

7.

In melio pau-  
perum sedet  
& mendicorū

Cum autem religiosâ deuotione, tunc tempo-  
ris, limina uisitare Apostoli Petri: conspectâ mul-  
titudine pauperum ante fores Ecclesiæ; partim  
pietatis ductus dulcedine, partim paupertatis alle-  
ctus amore; vni ex eis magis egenti proprias largi-  
tus est vestes, & semicinctiis contectus illius, diem  
illum in medio pauperū cum insolitâ spiritus iocunditate transegit: vt & sæcularem gloriam sper-  
neret, & ad perfectionem Euangelicam gradatim  
conscendendo perueniret. Mortificationi carnis  
in vigilabat attentius: vt Christi crucem, quam in-  
terius ferebat in corde, exterius etiam circumfer-  
ret in corpore. Agebat autem hæc omnia vir Dei  
Franciscus, nondum habitu, vel conuictu seque-  
stratus à mundo.

## CAPVT II.

*De perfectâ conuersione eius ad Deum, & de  
reparatione trium Ecclesiarum.*

S. I.



QVONIAM autem seruus Altissimi, do-  
ctorem non habebat aliquem in huius-  
modi, nisi Christū: addidit adhuc ipsius  
elementia eum in gratiæ uisitare dulce-  
dine. Dum enim die quâdam egressus ad medi-  
tandum in agro, deambularet iuxta Ecclesiam  
sancti Damiani, quæ minabatur præ nimiam vetu-  
state ruinam; & in eam, instigante se spiritu, causâ  
orationis intrasset: prostratus ante imaginem cru-  
cifixi, non modicâ fuit in orando spiritus consolati-  
one

tione repletus. Cumque lacrymosis oculis inten-  
 deret in Dominicam crucem; vocem de ipsa cru-  
 ce dilapsam ad eum, corporeis audiuit auribus ter-  
 dicentem; Franciscus, vade, & repara domum meam,  
 quæ, ut cernis, rota destruitur. Tremefactus Fran-  
 ciscus, cum esset in Ecclesia solus, stupet ad tam  
 mirandæ vocis auditum; cordeque percipiens di-  
 uini virtutem eloquij, mentis alienatur excessu. In-  
 se tandem reuersus, ad obediendum se parat; & to-  
 tum se recolligit ad perficiendum mandatum, de  
 materiali Ecclesia reparandâ: licet principalior in-  
 tentio verbi ad eam ferretur, quam Christus suo  
 sanguine acquisiuit. sicut eum Spiritus sanctus  
 edocuit, & ipse postmodum fratribus reuelauit.  
 Surrexit proinde, signo crucis se muniens. & as-  
 sumptis pannis venalibus, ad ciuitatem quæ Ful-  
 gineum dicitur, festinus accessit: ibique venditis  
 quæ portauerat, equum cui tunc infederat, felix  
 mercator assumpto pretio dereliquit. Rediensque  
 Assisium Ecclesiam, de cuius reparatione manda-  
 tum acceperat, reuerenter intrauit; & inueto illic  
 Sacerdoti pauperculo reuerentiam decentem ex-  
 hibuit. & ad reparationem Ecclesiæ, & pauperum  
 usum pecuniam obtulit: & ut secum se morari pa-  
 teretur ad tempus, humiliter requisit. Acque-  
 uit Sacerdos de morâ ipsius: sed timore parentum  
 pecuniam non recepit, quam verus pecuniarum  
 contemtor in quandam fenestram proiciens, ab-  
 iectam velut puluerem vilipendit.

Moram autem faciente seruo Dei cum Sacer-  
 dote prædicto, cum hoc intellexisset pater ipsius,  
 perturbatus animo cucurrit ad locum. At ipse, quia  
 nouus Christi erat athleta; cum audiret persecue-  
 tium minas, & eorum præsentiret aduentum: da-  
 re locum iræ volens, in quadam occultâ foueâ se  
 abscon-

Vox è cruce  
 de reparandâ  
 Ecclesia ad  
 FRANCISCUM.

A & 20. 28.

Vendit pan-  
 nos & equum.

Pecuniam  
 abiicit.

2.

Pater eum  
 persequitur  
 animo irato

Rom. 12.

abscudit: in qua diebus aliquibus latitando, rogabat Dominum incessanter, lacrymarum imbre perfusus, ut liberaret de manibus persequentium animam suam: & pia quæ inspirauerat vota benigno favore compleret. Igitur excessiuâ quadam completus lætitiâ, cœpit de pusillanimitatis ignaviâ semetipsum arguere: relictaque foueâ, & abiecto pauore, versus ciuitatem Assisij iter aggressus est. Quem cum ciues cernerent facie squalidum, & mente mutatum; ac per hoc alienatum putarēt à sensu: luto platearum, & lapidibus impetebant; & tanquam infano & dementi, clamosis vocibus insultabât. Famulus autem Domini nullâ fractus aut mutatus iniuriâ, ut surdus in omnibus pertrâsibat. Cumque clamorem huiusmodi pater audisset, statim accurrens, non ad liberandum eum, sed potius ad perdendû: omni miseratione subtractâ, pertractum, domi primò verbis, deinde verberibus & vinculis angit. Ipse autem ad exsequendû quod cœperat, pròptior ex hoc & validior reddebatur: recolens illud Euangelij verbum, *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum celorum.*

Et in vincula conicit.

Mat. 5. 10.

3.  
Mater è vinculis eius liberat.

Obuius ite parenti.

Post modicum verò tempus, patre à patriâ discedente, mater eius factum mariti nō approbans, & inflexibilem filij cōstantiam emolliri posse non sperans: à vinculis absolutum abire permisit. At ipse gratias omnipotenti Deo referens, ad locū in quo prius fuerat, est reuersus. Rediens autem pater, & eum non inueniens domi, conuitiis illatis vxori, fremens cucurrit ad locum: ut si eum reuocare non posset, saltem de prouinciâ effugaret. Franciscus verò confortatus à Deo, obuium vtrò se obtulit patri furētī, liberâ voce clamans, se pro nihilo ducere vincula & verbera eius: insuper &

con-

contestans, se pro Christi nomine gaudēter mala omnia subiturū. Videns itaque pater quod eum reuocare non posset, ad extorquendam pecuniam se conuertit: quā tandē inuentā in fenestrenulā quadam, aliquantulū ipsius mitigatus est furor, auaritiæ siti utrunque per haustum pecunię temperatā.

Tentabat deinde pater carnis, filium gratiæ, pecuniā iam nudatum ducere coram Episcopo ciuitatis: ut in ipsius manibus, facultatibus renunciaret paternis, & omnia redderet quæ habebat. Ad quod faciendum, se promptum exhibuit verus paupertatis amator. Perueniensque coram Episcopo, nec moras patitur, nec cunctatur de aliquo, nec verba expectat, nec facit: sed continuo depositis omnibus vestimentis, restituit ea patri. Inuentus est autem tunc vir Dei cilicium habere ad carnem, sub vestibus delicatis. Insuper ex admirando seruore, spiritu ebrius, reiectis etiam femoralibus, totus coram omnibus denudatur, dicens ad patrem: *Vsque nunc vocavi te patrem in terris, a modo autem securè dicere possum, "Pater noster qui es in calis: apud quem omnem thesaurum reposui, & omnem spei fiduciam collocaui.* Hoc cernens Episcopus, & admirans tam excedentem in viro Dei feruorem, protinus exsurrexit: & inter brachia sua illum cum fletu recolligens, uti erat vir pius & bonus; pallio quo erat amictus operuit; præcipiens suis, ut aliquid sibi darent ad mēbra corporis contegenda. Oblatus est autem ei mantellus pauper & vilis, cuiusdam agricolæ seruiantis Episcopo: quem ipse gratanter suscipiens, cū cæmento quod sibi occurrit, ad modum crucis manu propriā consignauit; operimentū formans ex eo crucifixi hominis, & pauperis seminudi. Sic igitur seruus Regis altissimi nudus relictus est, ut nudum sequere-

4.

*Cedit patri omnia, etiam vestes.*

*O vocē vni filij Dei Math. 6. 9.*

*Crucis signo ex calce se insignit.*

<sup>a</sup> Sap. 10. 5.

rum crucifixum Dominum, quem amabat: sic utique cruce munitus, ut animam suam ligno salutis committeret, per quod de mundi naufragio saluus exiret.

5.

Solutus exinde mundi contemtor à vinculis mundanarum cupidinum; ciuitate relicta, securus & liber secretum solitudinis petiit: ut solus & silens, superne audiret allocutionis arcanum. Dumque per siluam quandam iter faciens, laudes Domino lingua Francorum, vir Dei Franciscus de-

*Latrones cum  
adoriuntur in  
silua.*

cantaret cum iubilo: latrones super eum ex abditis irruerunt. Quibus ferali animo, quis esset interrogantibus; vir Dei confidentiam plenus, Prophetica voce respondit, Præco sum magni Regis. At illi percutientes eum, in defossum locum plenum niuibus proiecerunt, dicentes: Iace rustice, præco Dei. Ipse verò, recedentibus illis, exsiliuit de foueâ: magnoque exhilaratus gaudio, altiori coepit voce per nemora laudes Creatori omnium personare.

Et veniens ad quoddam vicinum cœnobium, elemosynam petiit ut mendicus: & recepit ut incognitus & despectus. Inde verò progrediens, deuenit Euglubium: ubi à quodam amico pristino agnitus & susceptus, paupere tunicula, ut Christi pauperculus, est contectus. Exinde, totius humilitatis amator se transtulit ad leprosos: eratque cum eis,

<sup>a</sup> Vide cap. 8  
S. 4.  
*Leprosi mi-  
nistriat offi-  
siose.*

diligentissime seruiens omnibus propter Deum. lauabat ipsorum pedes, ligabat vlcera, educebat plagarum putredinem, & saniam abstergebat. Osculabatur etiam ex miranda deuotione vlcerofas plagas ipsorum, Euangelicus medicus mox futurus. Propter quod tantam est à Domino consequutus virtutem, ut in spiritualibus & corporalibus morbis mirabiliter expurgandis, mirabilem efficaciam obtineret.

Refe-

Referam vnū de multis, quod accidit, viri Dei famā postmodum latius clarescente. Cū enim cuiusdam de comitatu Spoletano, os pariter & maxillam, morbus quidam horribilis depascendo corroderet; nec subueniri posset eidē aliquo medicinæ remedio: contigit vt propter sanctorum exposcēda merita, Apostolorum visitatis liminibus, de peregrinatione rediens, seruo Dei occurreret. Cumque præ deuotione vellet ipsius osculari vestigia: vir humilis hoc non ferens, osculari volenti pedes, osculū oris dedit. Dum autem leprosum seruus Franciscus, mirabili pietate, illam plagam horribilem ore sacro contingeret: omni fugato morbo, subitō æger ille sanitatem recuperauit op-  
 tatam. Nescio quod horum magis sit meritō admirandum: an humilitatis profunditas in osculo tam benigno; an virtutis præclaritas, in miraculo tam stupendo.

Osculo leprosum sanat.

Fundatus iam in Christi humilitate Franciscus, ad memoriam reducit obedientiam sibi è Cruce iniunctam, de S. Damiani Ecclesiā reparandā; & tanquam verus obediens Assisum rediit: vt saltem mendicando, voci diuinæ pareret. Depositaque omni verecundia, propter amorem pauperis crucifixi, mendicabat apud eos, inter quos abundare solebat, debile corpus, attritum ieiuniis, oneribus lapidum supponendo. Prædictā igitur Ecclesia, iuuantē se Domino, & deuotione ciuium assistente, refectā: ne post laborem corpus torperet ignauā, transtulit se ad reparandam Ecclesiam quandam B. Petri, longius à ciuitate distantem: ob deuotionem specialem, quam ad Apostolorū principem, sinceræ fidei puritate, gerebat. Hac tandem Ecclesia consummata, peruenit ad locum qui Portiuncula dicitur: in quo Ecclesia beatissimæ virginis

7.

Tres Ecclesias reparat. Sup. § 1.

Portiuncula in qua S. Maria de Angelis adicula.



ginis genitricis Dei antiquitus fabricata extiterat, sed deserta tunc à nemine curabatur. Quam cum vir Dei sic derelictam cōspiceret, ob deuotionem, feruentem, quam habebat ad Dominam mundi, cœpit illic assidue, pro ipsius reparatione morari. Sentiens autem, iuxta nomen ipsius Ecclesiæ, quo ab antiquo, S. Maria de Angelis vocabatur, Angelicarum ibi uisitationum frequentiam: pedem fixit ibidem, propter reuerentiā Angelorum, amoremque præcipuum matris Christi.

8. Hunc locū vir sanctus amauit præ ceteris mundi locis. Hic etenim humiliter cœpit. hic virtuosè profecit. hic feliciter cōsummauit: hunc in morte fratribus, tanquam virgini carissimum, cōmendauit. De hoc, frater quidam Deo deuotus, ante conuersionem suam, uisionem uiderat relatione condignam. Innumeros cernebat homines cæcitate percussos, facie in cælum directâ, & genibus flexis, in huius Ecclesiæ stare circuito: qui omnes protēsis manibus in altum, lacrymabiliter clamabant ad Deum, misericordiam postulantes, & lumen. Et ecce ingens de cælo splendor aduenit, se per omnes diffundens: qui lumen unicuique tribuit, & salutem desideratam concessit. Hic est locus, in quo fratrum Minorum ordo à S. Francisco, per diuinæ reuelationis instinctum inchoatus est. Diuinæ namque prouidentię nutu, quâ Christi seruus dirigebatur in omnibus, tres materiales erexit Ecclesias, antequam Ordinem inchoans, Euangelium prædicaret: ut non solū à sensibilibus ad intelligibilia, à minoribus ad maiora, ordinato progressu conscenderet; verū etiam, ut quid esset factururus in posterum, sensibili foris opere, mysterialiter præsignaret. Nam instar reparatæ triplicis fabricæ, ipsius sancti viri ducatu; secundum

*Visio miranda  
cuiusdam  
fratris de  
cæcis illuminatis*

*Trium Eccle-  
siarum myste-  
rium.*

dum datam ab eo formam, regulam & doctrinam,  
 Christi triformiter renouanda erat Ecclesia, tri- <sup>Inf. cap. 4</sup>  
 naque triumphatura militia saluandorum, sicut <sup>§. 5. & seq.</sup>  
 & nunc cernimus esse completum.

## CAPVT III.

De institutione Religionis, & approbatione  
 Regulae.

**I**N Ecclesia igitur Virginis matris Dei, §. 1.  
 moram faciente seruo ipsius Francisco:  
 & apud eam, quae concepit<sup>1</sup> verbum ple- <sup>Ioan. 1. 14</sup>  
 num gratiae & veritatis, continuis insistente gemi-  
 tibus, vt fieri dignaretur Aduocata ipsius: meritis  
 matris misericordiae concepit ac peperit spiritum  
 Euangelicae veritatis. Dum enim die quodam, Mis-  
 sam de Apostolis deuotus audiret: perlectum est  
 Euangelium illud, in quo Christus discipulis ad  
 praedicandum mittendis, formam tribuit Euange-  
 licam in viuendo; *ne videlicet possideant aurum,* <sup>Mat. 10. 9.</sup>  
*vel argentum, nec in zonis pecuniam, nec peram in* <sup>S. Franciscus</sup>  
*via, nec duas tunicas habeant, nec calceamenta dese-* <sup>fit pauper</sup>  
*rant, neque virgam.* Quod audiens & intelligens, <sup>Euangelicus.</sup>  
 ac memoriae commendans Apostolicae paupertatis  
 amicus, indicibili mox perfusus laetitia; Hoc  
 est, inquit, quod cupio: hoc quod totis praecordiis  
 concupisco. Soluit proinde calceamenta de pe-  
 dibus, deponit baculum, peram reicit, & pecu-  
 niam execratur, vnaque contentus tunicula, reiecta  
 corrigia, pro cingulo funem sumit, omnem solici-  
 tudinem cordis apponens, qualiter audita perficiat,  
 & Apostolicae rectitudinis regulae per omnia  
 se coarctet. Cœpit ex hoc vir Dei, diuino instinctu,  
 Euangelicae perfectionis æmulator existere, & ad  
 penitentiam ceteros inuitare. Erant autem ipsius  
 eloquia

Sermo eius  
corda pene-  
trans.

Pacem pre-  
ca-  
vi fensper, Do-  
mino reuelate  
didicit.

Isa. 52.7.

2.

Bernardus  
S. Fran. pri-  
mogenitus.

eloquia non inania, nec risu digna, sed virtute Spi-  
ritus sancti plena, medullas cordis penetrantia: vt  
in vehementem stuporē audientes conuerterent.  
In omni prædicatione suâ, pacem annuncians, di-  
cendo: *Dominus det vobis pacem*; populum in ser-  
monis exordio salutabat. Hanc quippe salutatio-  
nem Domino reuelante didicerat: sicut ipse post-  
modum testabatur. Vnde factum est, vt iuxta ser-  
monem Propheticum, & ipse Prophetarum spiri-  
tu afflatus, annuntiaret pacem, prædicaret salu-  
tem; ac salutaribus monitis fœderaret plurimos  
veræ paci, qui discordes à Christo prius, exstite-  
rant à salute longinqui.

Innotescente itaque apud multos viri Dei tam  
doctrinæ simplicis veritate, quàm vitæ: cœperunt  
ipsius exemplo viri quidam ad pœnitentiam ani-  
mari, & eidem, reiectis omnibus, habitu vitæque  
coniungi. quorum primus extitit vir venerabilis  
Bernardus, qui vocationis diuinæ particeps factus,  
Patris beati primogenitus esse promeruit, tã prio-  
ritate tēporis quã priuilegio sanctitatis. Hic enim  
serui Christi sanctitate comperta: ipsius exemplo  
disponens perfectè contemnere mundum, ab eo-  
dem qualiter id perficeret, consilium requisit.  
Quo audito, Dei famulus, pro primæ prolis con-  
ceptu, sancti Spiritus consolatione repletus, à Deo  
est, inquit, hoc consilium requirendum. Intraue-  
runt proinde Ecclesiam sancti Nicolai, manè iam  
facto: & oratione præmissâ, cultor Trinitatis Fran-  
ciscus, ter Euangeliorum librum aperuit, trino ex-  
poscens à Deo testimonio, sanctum Bernardi pro-  
positum confirmari. In primâ libri apertione illud  
occurrit, *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia  
quæ habes, & da pauperibus*. In secundâ, *Nihil tuleris  
in via*. In tertiâ verò: *Qui vult venire post me,  
abne-*

Mat. 19. 21.

Mar. 6. 8.

Mat. 16. 24.

abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Hæc est (ait vir sanctus) vita & Regula nostra, omniumque qui nostræ voluerint locietati coniungi. Vade igitur, si vis perfectus esse, & perfice quæ audisti.

Non multò post, vocatis eodem spiritu quinque viris, filiorum Francisci senarius numerus completus est. inter quos tertium sortitus est locum sanctus pater Ægidius, vir utique Deo plenus, & celebri memoriâ dignus. Hic etenim postmodum, virtutum sublimium exercitatione præclarus, (sicut famulus Domini de ipso prædixit) quanquam esset idiota, & simplex, ad excelsæ contemplationis sublimatus est verticem. Nam per multa curricula temporum, sursum actionibus incessanter intentus, aded crebris in Deum rapiebatur excessibus: (quemadmodum & ego ipse oculatâ fide conspexi) ut magis censeretur inter homines vitam Angelicam agere, quàm humanam.

Illo quoque tempore, cuidam Sacerdoti civitatis Assisij, nomine Siluestro, honestæ conversationis viro, quædam à Domino fuit ostensa visio non tacenda. Cum enim modum, & vitam Francisci, fratrumque suorum humano spiritu abhorreret: ne perichitaretur pro temeritate iudicij, respectu fuit supernæ gratiæ visitatus. Videbat namque in somnis, totam Assisij civitatem à dracone magno circumdari: præ cuius magnitudine nimiam, tota regio videbatur exterminio subiacere. Contuebatur post hæc, crucem quandam auream ex ore procedentem Francisci, cuius summitas cælos tangebat, cuiusque brachia protensa in latum, usque ad mundi fines videbatur extendi. ad cuius etiam aspectum præfulgidum, draco ille teter & horridus, penitus fugabatur. Hoc dum sibi tertio monstrare-

3.

Ægidium tertium S. Francisci filium.

4.

Visum Siluestri Sacerdotis.

Crucem ex ore S. Francisci fugat draconem.

straretur, diuinum æstimans esse oraculum, viro Dei & fratribus suis per ordinem enarrauit: ac non multò post tempore, mundum relinquens, vestigiis Christi sic perfectè adhæsit, quòd vita ipsius in ordine, authenticam reddidit eam, quam in sæculo habuerat visionem. Ex huius visionis auditu, vir Dei non in gloriâ est elatus humanâ: sed bonitatem Dei in suis beneficiis recognoscens, fortius animatus est ad hostis antiqui fugandâ versutiam, & Crucis Christi gloriam prædicandam.

5. Quâdam autem die, dum in quodam solitario loco annos suos in amaritudine recogitans deploraret: sancti Spiritus in eum superueniente lætitiâ, certificatus est de remissione plenariâ omniû delictorum. Raptus deinde supra se, ac in quoddam mirandum lumen totus absorptus: dilatato mentis sinu, quæ circa se, & filios suos futura erant, luculèter aspexit. Post hoc reuersus ad fratres, Confortamini, ait, carissimi, & gaudete in Domino; nec quia pauci estis, efficiamini tristes, neque vos terreat mea vel vestra simplicitas: quoniam sicut mihi à Domino in veritate ostensum est, in magnam multitudinem faciet nos Deus crescere, suæq; benedictionis gratiâ multipliciter dilatabit.

*Ordinis sancti Francisci magna incrementa.*

6. Eodem quoque tempore, quodam alio bono viro religionem intrâte, ad septenarium numerum, viri Dei soboles benedicta peruênit. Tunc pius pater omnes ad se filios conuocauit: & plura eis de regno Dei, de contemptu mundi, de abnegatione propriæ voluntatis, corporisq; castigatione pronuncians; propositum suum, de mittendo illos in quatuor partes orbis, aperuit. Iam enim sterilis, & paupercula simplicitas sancti Patris, pepererat septem filios: & desiderabat vniuersitatem fidelium ad poenitentia lamenta vocatâ, Christo Domino

*Mittit fratres septem in quatuor orbis partes.*

par-

parturire. Ite, inquit, dulcis pater ad filios, annun-<sup>Mat. 10. 13.</sup>  
 ciantes hominibus pacem: prædicate pœnitenti-<sup>Luc. 9. 5.</sup>  
 tiam in remissionem peccatorum. Estote in tribu-  
 lationibus patientes, in orationibus vigiles, in la-  
 boribus strenui, in sermonibus mōdesti, in mori-  
 bus graues, & in beneficiis grati: quia pro his om-  
 nibus regnum vobis præparatur æternum. At illi  
 coram seruo Dei humiliter se prosternētes in ter-  
 ram, cum gaudio spiritus suspiciebant obedientiæ  
 sanctæ mandatum. Ipse verò dicebat vnique  
 sigillatim, *Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse*<sup>Psal. 54. 23.</sup>  
*te enutriet.* Hoc verbum dicere solitus erat, quo-  
 tiescunque fratrem aliquem ad obedientiam diri-  
 gebat. Tunc & ipse sciens se datum aliis in exem-  
 plum, vt prius faceret, quàm doceret: cum vno so-<sup>Act. 1. 12.</sup>  
 ciorum versus vnā orbis partem perrexit, reli-  
 quis sex ad modum Crucis, tribus aliis mundi par-<sup>Ad Crucis  
formam.</sup>  
 tibus deputatis. Modico autem elapso pōst tem-  
 pore, benignus pater caræ prolis exoptans præsen-  
 tiam, cum in vnum eos per se conuocare non pos-  
 set: per eū orabat hoc fieri, qui dispersiones con-<sup>Psal. 146. ad  
Dispersos  
oratione con-  
gregauit.</sup>  
 gregat Israelis. Sicque factum est, vt absque huma-  
 nā vocatione, omnes ex insperato, post modicum  
 temporis, iuxta eius desiderium, diuinā operante  
 clementiā, non sine ipsorum admiratione, pariter  
 conuenirent. Illis quoque diebus, quatuor sibi ad-  
 hærentibus viris honestis, ad duodenarium nume-  
 rum excreuerunt.

Certens autem famulus Christi, paulatim ac-<sup>7.</sup>  
 crescere numerum fratrum, scripsit sibi & fratri-  
 bus suis, simplicibus verbis formulam vitæ: in quā<sup>Regulam  
scribit.</sup>  
 sancti Euangelij obseruantia pro fundamento in-  
 dissolubili collocatā, pauca quædam alia inseruit,  
 quæ ad vniformem viuendi modum necessaria vi-  
 debantur. Desiderans autem per summum Ponti-  
 ficem

B ficem

*Visio S. Fran-  
cesci de arbore  
altæ se incli-  
nante.*

*Visum san-  
cti Pontificis  
Iudo. tercij,  
de palma cre-  
scente.*

ficem approbari quæ scripserat: disposuit cum illo simplicium cœtu, Apostolicæ Sedis adire præsentiam, de solâ confusus directione diuinâ. Cuius desiderium Deus ex alto respiciens, sociorû animos simplicitatis suæ consideratione perterritos, ostensâ viro Dei visione huiusmodi, confortauit. Videbatur siquidem ei, quòd per quandam viam incederet, iuxta quam stabat arbor celsitudinis magnæ: ad quam cum appropinquasset, & sub eâ stans ipse altitudinem miraretur; subitò tantum diuinâ virtute leuabatur in altum, vt cacumen contingeret arboris, eiusque summa facillimè curuaret ad ima. Huius visionis præsagium, vir Deo plenus, intelligens referri ad condescensionem Apostolicæ dignitatis, exhilaratus est spiritu: fratribusque suis in Domino confortatis, iter cum eis aggressus est. Cùm autem ad Romanam Curiam peruenisset, & adduceretur ante conspectum summi Pontificis; essetq; Christi vicarius in Palatio Lateranensi, in loco qui dicitur Speculum, deambulans, altissimis occupatus meditationibus; Christi famulum tanquam ignotum repulit indignanter. Quo humiliter foras egresso, sequenti nocte, huiusmodi reuelatio facta est à Deo, ipsi summo Pontifici. Videbat namque inter pedes suos palmam paulatim succrescere, & in arborem pulcherrimam eleuari. & eo mirante, quid hæc visio vellent ostendere: diuina lux impressit menti ipsius Christi Vicarij, quòd hæc palma illum pauperem, quem in præcedenti die repulerat, designabat. Et manè sequenti mandauit per suos famulos, per urbem, dictum pauperem quæri. Quem inuētum iuxta Lateranum, in hospitali sancti Antonij, ante cōspectum suum celeriter iussit adduci. Cùmque introductus esset ante cōspectum summi Pontificis, exposuit suum pro-

pro-

propositum: petens humiliter & instanter, supra-  
dictam sibi viuendi Regulam approbari. Videns  
autē Christi Vicarius, Dominus Innocentius Ter-  
tius, vir utique sapientiā clarus; admirandam in vi-  
ro Dei, simplicis animi puritatem, propositi con-  
stantiam, ignitumq; voluntatis sanctæ feruorem;  
Christi pauperem mentis amore complectens, in-  
clinatus est animo, vt pium supplicanti præberet  
assensum. Distulit tamen perficere, quod Christi  
postulabat pauperculus: pro eo quod aliquibus de  
Cardinalibus nouum aliquid, & supra vires huma-  
nas arduum videretur.

Aderat autem inter Cardinales vir venerandus,  
Dominus Ioannes de sancto Paulo, Episcopus Sa-  
binensis, omnis sanctitatis amator, & adiutor pau-  
perum Christi: qui diuino spiritu inflamatus, sum-  
mo Pontifici dixit, & fratribus suis; Si petitionem  
pauperis huius, tanquam nimis arduam nouamq;  
refellimus, cum petat confirmari sibi formam Eu-  
angelicæ vitæ; cauendum est nobis, ne in Christi  
Euangelium offendamus. Nam si quis intra Euan-  
gelicæ perfectionis obseruantiam, & votum ipsius,  
dicat contineri aliquid nouum, aut irrationabile,  
vel impossibile ad seruandum: contra Christum  
Euangelij auctorem blasphemare conuincitur.

Quibus propositis, successor Apostoli Petri con-  
uersus ad pauperem Christi, dixit; Ora fili ad Chri-  
stum, vt suam nobis per te voluntatem ostendat:  
quā certius cognitā, tuis piis desideriis securius an-  
nuamus. Omnipotentis autem Dei famulus, to-  
tum se conferens ad orandum; precibus deuotis  
obtinuit, & quod exteriùs ipse proferret, & quid  
interiùs Papa sentiret. Nam cum parabolam de  
diuite Rege, cū muliere formosā & paupere con-  
trahente gratanter; & de prole susceptā præferente

&amp;

*Euangelium  
Christi nil  
conipet im-  
possibile.*

*parabola im-  
signis.*



generantis Regis imaginem; ac per hoc educandâ de mensâ ipsius, sicut à Deo acceperat, retulisset: ex illius interpretatione subiunxit, Non est formidandum, quod fame pereant æterni Regis filij, & hæredes, qui ad imaginem Regis Christi, per Spiritus sancti virtutem de paupere matre nati, & ipsi per spiritum paupertatis sunt in Religione pauperculâ generandi. Si enim Rex cælorum imitatoribus suis regnum promittit æternum: quanto magis illa subministrabit, quæ communiter largitur bonis, & malis? Hanc ergo parabolam, & intellectum ipsius, Christi Vicarius cum diligenter audisset, miratus est valde: & indubitatè Christum loquutum in homine recognouit. Sed & visionem, quam tunc temporis è cælo perceperat, in hoc viro fore complendam, Spiritu diuino suggerente firmavit. Videbat namque in somnis (vt retulit) Lateranensem Basilicam fore proximam iam ruinæ: quam quidam homo pauperculus, modicus & despectus, proprio dorso submisso, ne caderet, sustentabat. *Verè, inquit, hic est ille, qui opere & doctrinâ, Christi sustentabit Ecclesiam.* Inde præcipuâ deuotione repletus, petitioni eius se per omnia inclinavit: ac Christi famulum, speciali semper amore dilexit. Proinde postulata concessit, & adhuc concedere plura promisit. approbavit Regulam, dedit de penitentia prædicanda mādatum, & laicis fratribus omnibus, qui seruum Dei fuerant comitati, fecit coronas paruulas fieri, vt verbum Dei liberè prædicarent.

Mat. 19. 28

S. Franciscus  
sustentat  
ruentem Ec-  
clesiam.

Regula eius  
prima appro-  
batur a D. In-  
nocentio Pon-  
tifice. 11.

CAP.

## CAPVT IV.

*De profectu Ordinis sub manu ipsius. & confirmatione Regule prius adprobatae.*

**R**ETVS exinde Franciscus supernâ gratiâ, & auctoritate Papali; cū fiduciâ multâ Re. it ad val-  
em Spoletan-  
nam versus vallem Spoletanam iter arripuit: Ag. 1. 1. vt Euangelium Christi faceret & doceret. Dum autem in viâ conferret cum sociis, qualiter Regulam quam susceperant, sincerè seruarent; qualiter Luc. 1. 75. in omni sanctitate, & iustitiâ coram Deo incederent; qualiter in seipsis proficerent, & essent aliis in exemplum: diutiùs collatione protractâ, hora pertransijt. Et cū iam lassati essent ex diurnitate laboris, esurientes in quodâ loco solitudinis subsisterunt. Sanè cū omnis via deesset, quâ possent sibi de victu necessario prouidere: statim affuit prouidentia Dei. Nam subito apparuit homo, afferens panem in manu, quem pauperulis Christi Panis affertur  
diuinitus in  
solitudine. dedit: subito què disparuit, incognitus vnde venerit, aut quò iret. Cognoscetes autem per hoc pauperes fratres, supernum sibi in comitatu viri Dei adesse præsidium: magis dono liberalitatis diuinæ, quàm cibo carnis propriæ sunt refectioni. Insuper diuinâ consolatione repleti, statuerunt firmiter, & irreuocabiler confirmauerunt, nullius inediæ aut tribulationis impulsu, à sanctæ paupertatis resilire promisso.

Exinde in vallem Spoletanam cum sancto proposito redeuntes, tractare cœperunt; vtrum inter homines conuersari deberent, an ad loca solitaria se conferre. Sed Christi seruus Franciscus, non de suâ vel suorum confidens industriâ: per orationis instantiam, diuinæ super hoc voluntatis beneplacitum

*S. Franciscus  
non tam sibi  
quàm aliis  
natus.*

*2. Cor. 5. 12.*

*1. Cor. 2. 2.  
Liber S. Cru-  
cis studiose  
legitur fra-  
tibus.*

*3.  
S. Franciscus  
docet fratres  
orare.  
Psal. 148. 1.  
Dan. 5. 12.  
Credere quod  
Rom. tenet  
Ecclesia &  
confiteri.*

4.

citum requisivit. Supernæ igitur reuelationis illustratus oraculo : intellexit se ad hoc missum à Domino, vt Christo lucraretur animas, quas diabolus conabatur auferre. Ideoq; magis omnibus, quàm sibi soli viuere prælegit : illius prouocatus exemplo, qui vnus pro omnibus mori dignatus est. Recollegit itaque se vir Dei cū ceteris sociis, in quodam tugurio derelicto iuxta ciuitatem Assisij : in quo secundum sanctæ paupertatis formam, in labore multo, & inopiâ victitabant: magis lacrymarum, quàm deliciarum panibus refici satagentes. Vacabant enim ibidem diuinis precibus incessanter, mentaliter potius quàm vocaliter, studio intendentes orationis deuotæ: pro eo quòd nondum Ecclesiasticos libros habebant, in quibus possent horas Canonicas decantare. loco tamen illorum, librum Crucis Christi continuatis aspectibus, diebus ac noctibus reuoluebant, exemplo Patris & eloquio eruditi, qui iugiter faciebat eis de Cruce Christi sermonem.

Rogantibus autem fratribus, vt eos doceret orare, dixit, cū orabitis, dicite, Pater noster. & Adoramus te Christe, ad omnes Ecclesias tuas, quæ sunt in toto mundo, & benedicimus tibi: quia per Crucem tuam sanctam redemisti mundum. Docuit insuper eos, Dominum laudare in omnibus, & ex omnibus creaturis: honorare præcipuâ reuerentiâ sacerdotes: fidei quoque veritatem, secundum quod sancta Romana tenet & docet Ecclesia, & firmiter credere, & simpliciter confiteri. Seruabant illi Patris sancti documenta per omnia: & ad omnes Ecclesias & Cruces, quas è longinquo videre poterant, iuxta datam sibi formam orantes, se humiliter prosternebant.

Contrahebant autem fratribus moram in loco præ-

præfato: vir sanctus, die quadam Sabbathi ciuitatem Assisij intrauit, prædicaturus manè diei Dominicę, vt moris erat, in Ecclesia cathedrali. Cumque in quodam tugurio, sito in orto Canonorum, vir Deo deuotus, in oratione Dei, more solito pernoctaret, corporaliter absentatus à filiis: ecce ferè mediâ noctis horâ, quibusdam ex fratribus quiescentibus, quibusdâ perseverantibus in orando; currus igneus mirandi splendoris per ostiũ domus intrans, huc atque illuc per domicilium terriò se conuertit: super quem globus lucidus residebat, qui Solis habens aspectum, noctem clarere fecit. Obstupesciti sunt vigilantes, excitati simul & exterriti dormientes: & non minùs senserunt cordis claritatem, quàm corporis; dum ex virtute mirandi luminis, alterius alteri conscientia nuda fuit. Intellexerunt namque concorditer omnes, videntibus inuicem vniuersis in cordibus singulorum, sanctum Patrem absentem corpore, præsentẽ spiritũ, tali transfiguratum effigie, supernis irradiatum fulgoribus, & ardoribus inflammatum, supernaturali virtute, in curru splendente simul & igneo, sibi demonstrari à Domino; vt tanquã veri Israclitæ post illum incederent; qui virorum spiritualium, vt alter Elias, factus fuerat à Deo currus & auriga. Credendum sanè, quòd ille horum simplicium aperuit oculos ad preces Francisci, vt viderent magnalia Dei: qui oculos quòndam aperuerat pueri, ad videndum montem plenũ equorum, & igneorum curruum in circuitu Elisæi. Regressus autẽ vir sanctus ad fratres, cœpit conscientiarum ipsorum secreta rimari: confortare ipsos de visione illâ mirabili, & de profectu Ordinis multa futura prædicere. Cumque patèfaceret plurima, quæ sensum transcendebant humanum: verè co-

S. Franciscus  
apparet in  
curru igneo.

ed. 4. 200 1

videtur  
mirabiliter  
clarere

1. Reg. 2. 11  
Curus  
auriga virorũ  
spiritualium.  
1. Reg. 6. 17

gnouerunt fratres, super seruum suū Franciscum, Spiritum Domini in tantā plenitudine quieuisse: quòd post ipsius doctrinam & vitam, erat eis proficisci tutissimum.

*S.*  
*Ad Portiun-*  
*gulam venit.*

*1 Cor. 2. 4.*

*Videbatur*  
*hom. alterius*  
*seculi.*

*Ordo fratrum*  
*de penitentia*  
*incipit.*

*S.*  
*S. Clara con-*  
*uersa.*

Post hæc pusilli gregis pastor Franciscus, ad sanctam Mariam de Portiunculā, duodenariū illum fratrum numerum, supernā gratiā præeunte, deduxit: ut ubi meritis matris Dei Minorum sumpserat Ordo initium, ipsius illic susciperet auxiliis incrementum. Ibi quoque factus Euangelicus præco, ciuitates circuibat & castra: *non in doctis humane sapientiæ verbis*, sed in virtute spiritus annuncians regnum Dei. Videbatur intuentibus homo alterius seculi: quippe qui mente ac facie in cælum semper intentus, omnes sursum trahere conaretur. Cæpit ex hoc, Christi vinea germinare germen odoris Domini: & productis ex se floribus suauitatis, honoris, & honestatis, yberes fructus afferre. Nam prædicationis ipsius feruore succensa quamplurimi vtriusque sexus in coniugali pudicitia Domino famulantes, secundum formam à Dei viro acceptam, nouis se pænitiæ legibus vinciebant: quorum viuendi modum idem Christi famulus, Ordinem fratrum de pænitiā nominari decreuit. Nimirum, sicut in cælum tendentibus, pænitiæ viam omnibus constat esse communem: sic & hic Status, Clericos & laicos, virgines & coniugatos in vtroque sexu admittens, quanti sit apud Deum meriti, ex pluribus per aliquos ipsorum patris miraculis, innotescit.

Conuertebantur etiam virgines ad perpetuum cœlibatum: inter quas virgo Deo carissima Clara, ipsarum plantula prima, tanquam flos vernans & candidus, odorem dedit, & tanquam stella præfulgida radiavit. Hæc nunc glorificata in cælis, ab  
Eccle-

Ecclesiã dignè veneratur in terris: quæ filia fuit in Christo sancti Patris Francisci pauperuli, & mater pauperum dominarum. Multi etiam non solum deuotione compuncti, sed & perfectionis Christi desiderio inflammati: omni mūdānorum vanitate contemtā, Francisci vestigia sequebātur. Qui quotidianis succrescentes profectibus, vsque ad fines orbis terræ celeriter peruenerunt. Faciebat namque sancta paupertas, quam solam deferrebant pro sumptibus, ipsos ad omnē obedientiam promptos, robustos ad labores, & ad itinera expeditos. Et quia nihil terrenum habebant, nihil amabant, nihilq; timebant amittere: securi erant vbi que, nullo pauore suspēsi, nullā curā distracti, tanquam qui absque mentis turbatione viuebant, & sine sollicitudine diem crastinum, & serotinū hospitium expectabant.

Multa quidem eis in diuersis partibus orbis, inferebantur conuitia, tanquam personis despiciabilibus & ignotis: verū amor Euangelij Christi, adeo ipsos patientes effecerat, vt quærerent potius ibi esse, vbi persecutionem paterentur in corpore, quàm vbi, cognitā sanctitate ipsorum, mundano possent gloriari fauore. Ipsa quoque rerum penuria superabundans eis videbatur vbertas: dum iuxta consilium Sapientis, *pro magno ipsis mentium* complacebat. Sanè cum ad infidelium partes aliqui ex fratribus peruenissent, contigit, vt quidam Saracenus pietate commotus, pecuniam eis offerret pro necessario victu: illis autem recusantibus accipere, admiratus est homo, cernens quòd inopes essent. Intellecto tandē, quòd pauperes effecti amore Dei, pecuniam possidere nolebant: tantā est eis affectione coniunctus, vt offerret se ad ministrandum omnia necessaria, quàm diu facultatum sibi

B 5                      aliquid

Mater pauperum dominarum.

7.

Frater multa patiuntur fortiter.

Eccl. 29. 30. Saraceni pietas erga fratres.

aliquid superesset. O inestimabilis pretiositas paupertatis! cuius mirandâ virtute mens feritatis barbaricæ, in tantam miserationis est immutata dulcedinem! Horrendû est proinde ac nefariû (celus, vt hanc margaritam nobilè vir Christianus conculcet, quam tâta veneratione extulit Saracenus.

8.

*Frat. Moricus à S. Franciscano.*

Eo tempore religiosus quidam de ordine Cruciferorum, Moricus nomine, in hospitali quodam prope Assisium, languore tam graui, tamque prolixo laborans, vt iam morti foret adiudicatus à medicis; viro Dei supplex factus, per nuncium postulabat instanter, vt pro se ad Dominum intercedere dignaretur. Cui beatus pater benignè assentiens, oratione præmissâ, panis micæ accepit: & cum oleo accepto de lampade, quæ coram Virginis ardebat altari, commiscens, quasi quoddam electuarium, per manus fratrum infirmanti transmisit, dicens; Medicinam hanc fratri nostro deferte Morico: quia ipsum Christi virtus non solum plenè sanitati restituet, verum etiam robustum bellatorem effectum, aciei nostræ perseueranter adiunget. Statim autem vt antidotum illud, sancti Spiritus adinventione confectum, æger homo gustauit; sanus exurgens, tantum mentis & corporis à Deo vigorem obtinuit, vt paulo post, viri sancti Religionem ingressus & vnicâ tantum operiretur tuniculâ, sub quâ longo tempore loriam portabat ad carnem; & crudis duntaxat cibariis, herbis videlicet, leguminibus, fructibusque contentus, per plura temporû lustra, nec panem gustaret nec vinum, fortis tamen & incolumnis perseuerans.

*Fit frater Minor.*

9.

*2. Cor. 1. 15*

Crescentibus quoque virtutum meritis in paruulis Christi: odor opinionis bonæ circumquaque diffusus, ad præsentiam sancti Patris videndam, plurimos è diuersis mundi partibus

tibus

tibus attrahebat. Inter quos quidam secularium  
 cantionum curiosus inuentor, qui ab Imperatore  
 propter hoc fuerat coronatus, & exinde Rex ver-  
 suum dictus; virum Dei contemptorem mundia-  
 lium adire proposuit. Cumque apud castrum san-  
 cti Seuerini, eum predicantem reperisset in mo-  
 nasterio quodam: facta manu Domini super se, vi-  
 dit eundem Crucis Christi predicatorem Fran-  
 ciscum, duobus transuersis ensibus valde fulgen-  
 tibus, in modum Crucis signatum: quorum vnus  
 a capite ad pedes, alius a manu in manum per pe-  
 ctus transuersaliter tendebatur. Non nouerat fa-  
 cie seruum Christi: sed tanto monstratum mira-  
 culo mox agnouit. Subito stupefactus ad vi-  
 sum, incipit meliora proponere: tandemque  
 verborum ipsius compunctus virtute, tamquam  
 si esset gladio spiritus ex eius ore procedente  
 transfixus, saecularibus pompis omnino contem-  
 tis, beato Patri professione cohaerit. Propter quod,  
 videns ipsum vir sanctus ab inquietudine saeculi,  
 ad Christi pacem perfecte conuersum, fratrem  
 Pacificum appellauit. Hic postmodum in omni  
 sanctitate proficiens; antequam fieret minister  
 in Francia: (siquidem primus ibidem Ministe-  
 rij gessit officium) meruit iterato magnum Thau  
 in fronte Francisci videre. quod colorum varie-  
 tate distinctum, faciem ipsius miro venustabat  
 ornatu. Hoc quippe signum vir sanctus magno  
 venerabatur affectu, frequenti commendabat  
 eloquio: & in eis quas dirigebat litterulis, ma-  
 nu propria subscribebat: tamquam si omne ipsius  
 studium foret signare Thau, iuxta dictum pro-  
 pheticum, super frontes virorum gementium &  
 dolentium, ad Christum Iesum veraciter con-  
 uersorum.

*Rex versus  
 conuersus ad  
 mirabili vi-  
 so.*

*F. Pacificus  
 nominatur.*

*Videt ipse  
 Thau in fron-  
 te S. Franci-  
 sci.*

*Ezech. 9. 4.*

Pro-



10.  
 Capitulum  
 Gen. 1 apud  
 S. Mariam de  
 Portiuncula.

1. Cor. 5. 3.  
 S. Fran. ab-  
 sens videtur  
 in aëre bene-  
 dicere fratri-  
 bus.

Greg. Turc.  
 lib. 1. de mi-  
 raculis san-  
 cti Martini,  
 cap. 5.

Processu quoque temporis, multiplicatis iam fratribus, cœpit eos pastor sollicitus in loco sanctæ Mariæ de Portiunculâ, ad Generale Capitulum conuocare: vt in funiculo distributionis diuinæ, in terrâ paupertatis eorum, vnique tribueret obedientiæ portionem. Vbi licet omnium necessariorum esset penuria, fratrumq; multitudo vltra quinque millia conueniret aliquando: diuinâ tamen opitulante clementiâ, & victus sufficientia suberat, & salus comitabatur corporea, & spiritualis iucunditas affluebat. Capitulis verò Prouincialibus, quia corporalem præsentiam exhibere non poterat, per sollicitam curam regiminis, instantiam precis, & efficaciam benedictionis, spiritu præsens erat; quamuis aliquando, mirâ Dei faciente virtute, visibiliter appareret. Dum enim egregius Prædicator, qui & nunc Christi præclarus confessor Antonius, de titulo crucis Iesus Nazarenus Rex Iudæorum, in Arelatensi Capitulo fratribus prædicaret: quidam frater probatæ virtutis Monaldus nomine, ad ostium Capituli diuinâ commonitione respiciens, vidit corporeis oculis beatum Franciscum in aëre subleuatum, extensis velut in Cruce manibus benedicientem fratres. Tantâ verò, & tam insolitâ fratres omnes consolatione spiritus repletos se fuisse senserunt; vt de verâ sancti Patris præsentia, certum eis intra se spiritus testimonium perhiberet, licet postmodum id non solum per euidentia signa, verum etiam per eiusdem sancti Patris verba, exteriori fuerit attestacione compertum. Credendum sanè, quòd omnipotentis Dei virtus, quæ Ambrosium pium & sacrum Antistitem, tumulationi gloriosi concessit interesse Martini, vt pium Pontificem pio veneraretur officio; etiam seruum suum Franciscum, prædicationi præsentauit

tauit veracis sui præconis Antonij : vt approbaret veritatis eloquia, præcipuè crucis Christi, cuius erat baiulus & minister.

Cùm autem dilatato iam Ordine, viuendi formam per Dominum Innocentium approbatam, disponderet per successorem ipsius Honorium, in perpetuum facere roborari : huiusmodi fuit à Deo reuelatione commonitus. Videbatur quidem sibi, de terrâ micæ panum subtilissimas collegisse, multique famelicis fratribus ipsum circumstantibus debere tribuere. Cumque micæ tam tenues distribuere formidaret, ne fortè inter manus exciderent, vox ei desuper ait : Francisce, vnam de micis omnibus hostiam facito, & manducare volentibus tribue. Quo id agète, quicumque illud non deuotè recipiebāt, aut receptum contemnebant donum; mox leprâ infecti, notabiles apparebant. Recitat manè vir sanctus hæc omnia sociis, dolens se non præcipere mysterium visionis. Sequèti verò die, cùm vigil in oratione persisteret, huiusmodi vocem de cælo delapsam audiuit, Francisce, micæ præteritæ noctis verba Evangelica sunt : hostia regula, lepra, iniquitas. Volens igitur confirmandam Regulam ex verborum Evangelij aggregatione profusiùs traditam, ad compendiosorem formam, iuxta quod dictabat visio monstrata, redigere : in montem quendam cum duobus sociis, Spiritu sancto ducente, conscendit; vbi pane tantum contentus & aquâ, ieiunans conscribi eam fecit, secundum quod oranti sibi, diuinus Spiritus suggererat. Quam, cùm de monte descendens, seruandam suo Vicario commisisset; & ille paucis elapsis diebus affereret per incuriam perditam : iteratò sanctus vir ad locum solitudinis rediit, eamque instar prioris, ac si ex ore Dei verba susci-

Visio de micis panum.

Regulam secundam scribit suggestente Spiritu sancto.

Regula iterum scribitur, vel: ex ore Dei.

susci-

Confirmatur  
à D. Honorio  
811. Pont.

susciperet, illicò reparauit: & per supradictum Dominum Papam Honorium, octauo Pontificatus illius anno, sicut optauerat, obtinuit confirmari. Ad cuius obseruantiam fratres feruenter inducens, dicebat, se nihil ibi posuisse secundum industriam propriam: sed omnia sic scribi fecisse, sicut sibi fuerant diuinitus reuelata. Quod ut certius constaret testimonio Dei, paucis admodum euolutis diebus, impressa sunt ei Stigmata Domini Iesu, digito Dei viui, tanquam Bulla summi Pontificis Christi: ad confirmationem omnimodam Regulæ, & commendationem auctoris. sicut post suarum enarrationem virtutum, suo loco inferius describetur.

## CAPVT V.

*De austeritate vite eius. Et quomodo creaturæ præbebant ei solatium.*

§. I.



VM igitur cerneret vir Dei-Francisus, suo exemplo ad Crucem Christi baiulandam, feruenti spiritu plurimos animari: animabatur & ipse, tanquam bonus dux exercitus Christi, ad palmam victoriæ, per culmen inuictæ peruenire virtutis. Attendens enim illud Apostoli verbum, *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*; ut Crucis armaturam suo ferret in corpore, tantâ disciplinæ rigiditate sensuales appetitus arcebat, ut vix necessaria sumeret sustentationi naturæ. *Difficile namque fore dicebat, necessitati corporis satisfacere, & pronitati sensuum non parère*: propter quod cocta cibaria sanitatis tempore vix admittebat, & rarò: admittenda verò aut conficiebat cinere, aut condiment i saporem admi-

Rigor S. Frã-  
sisci.

In cite.

admixture aquæ vt plurimum reddebat insipi-  
 dum. De potu vini quid dicam? cùm & de aquâ *In potu.*  
 frigidâ, dum sitis æstualet ardore, vix ad sufficien-  
 tiam biberet. Modos adinueniebat abstinentiæ  
 potioris, & quotidie exercitatione crescebat: li-  
 cetque iam perfectionis culmen attingeret, tan-  
 quam incipiens semper aliquid innouabat, affli-  
 ctionibus carnis puniendo libidinem. Egrediens  
 tamen exteriùs, propter verbum Euangelij; con-  
 formabat se suscipientibus ipsum in qualitate ci-  
 borum: cùm tamen ad interiora regressus, distri-  
 ctè seruaret rigidam abstinentiæ parcitatem. Sic-  
 que seipsum austerum sibi, humanum proximo,  
 subiectum Euangelio Christi, per omnia reddens,  
 non solum abstinendo, verùm etiam manducan-  
 do, præbebat ædificationis exemplum. Nuda hu-  
 mus, vt frequentius, lectus erat lassato corpusculo:  
 & sæpius sedens, ligno vel lapide ad caput positò,  
 dormiebat. vnicâ paupere contentus tunicâ, in  
 nuditate Domino seruiebat, & frigore.

Interrogatus aliquando quomodo vestitu tam  
 tenui, se posset ab hiemalis algoris asperitate tue-  
 ri; in spiritus feruore respondit, Si supernæ patriæ  
 flammâ, per desiderium contingeremur interiùs;  
 frigus istud exteriùs facile portaremus. Vestis hor-  
 rebat molliciè, asperitatem amabat; afferens prop-  
 ter hoc Ioannè Baptistam ore diuino fuisse lau-  
 datum. Si quando verò in datâ sibi tunicâ lenita-  
 tem sentiret, chordulis eam contexebat interiùs:  
 quia non in casulis pauperum, sed in palatiis prin-  
 cipum, iuxta veritatis verbum, vestimentorum di-  
 cebat requirendam esse molliciem. Experienciâ  
 enim certâ didicerat, dæmones asperitate ter-  
 reri: delitiosis autem & mollibus ad tentandum  
 fortius animari. Vnde cùm nocte quadam,  
 propter

*In lecto.**Vnica tunicâ  
nuda.*

2.

*Ea, aspera.  
Mat. 11. 8.*

propter infirmitatem capitis & oculorum, præter  
solicum morem, cervical de plumâ positum ha-  
beret ad caput: dæmon in illud ingressus, ipsum  
vsque ad horam matutinalem, inquietatum mul-  
timodè, à sanctæ orationis studio perturbauit; do-  
nec vocato socio, puluinar cum dæmonio fecit ex-  
tra cellulam longiùs exportari. Egressus autè cum  
puluinari frater de cellâ, membrorum omnium  
vires amisit & vsus: quousque ad vocem sancti  
Patris hoc cognoscentis in spiritu, vigor pristinus  
cordis & corporis sibi fuit plenariè restitutus.

3.  
Isaie 27.8.  
In niuem se  
mergebat  
sepis.

Eccl. 9. 8.

Veritas à  
damone gra-  
uiter tenta-  
tur.

Iob 41. 12.

Rigidus in disciplinâ super custodiam suam sta-  
bat: curam permaximam gerens de vtriusque ho-  
minis puritate seruandâ. Quapropter circa con-  
uersionis suæ primordia, tempore hiemali, in fo-  
ueam glacie plenam seipsum plerunque merge-  
bat: vt & domesticum sibi hostem perfectè subi-  
geret, & candidum vestimentum pudoris à volu-  
ptatis incendio præseruaret. Tolerabilius viro spi-  
rituali fore incomparabiliter asserbat, magnam  
sustinere frigus in carne, quàm ardorem carnalis  
libidinis vel modicum sentire in mente. Cùm au-  
tem apud eremum de Sarthiano, nocte quadam  
orationi vacaret in cellulâ, vocauit eum hostis an-  
tiquus tectio, dicens: Francisce, Francisce, Francis-  
ce. Cui cùm quæreret, respōdisset, fallaciter  
ille subiunxit; Nullus est in mundo peccator, cui  
si cōuersus fuerit, nō indulgeat Deus: sed quicun-  
que semetipsum pœnitentiâ durâ necauerit, mi-  
sericordiam non inueniet in æternum. Statim vir  
Dei per reuelationem cognouit hostis fallaciam,  
quo modo nisus fuerit eum ad tepida reuocare:  
nam hoc sequens indicauit euentus. Continuo  
enim post hoc, ad insufflationem illius, cuius ha-  
bitus prunas ardere facit; grauis ipsum carnis ten-  
tatio

tatio apprehendit. Quam vt præfensit castitatis amator, depositâ veste, chordâ cœpit se verberare fortissimè; Eia, inquit, frater Asine, sic te decet manere, sic subire flagellum. Tunica Religioni deservit, sanctitatis signaculum præfert: furari eam libidinoso non licet. si quò vis pergere, perge. Insuper & mirando feruore spiritus animatus, apertâ cellâ foras exiuit in hortû: & in magnam demergens niuem corpusculum iam nudatum, septem ex eâ plenis manibus cœpit compingere massas: quas sibi proponens, suo sic exteriori homini loquebatur; Ecce, inquit, hæc maior, vxor tua est; quatuor istæ, duo filij & duæ filiæ; reliquæ duæ, seruus & ancilla, quos ad seruiendum habere oportet. Festina igitur omnes induere: quoniam frigore moriuntur. Si verò eorum multiplex sollicitudo molestat: vni Domino sollicitè serui. Illicò tentator victus abscessit, & vir sanctus cum victoriâ in cellam rediit: quia dum benè pœnaliter arsit foris, ardorem interiùs sic extinxit libidinis, vt deinceps tale aliquid minimè sentiret. Quidam autem frater, qui tunc orationi vacabat, hæc omnia, Luna clariùs incedente, prospexit. Compertò vir Dei, quòd hæc ille nocte vidisset, referans ei tentationis processum: præcepit vt quamdiu ipse viueret, nulli viuenti rem quam viderat, propalaret.

Non solùm autem mortificari debere docebat vitia carnis, & eius incentiua frenari: verùm etiam exteriores sensus, per quos mors intrat ad animâ, summâ vigilantia custodiri. Mulierum familiaritates, colloquia & aspectus, quæ multis sunt occasio ruinae, sollicitus euitari iubebat: asserens per huiusmodi, debilem frangi, & fortem sæpe spiritum infirmari. Harum contagionem euadere conuersantem cum eis, nisi probatissimum virum, tam

C

facile

Septem mās-  
sas ex niue  
compingit.

Tentator vid-  
etur abscessit.

4.  
Sensus custo-  
die: di omnes.  
lectura. g. 33

<sup>1</sup>Pro. 6. 27.

facile dixit, quàm iuxta Scripturam, *in igne ambulare, & non comburere plantas*. Siquidem ipse adeò

<sup>2</sup>Psal. 118. 37  
Avertit oculos ne videat  
vanitatem.

auerterat oculos suos, ne huiusmodi vanitatē viderent: quòd ( sicut aliquando socio dixit ) quasi nullam recognoscebat in facie. Non enim securum esse putabat, earum formarum introrsus haurire imagines, quæ possunt aut edomitæ carnis resuscitare igniculum, aut pudicæ mentis macularè nitorem. Asserebat etiam friuolum esse mulieris colloquium, exceptâ solâ confessione, vel instructione breuissimâ: iuxta quod & saluti expedit, & congruit honestati. Quæ sunt, inquit, religioso cum muliere tractanda negotia? nisi cum sanctam pœnitentiam, vel melioris vitæ consilium, religiosâ petitione deposcit? Ex nimia securitate, minus cauetur hostis. Et diabolus, si de suo capillū potest habere in homine, citò excrecere facit in trabem.

Quæ religio-  
so cum mu-  
liere negotia?

5.  
Otium fru-  
gendū docet.

Otium autem omnium malarum cogitationum sentinam, docebat summo opere fugiendum: exemplo demonstrans, rebellem carnem & pigrâ, disciplinis continuis, & fructuosis laboribus esse domandam. Vnde corpus suum, fratrem asinum appellabat; tanquam laboriosis supponendū oneribus, crebris cadendum flagellis, & vili pabulo sustentandum. Si quem verò cernebat otiosum & vagum, aliorum velle manducare labores, fratrem muscam nominandum censebat: eò quòd talis nihil boni faciens, sed benefacta inficiens, vilem & abominabilem se omnibus reddat. Propter quod dixit aliquando, Volo fratres meos laborare & exercitari: ne otio dediti, per illicita, corde aut linguâ vagentur. Evangelicum siquidem volebat à fratribus obseruari silentiū: vt videlicet ab omni otioso verbo, omni tempore, abstinerent sollicitè; tanquam *reddituri in die iudicij de huiusmodi rationem.*

Silentium  
seruandum.

<sup>3</sup>Mat. 12. 36.

tionem.

tionem. Sed & si quem inuenisset fratrem verbis  
 assuetum inanibus; acriter arguebat; taciturnita-  
 tem modestam, & puri cordis affirmans custodiam,  
 & non modicam esse virtutem: pro eo quod  *mors* Prou. 18. 21  
 &  *vita fore, dicuntur in manibus lingue*, non tam  
 ratione gustus, quam ratione loquelæ.

Licet autem pro vitibus, ad vitam austeram fra-  
 tres induceret: non tamen ei placebat distractionis  
 seueritas, quæ pietatis non induit viscera, nec est  
 discretionis sale condita. Cum enim quadam no-  
 cte, vnus ex fratribus, præ nimietate abstinentiæ  
 admodum fame cruciatus, nullam posset habere  
 quietem; intelligeretque pius pastor ovi suæ im-  
 minere periculum: vocauit fratrem, apposuit pa-  
 nem. & vt ruborem illi tolleret, cœpit ipse prior  
 comedere, eumque ad manducandum dulciter  
 inuitare. Deposuit frater verecundiam, sumsit ci-  
 bum, gauisus quamplurimum, quod per circun-  
 spectam condescensionem pastoris, & corporis  
 euasisset dispendium, & non modicum accepisset  
 ædificationis exemplum. Manè factò, fratribus  
 conuocatis in vnum, vir Dei referens quod acci-  
 derat nocte: prouidam commonitione subiunxit. Sit  
 vobis fratres, non cibus, sed caritas in exemplum.  
 Docuit insuper eos discretionem sequi, vt aurigam  
 virtutum; non eam quam caro suadet, sed quam  
 edocuit Christus: cuius sacratissimam vitam, ex-  
 pressum constat esse perfectionis exemplar.

Et quoniam agnum sine macula Christum cru-  
 cifixum, non est possibile homini carnis infirmi-  
 tate circumdato sic perfecte sectari, quin aliquas  
 contrahat sordes: ideo documento certo firmabat  
 eos, qui perfectioni vitæ inuigilant & intendunt,  
 quotidianis debere se lacrymarum emundare fluen-  
 tis. Licet enim iam esset adeptus cordis & corporis  
 puri-

6.

*Austeritas sine  
 discretionis  
 sale non  
 placebat*

*Discretio virtutum  
 aurigam.*

7.

*Lacrymis  
 quotidianis  
 emundanda  
 conscientia.*



puritatem mirabilem: non cessabat tamen lacrymarum imbribus iugiter oculos expiare mentales, corporeorum luminum non ponderando iacturam. Cùm enim ex continuo fletu, infirmitatem oculorum incurrisset grauissimam; suadente sibi medico, quòd abstineret à lacrymis, si corpori visus cæcitatem vellet effugere: Vir sanctus respondit; Non est frater medice, ob amorē luminis, quod habemus cōmune cū muscis, visitatio lucis æternæ repellenda vel modicum: quia non spiritus propter carnem, sed caro propter spiritum, beneficium lucis accepit. Malebat siquidem corporalis visus lumen amittere, quàm lacrymas (quibus oculus mūdatur interior, vt Deum videre valeat) repressâ deuotione spiritus impedire.

8.

*Medicari suos  
oculos permis-  
sit cauterio.*

Cùm autem semel daretur consilium à medicis, & instanter suaderetur à fratribus, vt pateretur sibi per remedium subueniri cocturæ; humiliter vir Dei assensit: quia salutiferum hoc simul & asperum esse cernebat. Vocatus itaque venit Chirurgus, instrumentum ferreum igni submittens ad faciendam cocturam. At Christi seruus, corpus iam horrore concussum cōfortans, sicut amicum, cœpit ignem alloqui, dicens; Mi frater ignis, præ ceteris rebus æmulandi decoris, virtuosum, pulchrum & vtilem te creauit Altissimus: esto mihi hac hora propitius, esto curialis. Precor magnum Dominum qui te creauit, vt tuum mihi calorem temperet: quo suauiter vrentem valeam sustinere. Oratione finitâ, contra igne candescēs ferreum instrumentum signum crucis edidit: ac deinceps intrepidus persistebat. Profundatum est crepitans ferrum in tenerâ carne: & ab aure vsque ad supercilium coctura protracta. Quantum irrogauerit ignis ille dolorem, vir ipse sanctus expressit; Laudate,

*Cauterium  
non sentit.*

date, inquit ad fratres, Altissimum : quia verè dico vobis, nec ignis ardorem sensi, nec carnis vllum dolorem. Et conuersus ad medicum; Si non est, inquit, caro bene decocta, imprime iterum. Expertus medicus in inualidâ carne virtutē spiritus tam potētē, miratus est: & diuinum hoc miraculum extulit, dicens; Dico vobis fratres, vidi mirabilia hodie. Quia enim ad tantam peruenerat puritatem, vt caro spiritui, & spiritus Deo, harmoniâ mirabili concordarent: diuina ordinatione fiebat, vt creatura Creatori suo deseruiens, voluntati & imperio eius mirabiliter subiaceret. Alio enim tempore, apud eremū S. Urbani, Seruo Dei ægritudine grauissimâ laborante; cū ipse naturæ defectum sentiens, vini poculum postulasset; nihilq; de vino, quod sibi dari posset, responderetur adesse: iussit aquam adferri, & allatam signo crucis edito benedixit. Mox vinum efficitur optimum, quod fuerat aqua pura: & quod deserti loci paupertas non potuit, viri sancti puritas impetrauit. Ad eius gustum tanta protinus facilitate conuuluit: vt saporis nouitas, & innouatio sanitatis, gustabile ac gustantem supernaturaliter innouantes, perfectâ in ipso expoliationē veteris hominis, & induitionem noui duplici attestacione firmarent.

Non solum creatura Seruo Dei seruiebat ad nutum: sed & Creatoris vbique prouidentia condescendebat ad placitum. Cum enim tempore quodam, ex multarum infirmitatum concursu, aggravato corpore, ad iocunditatem spiritus excitandam, alicuius audiendi soni harmoniaci desiderium habuisset; nec id honestatis decentia per ministerium fieri pateretur humanum: adfuit Angelorum obsequium, ad viri sancti placitum adimplendum. Nocte etenim quadam vigilante ipso,

C 3 & me-

*vt ipse Creatori, ita illi creatura obediant.*  
Sap. 16. 24.

*Aquam purā in vinū optimū commutat.*

Col. 3. 10.

9.

*Ci hara melodia recreatur.*

& meditante de Domino; repente insonuit cithara quædam harmoniæ mirabilis, & suauissima melodiarum. Non videbatur aliquis: sed transitum & reditum citharædi, ipsa hinc inde auditus volubilitas innuebat. spiritu in Deum directo, tantam fuit in illo dulcisono carmine suauitate perfructus, ut aliud se putaret seculum commutasse. Hoc & fratres sibi familiares non latuit: qui per certa frequenter conspiciebant indicia, eum tam excessiuus, & crebris consolationibus à Domino visitari, ut nec ipsas omnino occultare valeret.

19. Alio quoque tempore, viro Dei prædicationis causa inter Lombardiam, & Marchiam Teruifinam iter agente cum fratre socio iuxta Padum; tenebrosa noctis superuenit obscuritas. Cumque via esset exposita periculis magnis & multis, propter tenebras fluuium & paludes, dixit socius ad virum sanctum: Ora pater, ut de instantibus periculis liberemur. Cui vir Dei cum fiducia multam respondit: Potens est Deus, si placet sue dulcedini, tenebrarum effugata caligine, beneficium nobis impendere lucis. Vix sermonem compleuerat; & ecce tanta lux illicò cœpit circa eos supernam radiare virtute: ut nocte aliis existente obscura, ipsi luce clara viderent non solum viam, verum etiam plurima circumquaque. cuius lucis ducatu corporaliter directi, & spiritualiter confortati, usque ad locum hospitij, per non modicum viae spatium, cum diuinis hymnis & laudibus, incolumes peruenerunt. Perpende quam mirandæ fuerit vir iste mundiciæ, quantamque virtutis; ad cuius nutum, suum ignis ardorem contemperat; aqua saporem commutat; Angelica præbet melodia solatium; & lux diuina ducatum: ut sic sanctificatis viri sancti sensibus, omnis probetur mundi machina deseruire.

Nocte lux  
radiabat.

## CAPVT VI.

*De humilitate eius & obedientiâ. & de con-*  
*descensionibus ei factis ad nutum.*



M N I V M virtutum custos, & decor hu-  
militas, copiosa virum Dei vbertate re-  
pleuerat. In propriâ quidem reputatio-  
ne nihil erat, nisi peccator: cum in veri-  
tate speculum esset, & splendor omnimodæ san-  
ctitatis. Super hanc studuit ædificare seipsum, vt  
sapiens architectus fundamentū præiaciens, quod  
à Christo didicerat. Dicebat propter hoc, filium  
Dei de altitudine sinus paterni ad nostra despica-  
bilia descendisse: vt tam exemplo quàm verbo,  
Dominus & magister humilitatem doceret. Pro-  
pter quod studebat, tanquam Christi discipulus,  
in oculis suis & aliorū vilescere: à summo dictum  
esse magistro commemorans, *Quod altum est apud*  
*homines, abominatio est apud Deum.* Luc. 16. 15. Sed & verbum  
hoc dicere solitus erat; *Quantum homo est in oculis*  
*Dei, tantum est, & non plus.* Sententiam nota aueram. Stultum proinde iudi-  
cans mundanis extolli fauoribus, gaudebat de op-  
probriis, & de laudibus tristabatur. Malebat qui-  
dem de se vituperium audire, quàm laudē: sciens  
quòd hoc ad emendandum induceret, illa impe-  
leret ad cadendum. Et ideo sæpe cum populi, me-  
rita in eo sanctitatis extollerent: præcipiebat ali-  
cui fratri, vt in contrarium, verba ipsum vilifican-  
tia suis auribus inculcando proferret. Cumq; fra-  
ter ille licet inuitus, eum rusticū, & mercenarium  
imperitum, & inutilem diceret: exhilaratus tam-  
mente quàm facie respõdebat, *Benedicat tibi Do-*  
*minus fili carissime: quia tu verissima loqueris, &*  
*talita filium Petri Bernardonis decet audire.*

§. I.

*Humilitas in*  
*eo miranda.*

C 4

Vt

2.  
Prodigiōse  
humilitatis  
exemplum.

Vt autem se ceteris despicabilem redderet, non parcebat rubori: quin in prædicatione coram omni populo, proprios manifestaret defectus. Accidit semel vt infirmitate grauatus, rigorem abstinentiæ pro recuperandâ sanitate modicum relaxaret. Viribus autem corporis vtcunque resumptis, verus sui contemptor, ad propriæ carnis animatus opprobrium; Non est, inquit, conueniens, vt populus abstinentem me credat: & ego è contrariò carnaliter reficiar in occulto. Surrexit propterea sanctæ humilitatis spiritu inflammatus: & in plateâ ciuitatis Assisij populo conuocato, solenniter cum fratribus multis, quos secum adduxerat, maiorem introiuit Ecclesiam: funeque ad collum ligato, nudum cum femoralibus solis, in oculis omnium se trahi præcepit vsque ad lapidem, in quo malefactores puniendi consueuerant collocari. Super quem conscendens, licet quartanarius esset & debilis; acerbi frigoris tempore, cum multo vigore animi prædicauit. Audientibusque cunctis, asseruit se, non tanquam spiritualem honorandû fore: quinimo tanquam carnalem & gluttonem, ab omnibus contemnendum. Igitur qui conuenerant, tam ingenti viso spectaculo admirati sunt: & quia ipsius austeritatem iam nouerât, deuotione compuncti, humilitatem huiusmodi magis admirabilem, quàm imitabilem proclamabant. Licet autem id magis videatur portentû fuisse, instar prophetalis vaticinij, quàm exemplum: tamen verè documentum exstitit humilitatis perfectæ: quo Christi sectator instruitur, transitoria laudis præconium debere contemnere, tumentis quoque iactantiæ comprimere fastum, & fraudulentæ simulationis mendacium cōfutare. Multa quidem in hunc modum sæpius faciebat: vt exterius tanquam

Nudum imi  
sicut Isaiam.

Isaiam 20.3.

quam vas perditum fieret, & sanctificationis spiritum interius possideret.

Studebat bona Domini sui arcano pectoris condere: nolens patere glorię, quod posset occasio esse ruinę. Nam sæpe cum beatificaretur à pluribus, verbum huiusmodi proferebat; Filios & filias adhuc habere possem, nolite laudare nondum securum. *Nemo laudandus cuius incertus est exitus.* Eccli. 11. 30. Nemo laudandus cuius exitus incertus. Nota, nota. Ista quidem laudantibus. Ad se autem sic; Latroni si tanta contulisset Altissimus, gratior te foret Francisce. Dicebat fratribus sæpe; De omni eo, quod peccator potest, nemo sibi debet iniquo applausu blandiri. Peccator, ait, ieiunare potest, orare, plangere, carnemque propriam macerare: hoc solum nõ potest, Domino scilicet suo esse fidelis. In hoc itaque gloriandum, si suam Domino gloriam reddimus: si fideliter seruientes, ipsi, quicquid donat, fideliter adscribimus.

Vt autem pluribus modis negotiator hic Evangelicus lucraretur, ac totum præsens tempus conflaret in meritum: non tam præesse voluit, quàm subesse, nec tam præcipere, quàm parere. Idcirco Maui subesse quàm præesse. Generali cedens officio, Guardianum petiit, cuius voluntati per omnia subiaceret. Tam enim vberem asserbat sanctę Obedientię fructum, vt eis qui iugo ipsius colla submitterent, nil temporis sine lucro transfiret. vnde & fratri, cum quo erat solitus ire, semper obedientiam promittere consueuerat, & seruare. Dixit aliquando sociis; Inter alia, quę dignanter pietas mihi diuina concessit, hanc gratiam cõtulit: quòd ita diligenter nouitio vnus horę obedirem, si mihi Guardianus daretur, sicut antiquissimo, & discretissimo fratri. Subditus, inquit, Prælatum suum non hominem considerare debet: sed illum, pro cuius est amore subiectus.

C 5      Quan-

Quantò enim contemptibilior præsidet, tantò magis humilitas obedientis placet.

5. *Obediens ve-  
rus describi-  
tur sub exem-  
pla.* Cùm verò vice quadam quæreretur ab eo, quis esset verus obediens iudicandus: corporis mortui similitudinem pro exemplo proposuit. Tolle, inquit, corpus exanime, & vbi placuerit pone: videbis non repugnare motum, nõ murmurare situm, non reclamare dimissum. Quòd si statuatur in cathedrâ, non alta, sed ima respiciet. si collocetur in purpurâ, duplò pallefcet. Hic, ait, verus obediens est, qui cur moueatur, non diiudicat; vbi locetur non curat, vt transmutetur non instat: euectus ad officium solitam tenet humilitatem, plus honoratus, plus reputat se indignum. Dixit aliquando socio suo; Non mihi videor frater Minor, nisi fuero in statu, quem tibi descripsero. Ecce Prælati existens fratrum, vado ad Capitulum: prædico & commoneo fratres, & in fine dicitur contra me; Non conuenis nobis, quia illitteratus es, elinguis, idiota & simplex. Tãdem eijcior cum opprobrio, vilipensus ab omnibus. dico tibi, nisi eodem vultu, eadem mentis lætitiâ, & eodem sanctitatis proposito, hæc verba audiero: frater Minor nequaquã sum. Et addebat: *In prælatione casus, in laude præcipitium; in humilitate subditi, anima lucrum est.* Cur ergo periculis plus quàm lucris attendimus, cùm acceperimus tempus ad lucrum?

*In humilitate  
lucrum ani-  
ma.*

6. *Minores cur  
dicantur, &  
Ministri.* Hac igitur de causa, humilitatis forma Franciscus, fratres suos voluit vocari Minores, & Prælatos sui ordinis dicere Ministros: vt & verbis uteretur Euangelij, quod obseruare promiserat; & ex ipso nomine discerent discipuli eius, quòd ad descendam humilitatem, ad scholas humilis Christi venissent. Magister siquidem humilitatis Iesus Christus vt informaret discipulos ad humilitatem.

per:

perfectam, dixit: *Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: Et quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.* Cùm autem requireret ab eo Dominus Hostiensis, Ordinis Minorum Protector & promotor præcipuus ( qui postmodum, iuxta quod idem vir sanctus prædixerat, ad summi Pontificatus sublimatus honorem, Gregorius Nonus est dictus ) vtrùm sibi placeret, quòd fratres sui promouerentur ad Ecclesiasticas dignitates, respondit; Domine, Minores ideo vocati sunt fratres mei, vt maiores fieri non præsumant. Si vultis, ait, vt faciant fructum in Ecclesiâ Dei, tenete illos, & conseruate in statu vocationis eorum: & ad prælationes Ecclesiasticas nullatenus ascendere permittatis.

Et quoniam humilitatem, tam in se quàm in subditis, cunctis præferebat honoribus, amator humilium Deus, altioribus ipsum dignum iudicabat fastigiis: secundùm quod vni fratri viro virtutis & deuotionis præcipuæ, visio cælitus ostensa monstrauit. Cùm enim esset in comitatu viri Dei, & vnà cum ipso in quadam Ecclesiâ desertâ, feruenti oraret affectu, in ecstasi factus, vidit inter multas in celo sedes, vnã ceteris digniorem, pretiosis ornata lapidibus, & omni gloriâ refulgentem. Miratus intra se præcelsi refulgentiam throni; anxiam cœpit cogitatione perquirere, quis ad illum deberet assumi. Audiuit inter hæc, vocem dicentem sibi; Sedes ista vnus de ruentibus fuit, & nunc humili seruator Francisco. Reuersus demum frater ad se, ab orationis excessu, virum beatum exterius prodeuntem solito fuit more sequutus. Cum quæ incedentes per viam, de Deo inuicè loqueretur: frater ille visionis suæ non immemor, solerter ab eo quæsiuit, quid de seipso sentiret. Ad quæ humilis

Christi

*Ne fiant maiores,*

7.

*Sedes fulgens S. Francis in celo,**O puram animam, & à fastu vacuam!*



Christi seruus; *Videor, ait, mihi maximus peccatorum.* Cui cum frater diceret ex aduerso, quod hoc non posset sanâ conscientia dicere, nec sentire; subiunxit, Si quantumcunque sceleratum hominē tantâ fuisset Christus misericordiam prosequutus; arbitrator sanè, quod multò quàm ego Deo gratior esset. Confirmatus fuit frater ex tam admirabilis humilitatis auditu, de veritate visionis ostensa:

<sup>Mat. 23. 12</sup> Euangelio sacro testate cognoscens, quod ad excellentiam gloriæ, de quâ superbus euicitur, verè humilis exalteretur.

8. Alio quoque tempore, cum in desertâ quadam oraret Ecclesiam, in Prouinciâ Massæ, apud môtē Masalem; intellexit per spiritum, sacras ibidem remansisse reliquias: quas cum longo iam tempore, defraudatas honorificentiam debitam, non sine mœrore conspiceret, præcepit fratribus, ut eas cum reuerentiâ deferrent ad locum. Sed cum poscente causâ discessisset ab eis; mandati Patris immemores filij, obedientiam meritum neglexerunt. Die verò quadam, cum sacra celebrare vellent mysteria, superiori altaris operimento submoto, ossa pulcherrima & redolentia nimis, non sine admiratione reperiunt: intuentes reliquias, quas non hominis manus, sed Dei virtus attulerat. Reuersus paulo post vir Deo deuotus, diligenter cœpit exquirere, si quod de reliquiis madauerat, esset impletum. Verum neglectæ obedientie culpam fratres confidentes humiliter, cum poenâ veniam meruerunt. Et ait vir sanctus; Benedictus Dñs Deus meus, qui per seipsum impleuit, quod vos facere debuistis. Considera diligenter diuinæ prouidentie curam, circa puluerē nostrum: & humilis Francisci excellentem in oculis Dei perpende virtutē. Nam cuius iussis non paruit homo, votis obediuit Deus.

Quo-

Reliquias sacras venerat.

Eas & Deus ignorat.

Quodam tempore deueniens Imolam, ciuitatis Episcopum adiit: humiliterq; poposcit, vt cum ipsius beneplacito posset populum ad prædicationem vocare. Cui Episcopus durè respondens; Sufficit, inquit, frater, quòd ego prædicè populo meo. Inclinauit caput verus humilis: & foras egressus, post modicam horâ regreditur intrò. A quo cum Episcopus quasi turbatus requireret, quid iteratò petere vellet: humili tã corde, quàm voce respondit: Domine, si pater filium vno repulerit ostio, alio sibi reintrandum est. Humilitate victus Episcopus, alacri vultu eum amplexatus est, dicens; Tu, & omnes fratres tui de cetero, in Episcopatu meo, generali meâ licentiâ prædicetis: quia illud humilitas sancta promeruit.

Contigit ipsum aliquando Aretium deuenire, cum tota ciuitas intestino bello quassata, propinquum sui minabatur excidium. Hospitatus verò in suburbio, vidit supra ciuitatem exsultantes dæmones; ac perturbatos ciues, ad eandem mutuam succedentes. Vt autem seditiosas illas effugaret aëreas potestates, fratrem Siluestrum columbinæ simplicitatis virum, quasi præconem præmisit dicens: Vade ante portam ciuitatis; & ex parte Dei omnipotentis, dæmonibus in virtute obedientiæ præcipe, vt exeant festinâter. Accelerat verus obediens Patris iussa perficere: & præoccupans in laudibus faciem Domini, ante portam ciuitatis cœpit clamare valenter; Ex parte omnipotentis Dei, & iussu serui eius Francischi, procul hinc discedite dæmones vniuersi. Redit ad pacem continuò ciuitas: & ciuilitatis in se iura ciues omnes cū magna tranquillitate reformant. Expulsâ quippe dæmonum furibundâ superbiâ, quæ ciuitatem illâ velut obsidione vallauerat; superueniens sapientia pauperis,

9.

*Humilitate  
vincit ac  
sistentia.*

10.

*Profligat dæ-  
mones ab  
Aretio.*

*Pax in exerci-  
tibus conciliatur.*

peris, videlicet Francisci humilitas, pacem reddidit, urbemque saluauit. Humilis enim Obedientia ardua promerente virtute, super spiritus illos rebelles atque proteruos, tam potestatiuum fuerat affecutus imperium, vt & ipsorum feroces proteruias premeret, & importunas violentias propulsaret. Fugiunt quidem superbi dæmones, excelsas virtutes humilium: nisi cum interdum ad humilitatis custodiam, diuina eos elementia colaphizari permittit. sicut & Paulus Apostolus de seipso scribit, & Franciscus experimento probauit. Rogatus enim à Domino Leone Cardinale sanctæ Crucis, vt secum aliquantulum moraretur in Vrbe: acquieuit humiliter ob ipsius reuerentiam & amorē. Primâ igitur nocte, cum post orationem vellet quiescere, superuenerunt dæmones in Christi militem atrociter insurgentes. Quem cum diu verberassent ac durè, ad vltimum quasi feminecem reliquerunt. Discedētibus illis, socius vocatus aduēnit. cui cum vir Dei rei narrasset euentum, subiungens ait; Credo frater, quod dæmones, qui nihil possunt, nisi quātum prouidentia superna disponit; ideo in me nūc tam ferociter irruerunt, quia non bonā spem præfert mansio mea in Curia magnatum. Fratres mei, qui in locis pauperculis commorantur, audientes me eū Cardinalibus esse; suspicabuntur forsitan implicari mundanis, efferri honoribus, & delitiis abundare. Ideo melius iudico, eū qui ponitur in exemplum, fugere Curias, & humiliter inter humiles, in locis conuersari humilibus: vt sustinētes penuriā, fortes efficiat similia sustinēdo. Veniūt ergo manē: & humili excusatione propositā, valefaciunt Cardinali.

Abhorrebat nempe vir sanctus superbiam omnium malorum originē, & inobedientiam ipsius pesti-

2: Cor. 12. 7

*Celsus à de  
monibus in  
domo Cardi-  
nalis.*

Aug. 18. de  
Ciu. Dei.  
c. 18.  
\* al. speciem  
p̄ta se fert.

11.

peffimam prolem : sed non minus humilitate pœnitentiæ acceptabat. Accidit semel, vt eidem præsentaretur quidam frater, qui cõtra legem obedientiæ aliquid fecerat, disciplinã iustitiæ corrigendus. Videns autẽ vir Dei, fratrem illum per signa euidentia veraciter esse compunctum : ad indulgendum ei, amore fuit humilitatis inductus. Ne tamen facilitas veniæ incentiuum esset aliis delinquendi, iussit ablatum fratri capitium in medio flammaram præiici : vt omnes aduerterent, quãtã qualiq; vindictã, offensa sit inobedienciæ percellenda. Cumq; per moram, capitium fuisset in medio ignis: præcepit ipsum flammis detrahi, reddiq; fratri humiliter pœnitenti. Mirabile dictu. Extrahitur capitium de medio flammaram, nullum habens adustionis vestigium : sicq; factum est, vt hoc vno Deus miraculo, & sancti viri virtutem, & humilitatem pœnitentiæ cõmendaret. Dignè itaque sectanda est Francisci humilitas, quæ tam miram in terris etiam dignitatem obtinuit, vt Deum inclinaret ad votum, & hominis immutaret affectum: dæmonum proteruitatem suo iussu propelleret, & flammaram voracitatem solo nutu refrenaret. Re verã hæc est, quæ possessores suos exaltans, dum omnibus reuerentiam exhibet, ab omnibus promeretur honorem.

Facilitas veniæ incentiuum delinquendi.

Humilitas omnes honorans, ab omnibus honoratur.

## CAPVT VII.

*De amore paupertatis. & mirã suppletionem defectuum.*

**I**NTER cetera charismatum dona, quæ à largo datore Franciscus obtinuit, prærogatiuã quadam speciali promeruit in diuitias simplicitatis excrefcere, per altissimã paupertatem.

§. I.  
Paupertatis  
Euangelicæ  
summi  
amator.

pertatis amorem. Hanc filio Dei, vir sanctus familiarē attēdens, & iam quasi toto orbe repulsam, caritate sic studuit desponsare perpetuā, quod non solum pro eā patrem matremque reliquit, verum etiam quæ habere potuit, vniuersa disperlit. Nemo tam auri, quàm ipse cupidus paupertatis: nec thesauri custodiendi sollicitior vllus, quàm iste hu-

<sup>Mat. 13. 45.</sup>  
Hæc margari-  
ta Euange-  
lica.

ius Euangelicæ margaritæ. In hoc præcipuè suus offendeatur aspectus, si quicquam videret in fratribus, quod paupertati non per omnia consonaret. Re verâ, ipse à principio Religionis vsque ad mortem, tunicâ, chordulâ, & femoralibus diues, iis contētus fuit. Christi Iesu paupertatem & matris, frequenter cum lacrymis reuocabat ad men-

Virtutum Re-  
gina.

tem: inde, hanc virtutum asserens esse reginam, quia in Rege Regum, & in Reginâ matre ipsius, tam præstanter effulsit. Nam & fratribus in conclau quærentibus, quæ virtus magis amicum redderet Christo: quasi secretum sui cordis aperiens, respondebat; *Paupertatem noueritis fratres, specialem viam esse salutis*; tanquam humilitatis fomentum, perfectionisq; radicē: cuius est fructus mul-

Via salutis.

<sup>Mat. 13. 44.</sup>

tiplez, sed occultus. Hæc enim est *Euangelici agri thesaurus absconditus*: pro quo emendo, vendenda sunt omnia, & quæ vendi non possunt, illius comparatione spernenda. Ad huius, inquit, culmē qui cupit attingere, non solum mundanæ prudentiæ, verum etiam litterarum peritiæ, renunciare quodammodo debet: vt tali expropriatus possessione, introeat in potentias Domini, & nudum se offerat brachiis crucifixi. *Nequaquam enim seculo perfectè renunciat, qui propriū sensus loculos intra cordis arcana reseruat.*

<sup>Psal. 70. 16.</sup>

Nota, nota.

2.

Sæpe verò de paupertate sermonem faciens, in-  
<sup>Mat. 8. 20.</sup> gerebat fratribus Euangelicū illud, *Vulpes foueas habent,*

habent, & volucres cali nidos: Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet. Propter quod docebat fratres, ut pauperum more, pauperulas casulas erigerent: quas non inhabitarent ut proprias; sed sicut peregrini & aduenæ alienas. Leges namque peregrinorum esse dicebat, sub alieno colligi tecto, sitire ad patriam, pacificè pertransire. Mandabat dirui aliquando domos erectas, aut fratres exinde amoueri: si aliquid in eis perciperet, quod ratione appropriationis vel sumptuositatis, cōtrarium esset Euangelicæ paupertati. *Hanc sui dicebat*

*Ordinis sui-  
damentum:*

*Ordinis fundamentum:* cui substrato primariè sic omnis structura religionis innititur, ut ipsius firmitate firmetur, & euersione funditus euertatur.

Docebat proinde, sicut reuelatione didicerat, sacra Religionis ingressum, ab illo fore inchoandum Euangelico verbo; *Si vis perfectus esse; vade, & vende omnia que habes, & da pauperibus.* Ideoq; non nisi expropriatos, & nihil penitus retinentes admittebat ad ordinem: tum propter verbum sancti Euangelij, tum etiam, ne forent in scandalū loculi reseruati. Vnde in Marchiâ Anconitanâ cuidam petenti ad Ordinem recipi, verus pauperum Patriarcha respōdit, *Si vis Christi pauperibus iungi, pauperibus tua distribue.* Quo audito perrexit homo, & ductus amore carnali, sua suis reliquit, nilque pauperibus. Verum cum hæc illo referente, vir sanctus audisset, durâ eum increpatione feriens, dixit; *Vade viam tuam frater musca: quoniam nondum existi de domo & cognatione tuâ: consanguineis tuis tua dedisti, & defraudasti pauperes, dignus non es pauperibus sanctis sociari.* Incepisti à carne, ruinosum fundamentum spirituali fabricæ collocasti. Rediit animalis homo ad suos, & repetiit sua: quæ pauperibus relinquere no-

3.

*Mat. 19. 21  
Initium, vade  
omnia, & da  
pauperibus.*

*Gen. 12. 1*

D lens,

lens, virtutis propositum citius dereliquit.

4.

*Fratribus nihil reſeruan-  
dum bonorum  
à nouitiis.*

Alio quoque tempore, cum in loco sanctæ Mariæ de Portiunculâ, tanta esset inopia, quod non posset hospitibus fratribus superuenientibus, secundum necessitatis exigentiam prouideri; adiit virum Dei Vicarius suus, allegans penuriam fratrum, & petens, ut intrantium nouitiorum res aliquas reſeruare liceret, ad quas expendendas recurrere possent fratres, tempore oportuno. Ad quem vir sanctus, superni consilij non ignarus, Absit, inquit, à nobis frater carissime, ut pro quouis homine impiè agamus in Regulam. Malo te altare Virginis glorioſæ nudare, cum necessitas id requirit, quàm contra paupertatis votum, & obseruationem Euangelij, aliquid vel modicum attètare. Gratius enim habebit beata Virgo, sancti Euangelij perfectè seruato consilio, suum altare detegi, quàm altari suo ornato, filij sui promissum cõsiliũ prætermitti.

5.

*Diaboli tentamentum in crumenâ.*

Transiens autem quodâ tempore vir Dei, cum suo socio per Apuliam iuxta Barrum: inuenit in viâ bursam magnam, quasi plena esset denariis, tumescentem, quam vitato vocabulo, Fundam appellant. Monetur à socio pauper Christi, & instanter inducitur, ut bursa tollatur è terrâ, & pecunia pauperibus erogetur. Renuit homo Dei, cõmentum affirmans fore diaboli in bursâ inuentâ: & fratrem non suadere rem meriti, sed peccati, aliena scilicet surripere ac donare. Recedunt de loco, festinant iter perficere cceptum. Sed nondũ quiescit frater, vacuâ pietate delusus, virum Dei molestas, quasi qui de releuandâ pauperum penuriâ non curaret. Acquieuit tandem vir mitis, redire ad locum: non ut fratris voluntatem perficeret, sed ut detegeret diabolicam fraudem. Reuersus est ergo ad Fundam cum fratre, & iuvene quodam qui erat

in

in via. Oratione præmissa, iubet socio illam leuare. Tremefactus frater obstupuit, diabolicum iam præsentiens monstrum: propter obedientiæ tamen sanctæ mādatur, dubietatem abigens cordis, manum extendit ad bursam. Et ecce serpens non modicus de bursa exsilens, simulque cum ipsa subito euanescebat, diabolicam deceptionem fratri monstrauit. Hostilis itaque versutiæ deprehensâ fallaciâ, dixit vir sanctus ad socium; Pecunia seruis Dei, ô frater, nihil aliud est, quàm diabolus, & coluber venenosus.

*Pecunia seruis Dei diabolus.*

Accidit post hæc, quoddam mirabile viro sancto, dum se ad ciuitatem Senensem, causâ exigente, transferret. Tres quidem mulieres pauperulæ, staturâ, ætate, ac facie per omnia similes, in quadâ ei magnâ planitie, inter Campilium & sanctum Quiricum occurrerunt; nouum salutationis munusculum ei offerentes; Bene veniat, inquit, domina paupertas. Quo audito, verus paupertatis amator indicibili repletus est gaudio: utpote qui nihil in se salutandum ab hominibus tam libèter haberet, quàm quod illæ decreuerant. Subitò disparantibus illis, considerantes fratres socij tam admirabilem in eis similitudinem, salutationis, occursum, & disparitiæ nouitatem; mysticum aliquid designari circa virum sanctum non irrationabiliter perpenderunt. Sanè per illas tres, ut videbatur, mulieres pauperulas, sic vni formi facie occurrentes, sic salutantes insolitè, sic subitò disparètes, Euangelicæ perfectionis formositas, quantum ad castitatem scilicet, obedientiam & paupertatem, satis conuenienter ostenditur in viro Dei, pari formâ perfectè fulsisse: licet gloriari prælegerit in priuilegio paupertatis, quam modò matrem, modò sponsam, modò dominam nominare solebat.

6.

*Tres pauperulae mulieres eam occurrunt.*

*Tria nota significantia.*



*S. Franciscus  
pauper ipse,  
non fecit se  
pauperiorem  
alium.*

In hac ceteros cupiebat excedere, qui ex ipsâ didicerat inferiorem se omnibus reputare. Si quando igitur pauperiorem se quempiam, secundum exteriorem habitum cerneret, semetipsum protinus arguens excitabat ad simile: tanquam si æmula paupertate concertans, vinci se timeret in illo. Accidit enim, ut pauperulum quendam obuium haberet in viâ: cuius cum nuditatem aspiceret, compunctus corde, lamentabili voce dixit ad socium: Magnam verecundiâ intulit nobis huius inopiâ: quia nos pro magnis diuitiis paupertatem elegimus: & ecce magis relucet in isto.

7.

Propter sanctæ paupertatis amorem, omnipotentis Dei famulus, eleemosynis ostiatim quæsitis utebatur multo libentiùs, quàm oblatiis. Si quando enim inuitatus à magnis personis, mensis esset profusioribus honorandus: prius per propinquas vicinorum domos, panum fragmenta petebat, ac deinde sic ditatus inopiâ, discumbebat. Et cum aliquando id fecisset, inuitatus à Domino Hostiensi, qui pauperem Christi præcipuo complexabatur affectu; conquerenti Episcopo, quod suo derogasset honori: utpote qui in eius comesturus domo, pro eleemosynis isset, seruus Dei respondit: Magnum mi domine, vobis honorem exhibui, dum maiorem Dominum honoravi: siquidem beneplacitum est Domino in paupertate, & eâ maxime, quæ voluntaria pro Christo mendicitas est. Hanc dignitatem regalem, quam<sup>a</sup> pro nobis Dominus Iesus egenus factus, assumpsit, ut suâ nos ditaret inopiâ, ac verè<sup>b</sup> pauperes spiritu, regni cælorum reges institueret, & hæredes; nolo relinquere pro feudo diuitiarum falsarum, nobis ad horâ concessio.

*Mendicitas  
voluntaria  
Christo placet.*

<sup>a</sup> 2 Cor. 8. 9.

<sup>b</sup> Mat. 5. 3.

8.

Nonnunquam fratres ad petendum eleemosynam hortans, verbis utebatur huiusmodi; Ite, inquit,

quit, quoniam hac nouissimâ horâ fratres Minores commodati sunt mundo, vt electi in eis impleant, vnde à Iudice commendentur: illud audientes suauissimum verbum; *Quãdiu fecistis vni* <sup>Mat. 25. 40.</sup> *ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Iucundum proinde dicebat, sub fratrum Minorum titulo mendicare, quem in retributione iustorum; Euangelicę veritatis magister, ore suo tam signanter expressit. In festis quoque præcipuis, vbi oportunitas aderat, mendicare solitus erat: dicens in sanctis pauperibus Propheticum illud impleri, *Pa-* <sup>Psal. 77. 26.</sup> *nem Angelorum manducauit homo.* illū sanē panem <sup>Panis mendicatus panis Angelorum.</sup> Angelicum esse dicebat, quem pro Dei petitem amore, & beatis suggerentibus Angelis, pro ipsius caritate largitum, sancta paupertas colligit ostiatim. Vnde cū semel die sancto Paschæ, moram faceret in eremitorio quodam ad eò ab hominum habitatione remoto, quòd commodè mendicare non posset: memor illius, qui <sup>Luc. 24. 18.</sup> discipulis euntibus in Emaus, ipso die in specie peregrini apparuit; ab ipsis fratribus eleemosynam petiit, vt peregrinus & pauper. Quam cū accepisset humiliter, sacris eos informauit eloquiis: quòd transeuntes per mundi desertum, tanquam peregrini & aduenæ, verique Hebræi, Pascha Domini, hoc est, <sup>Ioan. 13. 1.</sup> transitum ex hoc mundo ad Patrem, in paupertate spiritus, continuè celebrarent.

Et quoniam in petendis eleemosynis, non quæ- <sup>9.</sup> stus agebatur cupidine, sed spiritus libertate: pater pauperum Deus specialem de ipso curam gerere videbatur. Accidit enim, vt infirmitate grauatus Domini seruus in loco Noceriæ, reduceretur Assisium per solennes nuncios, ad hoc Assisinas populi deuotione transmissos. Qui Christi famulum deducetes, ad villam quandam deueniunt

*Mendicatio  
per amorem  
Domini oritur  
quod pecunia nequirit.*

pauperulam, nomine Sarthianum: ubi cum famines & hora cibum expeterent, euntes & nihil inuenientes venale, vacui redierunt. Ad quos vir sanctus, ideo nihil inuenistis, quia plus in muscis vestris quam in Domino confiditis. Muscas nempe denarios vocauit. Sed reuertimini, ait, per domos quas circuistis, & amorem Dei offerentes pro pretio, humiliter elemosynam postulate. Nec falsam estimationem verecundum putetis aut vile: quoniam vniuersa in elemosyna, post peccatum, dignis & indignis, elemosynarius ille magnus, largiflua pietate concessit. Deponunt erubescentiâ milites: & elemosynam sponte petentes, plura pro Dei amore quam denariis emunt. Siquidem diuino nutu, corde compuncti pauperes incolæ, non solum sua, sed & seiplos liberaliter obtulerunt. Sicque factum est, ut inopiam, quam pecunia releuare non poterat, Francisci pauperes opulenta suppleret.

IO.  
*Melici obsequium erga  
S. Franciscum  
compenfatur  
magno beneficio.*

Tempore quo infirmus iacebat in eremitorio prope Reate; medicus quidam opportuno eum frequentabat officio. Cum autem Christi pauper impotens esset ad rependendam mercedem labori condignam: liberalissimus Deus ne ipsum sine presentis remuneratione dimitteret, pium eius obsequium, hoc nouo beneficio, vice pauperis compensauit. Huius enim medici domus, quam tunc temporis ex omni lucro suo de nouo construxerat: parietum patulâ scissione, à summo usque deorsum, adeo de proximo minabatur ruinam, quod non videbatur per humanæ artis industriam possibile ipsius casui obuiare. Ipse verò de sancti viri meritis plenè confidens; cum magnæ fidei deuotione petiuit à sociis eius aliquid sibi concedi, quod idem vir Dei manibus contrectasset. Cum igitur modicum de capillis ipsius, multam precum obtentum instantiam,

tiâ, posuisset de serò intra muri scissuram: manè  
 conflurgens tantâ inuenit aperturam illam solidi-  
 tate conclusam, vt nec reliquias ibi positas posset  
 extrahere, nec scissuræ prioris vestigium aliquod  
 inuenire. Factumque est, vt qui ruinoso corpuscu-  
 lo serui Dei sedulè ministrarat, ruituræ domus  
 propriæ periculo præcaueret.

Alio quoque tempore, vir Dei ad quandam ere-  
 mum transferre se volens, vt ibi liberius contem-  
 plationi vacaret, quia debilis erat, cuiusdam viri  
 pauperis vectabatur asello. Cumque diebus æsti-  
 uis, famulum Christi sequendo, vir ille montana  
 conscenderet, asperioris & longioris viæ itinere fa-  
 tigatus, nimioque sitis ardore deficiens: instanter  
 cœpit clamare post sanctum, En morior, inquit, si-  
 ti, nisi poculi alicuius beneficio continuò refocil-  
 ler. Absque morâ vir Dei profiliuit de asino: & fixis  
 in terrâ genibus, palmas tetendit in cælum, orare  
 non cessans, donec se intellexit auditum. Oratio-  
 ne tandem finitâ; Festina, inquit viro, ad petram,  
 & illic aquam viuam inuenies: quam tibi hac ho-  
 râ, misericorditer Christus de lapide bibendâ pro-  
 duxit. Stupenda Dei dignatio, quæ seruis suis tam  
 facile se inclinat. Bibit sitiens homo aquam de pe-  
 trâ, orantis virtute productam, & poculum hausit  
 de saxo durissimo. Aquæ decursus ibidè antè non  
 fuit: nec vt est diligenter quæsitum, deinceps po-  
 tuit inueniri.

II.

*Oratione  
 aqua e petra  
 produxit.*

Qualiter autem per merita sui pauperis, Chri-  
 stus multiplicauerit cibos in mari, cum suo sit lo-  
 co inferius adnotandum, hoc tantùm commemo-  
 rasse sufficiat, quòd de eleemosynâ modicâ sibi col-  
 latâ, nautas à famis & mortis periculo, per dies plu-  
 rimos liberauit: vt ex hoc liquidò possit aduertiri,  
 quòd omnipotētis Dei famulus, sicut in educio-

12.

similis Moyfi  
& Elifao.  
Exodi 17, 6.  
4. Reg. 4, 43

ne aquæ de petrâ, conformis extitit Moyfi; sic in multiplicatione victualium, Elifao. Procul igitur à pauperibus Christi diffidentia omnis abscedat. Si enim paupertas Frâncisci ad eò copiosæ sufficientiæ fuit, vt subuenientium sibi, defectus tam mirâ virtute suppleret, quòd nec cibus, nec potus, nec domus deesset, cum pecuniæ, & artis, & naturæ facultas defecerat: multò magis illa merebitur, quæ vfitato diuinæ prouidentiae ordine, communiter conceduntur. Si, inquam, petrâ siccitas ad pauperis vocem, abundans poculum sitienti propinavit pauperulo: nil iam inter omnia suum denegabit obsequium his, qui pro auctore omnium omnia reliquerunt.

## CAPVT VIII.

*De pietatis adfectu. & quomodo ratione carentia adfici videbantur ad ipsum.*

S. I.  
1 Tim. 4, 2.  
Pietas S. Frâncisci totum sibi vpicat.

**P**IETAS vera, quæ secundum Apostolum, ad omnia valet, ad eò cor Francisci repleuerat, ac penetrauerat, vt totum videretur virum Dei, in suum dominium vendicasse. Hæc est, quæ ipsum per deuotionem sursum agebat in Deum; per compassionem trâsformabat in Christum; per condescensionem inclinabat ad proximum: & per vniuersalem conciliationem ad singula, refigurabat ad innocentiae statum. Cumque per hanc piè moueretur ad omnia: specialiter tamen animas Christi Iesu sanguine pretioso redemptas, cum cerneret inquinari aliquâ sorde peccati, tantâ miserationis teneritudine deplorabat, vt eas tanquam mater in Christo, quotidie parturiret. Et hæc penes ipsum causâ præcipua venerandi Verbi Dei ministros: quòd semen fratri suo defuncto, Christo

Verbi Dei ministros veneratur pros.  
Dei. 25, 6.

Christo videlicet, pro peccatoribus crucifixo, per ipsorum conuersionem, & piâ solitudine suscipient, & sollicitâ pietate gubernent. Istiusmodi miserationis officium patri misericordiarum omnium sacrificio firmabat acceptius: maximè si studio fuerit perfectæ caritatis impensum: vt ad id laboretur magis exemplo, quàm verbo, magis lacrymosa prece, quàm loquaci sermone. Plangendum proinde dicebat prædicatorem, tanquam verâ pietate priuatum: siue qui in prædicatione, non animarum quærit salutem, sed propriam laudem; siue qui prauitate destruit vitæ, quod ædificat veritate doctrinæ. Præferendum huic dicebat fratrem simplicem & elinguem, qui bono exemplo alios prouocat ad bonum. Illud quoque verbum, "Donec" <sup>1. Reg. 2 5.</sup> *sterilis peperit plurimos*; taliter exponebat: Sterilis, inquit, est frater pauperculus, qui generandi in Ecclesiâ filios non habet officium. Hic pariet in iudicio plurimos: quia quos nunc priuatis orationibus conuertit ad Christum, suæ gloriæ tunc Iudex adscribet. Quæ multos habet filios, infirmabitur: quia prædicator vanus & loquax, qui multis nunc, quasi suâ virtute genitis gaudet, cognoscet tunc se nil proprij habere in eis.

Cum igitur animarum salutem viscerosâ pietate appeteret, & feruidâ emulatione zelaret: suauissimis se dicebat repleri odoribus, & quasi vnguento pretioso liniri, cum sanctorum fratrum per orbem distantium odoriferâ famâ multos audiret ad viam veritatis induci. Ex talium auditu exultabat in spiritu: benedictionibus omni acceptione dignissimis fratres illos accumulans, qui verbo vel opere ad Christi amorem inducerent peccatores. Sic etiam qui Religionem sacram, iniquis violaret operibus, maledictionis eius grauissimam incurrebant

D 5 bant

<sup>2. Cor. 1 3.</sup>

*Non vanos  
& audios  
laudes.*

<sup>1. Reg. 2 5.</sup>

2.

*Bonis fratribus benedixit.*

*Maledicit  
improbia.*

bant sententiam; A te Domine, inquit, sanctissimi, me, & à totâ cælesti curiâ, & à me paruulo tuo sine maledicti: qui suo malo exemplo confundunt & destruunt, quod per sanctos fratres Ordinis huius ædificasti, & ædificare non cessas. Tantâ frequenter afficiebatur mœstitia super scandalo pusillorû, vt deficere se putaret, nisi diuinæ fuisset clementie consolatione suffultus. Cùm autem semel malis turbatus exemplis, anxio spiritu misericordie patrem precaretur pro filiis: responsum huiusmodi reportauit à Domino; Cur tu pauper homuncio conturbaris? An ego te super Religionem meam sic pastorem institui, vt me principalem nescias esse patronum? Hominem simplicem ad hoc te constitui: vt quæ in te fecero, non humanæ industriæ, sed supernæ gratiæ adscribatur. Ego vocaui, seruabo, & pascam, & aliis excidentibus alios subrogabo: ita vt si nati non fuerint, faciam illos nasci. Et quantiscunque fuerit impulsibus pauper-cula hæc concussa Religio, salua semper meo munere permanebit.

3.  
*Detractionem  
abhorret vt  
pestem.  
Eccle. 10. 11.*

Detractionis quoque vitium inimicum fonti pietatis & gratiæ, tanquam serpentinum abhorrebat morsum, & atrocissimam pestem, & piissimo Deo abominabile fore firmabat: pro eo quod detractor animarum sanguine pascitur, quos gladio linguæ necat. Audiens semel, fratrem quendam denigrare famam alterius; conuersus ad Vicarium suum dixit: Surge, surge, discute diligenter: & si accusatum fratrem innocentem reperis, accusantem durâ correctione cunctis redde notabilem. Nonnunquam verò eum, qui fratrem suum famæ gloriâ spoliaret, iudicabat habitu spoliandum: nec ad Dominum oculos posse leuare, nisi prius quod abstulerat, reddere pro posse curaret. Tantò maior est

est (aiebat) detractorū impietas, quā latronum; quanto lex Christi, quæ in obseruantia pietatis impletur, magis animarum, quā corporum nos astringit optare salutem.

Afflictis quoque qualicunque corporali molestia, mirā compassionis teneritudine condescendēs; si quid penuriæ, si quid defectus in aliquo cerneret, pij cordis dulcedine regerebat in Christum. Sanè clementiam habebat ingenitam, quam superinfusa Christi pietas duplicabat. Itaque liquefcebatur animus eius ad pauperes & infirmos, & quibus non poterat manum, exhibebat affectum. Contigit semel, vt pauperi cuidam elemosynam importunè petenti vnus è fratribus durius responderet. Quod audiens pauperum pius amator, fratri præcepit, vt ad illius pauperis pedes se nudatum prosterneret: proclamaret culpabilem, orationis suffragium postularet, & veniam. Quod cum ille fecisset humiliter, dulciter pater adiecit; Dum pauperem vides, ô frater, speculū tibi proponitur Domini, & pauperis matris eius. In infirmis similiter infirmitates quas assumpsit, considera. Cumq; in pauperibus cunctis, & ipse Christianissimus pauper effigiem Christi prospiceret: si qua etiam necessaria vitæ sibi collata fuissent, eis occurrentibus non solum liberaliter conferebat, verum etiam ac si illorum propria essent, iudicabat esse reddenda. Accidit semel, vt eidem redeunti de Senis, pauper quidam occurreret: cum occasione infirmitatis, super habitum palliolo quodam esset amictus. Cuius miseriam oculo clementi conspectam; Oportet, inquit ad socium, vt reddamus mantellū pauperulo isti, nam ipsius est: mutuo enim ipsum accepimus, donec pauperiorem inuenire contingeret. Socius autem, pij Patris necessitatem considerans,

*Detractorum  
maior impietas,  
quam latronum.*

4.  
*In aliorum  
afflictionibus  
Christum  
contemplatur.*

*Pauper speculum  
Domini  
Iesu, & Vir-  
ginis maris.*

*Mat. 53.4.  
Mat. 8. 17.*

*Palliolum  
suum stat  
pauperiori.*



rans, pertinaciter obfisteat, ne prouideret alij, se neglecto. At ille; Pro furto, ait, mihi reputo à magno elemosynario imputandum; si hoc quod fero, non dederò magis egenti. Propterea, de omnibus quæ sibi dabantur ad necessitatem corporis releuandam, solitus erat à dantibus licentiam petere: vt licitè posset, si magis egenus occurreret erogare. Nulli prorsus rei parcebat, nec mantellis, nec tunicis, nec libris, nec etiam paramentis altaris: quin omnia hæc dum posset, vt pietatis impleret officium, indigentibus largiretur. Pluries cum oneratis obuiaret in viâ pauperibus, imbecilles humeros illorum oneribus supponebat.

5. Consideratione quoque primæ originis omnium abundantiori pietate repletus, creaturas quâlibet paruas, fratris vel sororis appellabat nominibus: pro eo quod sciebat eas vnum secum habere principium. Illas tamen viscerosius complexabatur & dulcius, quæ Christi mansuetudinem piam, similitudine naturali prætendunt, & Scripturæ significatione figurant. Redemit frequenter agnos, qui ducebantur ad mortem: illius memor Agni mitissimi, qui ad occisionem duci voluit pro peccatoribus redimendis. Hospitato quadam vice seruo Dei apud monasterium sancti Verecundi, de Episcopatu Eugubij: ouicula quædam agniculum peperit illâ nocte. Aderat sus ferocissima, quæ vitæ innocentis non parcens, rapaci eum morfu necauit. Hoc audito, pius pater mirâ cõpassione commotus, & Agni sine maculâ recordatus; lamentabatur pro morte agniculi coram omnibus, dicens: Heu me, frater agnicule, animal innocens, Christum hominibus representans! maledicta sit impia, quæ te interfecit, nullusq; de eâ comedat homo, vel bestia. Mirabile dictu, Statim infirmari cœpit

*Creaturas originis causa fratres & sorores appellabas.*

*Isaia 53.7.*

*Esceatur suum & moritur.*

cepit porca malefica: & tribus diebus corpoream  
pœnam exsoluens, vlticem tandem pertulit ne-  
cem. Proiecta autem in vallem monasterij, ibique  
longo tempore iacens, in modum tabulæ desicca-  
ta, nulli fuit esca famelico. Aduertat igitur huma-  
na impietas, quali pœnâ sit feriêda finaliter, si tam  
horreda morte percussa est ferocitas bestialis. Per-  
pendat & fidelis deuotio, quàm in seruo Dei pie-  
tas fuerit admirandæ virtutis, & copiosæ dulcedi-  
nis, vt ei applauderet suo modo etiam natura bru-  
torum. Iter enim faciens iuxta ciuitatē Senen-  
sem, inuenit in pascuis magnum ouium gregem.  
Quas cum benignè (vt erat solitus) salutasset, reli-  
cto pascu, cucurrerunt omnes ad eum: leuantesq;  
capita sua, erectis in eum luminibus intendebant.  
Tantum quidem ei fecerunt applausum, vt & pa-  
stores mirarentur & fratres: cernentes circa ipsum  
tam ouium agnos, quàm ipsos arietes sic mirabi-  
liter exultantes.

*Ouis accur-  
runt, & ei  
adplaudunt.*

Alio quoque tempore, apud sanctam Mariam  
de Portiunculâ, quædam viro Dei fuit ovis obla-  
ta, quam propter innocentia & simplicitatis amo-  
rem, quas ouis natura præterdit, gratanter susce-  
pit. Monebat pius vir ouiculam, vt & laudibus di-  
uinis intenderet, & ab omni fratrum offensâ caue-  
ret. Ovis autem, quasi viri Dei pietatem aduertet,  
informationē ipsius sollicitè obseruabat. Nam  
audiens fratres in choro cantare, & ipsa Ecclesiam  
ingrediens, sine alicuius informatione, flectebat  
genua: vocem balatus emittens, ante altare Virgi-  
nis Matris Agni, ac si eam salutare gestiret. Insu-  
per & cum eleuaretur sacratissimum Christi cor-  
pus, inter missarum solennia, flexis curuabatur po-  
plitibus: tanquam si reuerens pecus de irreueren-  
tiâ indeuotos argueret; Christoq; deuotos ad Sa-  
cra-

6.

*Ovis S. Eu-  
charistiam  
in Missâ ad-  
orat.*

cramenti reuerentiam inuitaret. Tempore quodam agniculum in Vrbe secum habuerat, ob reuerentiam illius mitissimi agni, quem nobili matronæ, dominæ scilicet Iacobæ de Septem-soliis, in suo recessu conseruandum commisit. Agnus verò quasi in spiritualibus eruditus à Sancto, dominæ ad Ecclesiam eunti, stanti & reuertenti, societate inseparabili cohærebat. Si matutinali horâ, domina tardaret exsurgere, agnus consurgens impellebat eam corniculis, & balatibus excitabat, gestibus adhortans & nutibus, vt ad Ecclesiam properaret. Propter quod, agnus Francisci discipulus, deuotionis iam magister effectus, vt mirabilis & amabilis à dominâ seruabatur.

7.  
S. Francisci  
innocenti red-  
ditum domi-  
nism in be-  
stias.

Alio quoque tempore, apud Gracium, viuis viro Dei oblatu fuit lepuleculus: qui liber in terrâ positus, cum posset quò vellet effugere, vocante se Patre benigno, in sinum illius propeo cursu saltauit. Quem ipse pio cordis affectu circumfouens, videbatur eidem compati quasi mater: dulciq; allocutione commonitum, ne se iterum capi permitteret, liberum abire permisit. Cumque pluries in terra positus vt abscederet, semper in sinum Patris rediret (tâquam si sensu quodam occulto, cordis ipsius perciperet pietatem) tandem inssu Patris à fratribus delatus est ad loca solitudinis tutiora. Modò quoque consimili, in insulâ lacus Perusini, cuniculus quidâ captus, & viro Dei oblatu, cum ceteros fugeret, manibus eius & sinui, se domesticâ securitate commisit. Per lacum Reatinum eidem ad eremum de Gracio properanti, piscator vnâ ex deuotione fluuiâlè obtulit auem: quam cum libèter susceptam apertis inuitaret manibus ad recessum, nec illa vellet abire, erectis in cælum oculis, diu in oratione permanfit: & quasi aliunde post

post longam horam ad se reuersus, dulciter iteratò mandauit auiculæ, vt Dominum laudatura recederet. Susceptâ itaque cum benedictione licentiâ, gestu corporis quoddam prætendens gaudium, auolauit. In eodem lacu, similiter oblatus fuit ei piscis magnus & uiuus: quem more solito, fraterno nomine vocans, in aquam reposuit iuxta nauem. Piscis verò eoram viro Dei ludebat in aquâ: & quasi amore illius allectus, nullatenus recessit à nauî, nisi priùs ab eodem cum benedictione licentiâ sibi datâ.

Alio quoque tempore, ambulans cum quodam fratre per paludes Venetiaram, inuenit maximam auium multitudinem residentium, & cantantium in virgultis. Quibus visis dixit ad socium; Sorores aues laudant creatorem suum: nos itaque in medium ipsarum cuntes, laudes & horas Canonicas Domino decantemus. Cumque in medium ipsarum intrassent, nō sunt aues motæ de loco. & quia propter garritum ipsarum, in dicēdis horis se mutuo audire non poterant, conuersus vir sanctus dixit ad aues; Sorores aues, à cātu cessate, donec laudes Deo debitas persoluamus. At illæ continuò tacuerunt: tam diu in silentio persistentes, quamdiu dictis horis spatiosè, & laudibus persolutis, à sancto Dei cantandi licentiam receperunt. Dante autem eis viro Dei licentiam, statim more solito cantum suum resumpserunt.

Apud sanctam Mariam de Portiunculâ, iuxta cellam viri Dei, super ficum Cicada residens & decantans, cum seruum Domini (qui etiam in paruis rebus, magnificentiam Creatoris admirari didicerat) ad diuinas laudes, cantu suo frequentius excitaret: ab eodem quadam die vocata, velut edocta cælitus, super manum volauit ipsius. Cui cum dixisset;

8.

*Auiculæ cum  
rillantes sic,  
tantis spiritibus  
preces legit  
horarias.*

9.

*Cicada cum  
ad laudes Dei  
excitat.*

dixisset; Canta soror mea Cicada, & Dominum creatorem tuo iubilo lauda, sine morâ obediens canere cœpit, nec destitit, donec iussu patris ad locum proprium reuolauit. Mansit autem per octo dies ibidem; quolibet die veniendo, cantando, & recedendo, eius iussa perficiens. Tandem vir Dei ait ad socios; Demus iam sorori nostræ Cicadæ licentiam: satis enim nos suo cantu lætificans, ad laudes Dei octo dierum spatio excitauit. Et statim ab eo licentiata recessit; nec ultra ibidem apparuit, ac si mandatū ipsius nō auderet aliquatenus prætereire.

19.  
*Phasianus ab eo non patitur  
seungi.*

Eidem Senis infirmo, Phasianus quidam de nouo captus, à nobili quodam transmissus est uiuus: qui continuò ut virum sanctum audiuit & vidit, tantâ ei amicitate cohesit, ut nullo modo pateretur ab ipso seiungi. Nam pluribus vicibus, extra locellum fratrum, in vineâ positus, ut abiret, si vellet, rapido semper cursu redibat ad Patrē: tanquam si ab eodē omni fuisset tempore educatus. Deinde cuidam collatus viro, qui ex deuotione feruum Dei visitare solebat; velut sibi molestum foret à pij Patris absentari conspectu, escam recusauit omnino. Reportatus tandem ad famulū Dei, statim ut conspexit eundem, quibusdam hilaritatis prætextibus, auidè manducauit.

17.  
*Aues congru-  
sulantur ei  
aduolantes.*

Cum ad eremum peruenisset Aluernæ, propter Quadragesimam celebrandam in honorem Archageli Michaëlis: diuersi generis aues circa ipsius cellulam volitantes, concentu sonoro, & lætitiæ gestibus, quasi de eius aduentu gaudentes, Patrem piū inuitare, ac allicere videbantur ad moram. Quo viso, dixit ad socium; Cerno frater, voluntatis esse diuinæ, quod hinc aliquamdiu commoremur: tantum sorores auiculæ de nostrâ videntur præsentiam consolari. Cum igitur contraheret ibi moram,

moram, falco ibidem nidificas, magno se illi amicitiae foedere copulauit. Nam semper horam nocturno tempore, in qua vir sanctus ad diuina officia surgere solitus erat, cantu suo praueeniebat & sono: quod famulo Dei gratissimum erat: eo quod tanta sollicitudo, quam circa eum gerebat, omnem ab ipso torporem desidia excuteret. Cum vero seruus Christi infirmitate plus solito grauaretur, parcebat falco, nec tam tempestiuas indicebat vigilias: siquidem velut instructus a Deo, circa diluculum, suae vocis campanam leui tactu pulsabat. Diuinum certè videtur fuisse praesagium, tam in exultatione multimodi generis auium, quam in cantu falconis: cum Dei laudator & cultor, pennis contemplationis subuectus, tunc foret illie apparitione Seraphicâ sublimandus.

Moram eo faciente, tempore quodam in eremitorio Graecij; loci illius indigenae malis multiplicibus vexabantur. Nam & luporum rapacium multitudo; non solum bruta, sed & homines consumebat: & grando annuâ tempestate blada & vineas deuastabat. Dum igitur sic afflictis praeco sacri Euangelij predicaret, dixit ad eos; Ad honorem & laudem Dei omnipotentis fidere iubeo vobis; quod pestilentia haec omnis abscedet; & respiciens vos Dominus, multiplicabit in temporalibus bonis, si mihi credentes misereamini vestri: vt verâ confessione praemissâ, dignos faciatis paenitentiae fructus. Iterum hoc annuncio vobis, quod si beneficiis ingrati, ad vomitum conuersi fueritis: innotabitur plaga, duplicabitur poena, & maior in vos irâ desauiet. Ab illâ utique horâ, paenitentiam ad exhortationem ipsius agentibus illis, cessauerunt clades, perière pericula: nec molestia quicquam lupi intulère, vel grandines. Imò quod maius est,

E si quan-

Falco enim  
excitat &  
sono.

12.

Luporum  
rapacium  
multitudo.

Tempesta  
et  
agris  
notia  
auertit.

1. Prou. 2. 6. 11.  
2. Pct 2. 27.

si quando vicinorum arua grâdo peruaderet : isto-  
rum terminis appropinquans, terminabatur ibi-  
dem, aut in partem aliam diuertebat. Cessauit  
grando, seruauerunt & lupi pacationem serui Dei:  
nec contra pietatis legem, in homines ad pieta-  
tem conuersos, attentauerunt amplius defœuire,  
quamdiu iuxta condictum, contra piissimas De-  
leges impiè non egerunt. Piè igitur sentiendû est  
de pietate viri beati : quæ tam miræ dulcedinis &  
virtutis fuit, vt domaret ferocia, domesticaret sil-  
uestria, mansueta doceret : & brutorum naturam  
homini iam lapsa rebellem, ad sui obedientiam  
inclinaret. Verè hæc est quæ cunctas sibi creaturas  
confœderans, *valet ad omnia, promissionem habens  
vitæ quæ nunc est, & futura.*

*1. Tim. 4. 8.*

CAPVT IX.

*De seruore caritatis eius. & desiderio  
martyrij.*

§. I.  
*Caritate totius  
ignis.*



CARITATEM feruentem, quâ sponsi  
amicus Franciscus ardebat, quis enarrare  
sufficiat? Totus namque quasi quidâ car-  
bo ignitus, diuini amoris flammâ videbatur ab-  
sorptus. Subitò enim ad auditum amoris Domini  
excitabatur, afficiebatur, inflamabatur : quasi  
plectro vocis extrinsecæ chorda cordis interior tâ-  
geretur. Talem pro elemosynis censum offerre,  
nobilem prodigalitem dicebat. & eos qui minùs  
ipsum, quàm denarios reputarēt, esse stultissimos:  
pro eo quòd folius diuini amoris impretiabile pre-  
tium, ad regnum cælorum sufficiat comparādum:  
& eius qui nos multum amauit, multum sit amor  
amandus. Vt autem ex omnibus excitaretur ad  
amorem diuinum, exsultabat in cunctis operibus  
manuum

manuum Domini: & per iucunditatis specula, in  
 viuificam cōsurgebat rationem, & causam. Con-  
 tuebatur in pulchris pulcherrimum; & per impres-  
 sa rebus vestigia prosequēbatur vbiq̄ dilectum:  
 de omnibus sibi scalam faciens, per quam cōscen-  
 deret ad apprehendendum eum, qui est desidera-  
 bilis totus. Inaudita namque deuotionis affectu,  
 fontalem illam bonitatem in creaturis singulis,  
 tanquam in riuulis degustabat: & quasi caelestem  
 concentum perciperet, in consonantiā virtutum;  
 & actuum eis datorum à Deo, ipsas ad laudē Do-  
 mini more Prophetæ Dauid dulciter hortabatur.

Christus Iesus crucifixus intra suæ mentis vbe-  
 ra, vt myrrhæ fasciculus iugiter morabatur: in  
 quem optabat, per excessiui amoris incēdium to-  
 taliter transformari. Prærogatiuā quoque pecu-  
 liaris deuotionis ad ipsum, ab Epiphaniæ festo, vs-  
 que ad cōtinuos quadraginta dies, eo scilicet tem-  
 pore, quo Christus latuit in deserto, ad solitudi-  
 nis loca declinans, cella que reclusus, quantā pote-  
 rat artitudine cibi & potus, ieiuniis, & orationi-  
 bus, & laudibus Dei, sine intermissione vacabat.  
 tam feruido quidem in Christum ferebatur affe-  
 ctu. Sed & dilectus, illi tam familiarem repende-  
 bat amorem, vt videretur ipsi famulo Dei, quasi  
 iugem præ oculis, ipsius Saluatoris sentire præsen-  
 tiam; sicut aliquando fociis familiariter reuelauit.  
 Flagrabat erga sacramentum Dominici corporis,  
 feruore omnium medullarum: stupore admirans  
 permaximo, illam carissimam dignationem, & di-  
 gnantissimam caritatem. Sæpe communicabat, &  
 tam deuotē, vt alios deuotos efficeret: dum ad im-  
 maculati Agni degustationem suauem, quasi spiri-  
 ritu ebrius, in mentis vt plurimum rapiebat ex-  
 cessum. Matrem Domini nostri Iesu Christi indi-

*Scala ad Deū  
 illi sunt crea-  
 turæ.*

*Psal. 148. 12  
 Dan. 3. 57.*

2.

*Cant. 1. 13.  
 Ieiunat ab  
 Epiphania  
 Domini dies  
 40.*

*Mat. 4. 10.*

*Flagrabat a-  
 more in S. Eus  
 charistiam.*

*Sæpe commu-  
 nicabat, &  
 deuotē.*



*s. Mariam  
suã advocatã  
fecit, suãq.*

*Angelũ fer-  
vidus am 1. 07.  
Psal. 103. 4.*

*Item Aposto-  
lorum.  
Ezech. 28.  
12.*

3.

cibili complectebatur amore: eo quòd Dominũ  
Maieſtatis fratrem nobis effecerit, & per eam si-  
mus misericordiam conſequuti. In ipſã poſt Chri-  
ſtum præcipuè fidens: eam ſui ac ſuorum aduoca-  
tam conſtituit. & ad honorem ipſius à feſto Apo-  
ſtolorum Petri & Paulli, uſque ad feſtum Aſſum-  
tionis, deuotiſſimè ieiunabat. Angelicis ſpiritibus  
ardētibus igne mirifico, ad excedendũ in Deum,  
& electorum animas inflammandas, inſeparabilis  
erat amoris vinculo copulatus: & ob deuotionem  
ipſorum, ab Aſſumptione Virginis glorioſæ, qua-  
draginta diebus ieiunans, orationi iugiter inſiſte-  
bat. Beato autem Michaeli Archangelo, eo quòd  
animarum repræſentandarum haberet officium,  
ſpeciali erat amore deuotior: propter feruidum  
quem habebat zelum, ad ſalutem omniũ ſaluan-  
dorũ. Ex recordatione Sanctorum omnium, tan-  
quam lapidum ignitorum, in Deificum recaleſ-  
cebat incendium, Apoſtolos omnes, & præcipuè  
Petrum & Paullum, propter feruidam caritatem  
quam habuerunt ad Chriſtum, ſummã deuotione  
complexans: ob quorum reuerētiam & amorem,  
quadageſimæ ſpecialis ieiunium Dño dedicabat.

Non habebat aliud Chriſti pauper niſi duo mi-  
nuta, corpus ſcilicet & animam, quod poſſet libe-  
rali caritate largiri. Sed hæc per amorem Chriſti  
ſic offerebat continuè, vt quali omni tempore per  
rigorem ieiunii corpus; & per ardorem deſiderij,  
ſpiritum immolaret: exterius in atrio ſacrificans  
holocauſtum, & in templo interiùs concremans  
thymiana. Sic autem eum caritatis exceſſiua de-  
uotio ſurſum in diuina ferebat, vt eiùſdem affe-  
ctuoſa benignitas ad nature conſortes & gratiæ di-  
lataret. Quem enim creaturis ceteris germanum  
pietas cordis effecerat: mirum non eſt, ſi Crea-  
ris

ris insignitis imagine, & sanguine redemptis auctoris, germaniorem Christi caritas faciebat. Non se Christi reputabat amicum, nisi animas foueret, quas ille redemit. Saluti animarum nihil præterendum esse dicebat: eo maxime probans, quod unigenitus Dei pro animabus dignatus fuerit in cruce pendere. Hinc sibi in oratione luctamen, in prædicatione discursus, & in exemplis dandis excessus. Vnde quoties austeritas nimia reprehenderetur in ipso; respondebat se datum alius in exemplum. Licet enim innocens eius caro, quæ iam se sponte subdebat spiritui, nullo egeret flagello, propter offensas: tamen exempli causâ renouabat illi pœnas & onera; custodiens propter alios vias duras. Dicebat enim, *si linguis hominum loquar, & Angelorum, caritatem autem in meipso non habeam, & proximis virtutum exempla non monstram, parum profum aliis, mihi nihil.*

*Animarum salutem in primis curam dabat.*

*Psal. 16. 4.*

*1 Cor. 13. 1.*

Feruenti quoque caritatis incendio, gloriosum sanctorum Martyrum æmulabatur triumphum: in quibus nec amoris flamma extingui, nec fortitudo potuit infirmari. Desiderabat propterea & ipse, illâ perfectâ caritate succensus, quæ foras mittit timorem, per martyrij flammam, hostiam Domino se offerre viuentem: vt & vicem Christo pro nobis morienti rependeret, & ad diuinum amorem ceteros prouocaret. Sexto namque conversionis suæ anno, desiderio martyrij flagrans, ad prædicandam fidem Christianam, & pœnitentiâ Saracenis, & aliis infidelibus, ad partes Syriæ transfretare disposuit. Cumque nauem quandam vt illuc tenderet, conscendisset: ventis contrariis flantibus, compulsus est in Sclauoniæ partibus applicare. Cum igitur moram aliquândiu contraxisset ibidem, nec inuenire posset nauem tunc temporis

*4.*

*SS. Martyrum æmulabatur triumphum.*

*1 Ioan. 4. 19.*

*In Syriam transfretas.*

ris transfretantem: fraudatum à suo desiderio se-  
sentiens, nautas quosdam Anconam tendentes, vt  
amore Dei eum secum ducerent, exorauit. Verum  
illis propter expensarum defectum, pertinaciter  
reculantibus; vir Dei plurimum de Domini boni-  
tate confusus, nauem cum socio latenter conscen-  
dit. Adfuit quidam, à Deo, vt creditur, pro paupe-  
re suo missus: qui secum ferens necessaria victus,  
quendam timetem Deum de nauì ad se vocatum  
sic alloquutus est. Hęc pro pauperibus fratribus in  
nauì latitantibus, conserua fideliter, ac necessitatis  
tempore amicabiliter subministra. Sicque factum  
est, vt nautis propter vim ventorū, per dies pluri-  
mos nusquam applicare valentibus, omnia consu-  
merentur ipsorum cibaria, & sola pauperi Franci-  
sco collata de super elemosyna superesset. Quæ  
cū esset permodica, tantum diuinā virtute sus-  
cepit augmentum: vt diebus plurimis in mari, pro-  
pter tempestatem continuam contrahētibus mo-  
ram, vsque ad portum Anconæ, omnium necessi-  
tatibus plenariē subueniret. Videntes itaque nau-  
tæ, per seruum Dei multa se mortis euasisse discrimi-  
na; tanquam qui maris horrenda pericula sen-  
ferant, & miranda opera Domini viderant in pro-  
fundo, gratias egerunt omnipotenti Deo: qui sem-  
per in suis amicis & seruis mirabilem, & amabi-  
lem se ostendit. Cū autem relicto mari terram  
perambulare cœpisset, iactato in eam salutis semine,  
reportabat manipulos fructuosos.

*Franciscum eius  
in nauì non  
consumunt.*

*Psal. 67. 36.*

f.

Verum quia martyrij fructus ad eum cor eius alle-  
xerat, vt pretiosam pro Christo mortē, super om-  
nia virtutū merita peroptaret, versus Marrochium  
iter arripuit, vt Miramolino, & genti eius Christi  
Euangelium prædicaret: si quo modo ad concupi-  
tam palmam valeret attingere. Tanto namq; desi-  
derio

*Marrochium  
petit.*

derio ferebatur, vt quamuis esset imbecillis corpore, peregrinationis suæ præcurreret comitem: & ad exsequendum propositum festinus, & tanquam spiritu ebrius aduolaret. Sed cum iam vsque in Hispaniã perrexisset, diuina dispositione, quæ ipsum reseruabat ad alia; grauissima ei superuēnit infirmitas: quã præpeditus, quod cupiebat, adimplere nequiuit. Sentiens igitur vir Dei, quòd necessaria erat adhuc proli quam genuerat, ipsius vita in carne, quamuis mortem sibi lucrũ putaret esse: rediit ad pascendum oues suæ sollicitudini cõmendatas.

Verum caritatis ardore, spiritum ipsius ad martyrium perurgente, tertiã adhuc vice, pro fide Trinitatis, effusione sui sanguinis dilatandã, versus infideles proficisci tentauit. Tertio decimo namque conuersionis suæ anno, ad partes Syriæ pergens, multis se periculis constanter exposuit, vt Soldani Babylonix posset adire præsentia. Inter Christianos enim ac Saracenos tunc bellum tam implacabile erat; exercituum castris hinc inde in campo cominus ex aduerso locatis, vt via mutui transitus sine mortis discrimine non patēret. Exierat siquidem à Soldano edictum crudele: vt quicũque caput alicuius Christiani afferret, Bisantium aureum pro mercede reciperet. At intrepidus Christi miles Franciscus, sperans in proximo suum adipisci posse propositum, definiuit iter arripere: mortis pauore nõ territus, sed desiderio prouocatus. Oratione namque præmissã, confortatus à Domino, confidenter illud propheticum decantabat; *Nam*

Rursus proficiscitur in Syriam.

Nam psal. 22. 4.

*etsi ambulauero in medio umbrae mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.* Assumpto igitur socio fratre Illuminato nomine, viro utique luminis & virtutis; cum iter cœpisset, obuias habuit ouiculas duas: quibus visis exhilaratus vir sanctus, dixit

ad socium; Confide frater in Domino: nam in no-  
Mat. 10. 16. bis Euangelium illud impletur; *Ecco ego mitto vos  
 sicut oves in medio luporum.* Cum autem proces-  
A Saracenis  
 cepit. sissent ulterius, occurrerunt ei satellites Saraceni:  
 qui tanquam lupi celerius accurrētes ad oves, ser-  
 uos Dei feraliter comprehensos, crudeliter & con-  
 temptibiliter pertractarunt: afficientes conuitiis,  
 affligentes verberibus, & vinculis alligantes. Tan-  
 dem afflictos multipliciter, & attritos ad Soldanū,  
 diuinā disponente prouidentia, iuxta viri Dei de-  
Soldanum ad  
 fidem hęc a-  
 tur Christi a-  
 cepit. siderium perduxerunt. Cum igitur princeps ille  
 perquireret à quibus, & ad quid, & qualiter missi  
 essent, & quomodo aduenissent: intrepido corde  
 respondit Christi seruus Franciscus; Non ab ho-  
 mine, sed à Deo Altissimo se fuisse transmissum;  
 vt ei & populo suo viam salutis ostenderet, & an-  
 nunciaret Euangelium veritatis.

7. Tantâ verò mentis constantiâ, tantâ virtute ani-  
 mi, tantoque feruore spiritus, prædicto Soldano  
 prædicauit, Deum trinum & vnum, & Saluatorem  
 omnium Iesum Christum: vt Euangelicum illud  
Luce 22. 35 in ipso claresceret veraciter esse completum; *Ego  
 dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resiste-  
 re, & contradicere omnes aduersarij vestri.* Nam &  
 Soldanus admirandum in viro Dei feruorem spi-  
 ritus, conspiciens & virtutem, libenter ipsum au-  
 diebat, & ad moram contrahendam cum eo, in-  
 stantiùs inuitabat. Christi verò seruus superno il-  
 lustratus oraculo; Si vis, inquit, conuerti tu, cū po-  
 pulo tuo ad Christum: ob illius amorem libenter  
 vobiscum commorabor. Quòd si hæsitas, propter  
 fidem Christi, legem Mahumeti dimittere, iube  
Ignem para-  
 tus subire pro  
 assertionē fi-  
 dei Catholica. ignem accendi per maximum; & ego cum sacer-  
 dotibus tuis ignem ingrediar: vt vel sic cognoscas,  
 quæ fides certior & sanctior non immeritò tenēda  
 sit.

fit. Ad quem Soldanus; Non credo quòd aliquis de sacerdotibus meis se vellet igni propter fidem suam defendendam exponere, vel genus aliquod subire tormenti. Viderat enim statim quendam de presbyteris suis, virum authenticum & longauum, hoc audito verbo, de suis conspectibus aufugisse. Ad quem vir sanctus; Si mihi velis promittere pro te, & populo tuo, quòd ad Christi cultum, si ignem illæsus exiero, veniatis: ignem solus introibo. Et si combustus fuero, imputetur peccatis meis. si autem diuina me protexerit virtus: Christum Dei virtutem, & sapientiam, verum Deum, & Dominum Salvatorem omnium agnoscatis. Soldanus autem optionem hanc accipere, se non audere respondit: quia seditionem populi formidabat. Obtulit tamen ei multa munera pretiosa: quæ vir Dei non mundanarum rerum, sed salutis animarum avidus, spreuit omnia quasi lutum. Soldanus autem videns virum sanctum, tam perfectum rerum mundalium contemptorem: admiratione permotus, maiorem erga ipsum deuotionem concepit. Et quamuis ad fidem Christianam transire nollet, vel forsitan non auderet: rogauit tamen deuotè famulum Christi, vt prædicta susciperet pro salute ipsius, Christianis pauperibus vel Ecclesiis eroganda. Ipse verò quia pondus fugiebat pecuniæ, & in animo Soldani veræ pietatis non videbat radicem, nullatenus acquieuit. Videns etiam se non proficere in conuersione gentis illius, nec suum assequi posse propositum: ad partes fidelium, diuinâ reuelatione præmonitus, remeauit. Sic itaque Dei ordinâte clementiâ, & sancti viri promerente virtute, misericorditer & mirabiliter factum est, quòd Christi amicus, mortem pro ipso viribus totis exquiret, & tamen nullatenus inueniret: vt & merito

*Soldani munera spernit.*

*Rediit ad suos*

*¶ al. patētius.*

non careret optati martyrij, & insigniēdus serua-  
retur in posterū priuilegio singulari. Sic utiq; factū  
est, vt ignis ille diuinus, adhuc perfectiūs ipsius  
in carne. O verē beatum virum, cuius caro etsi ty-  
rannico ferro non cæditur, occisi tamē agni simi-  
litudine non priuatur. O, inquam, verē ac plenē  
beatum, cuius animam etsi gladius persecutoris  
non abstulit, palmam tamen martyrij non amisit,

## CAPVT X,

*De studio & virtute orationis.*

§. I.  
*¶ 2. Cor. 5. 7.*

**S**entiens Christi seruus Franciscus°, cor-  
pore se peregrinum à Domino, cum iam  
ad terrena foris desideria, per Christi ca-  
ritatem totus esset insensibilis factus: ne foret abs-  
que consolatione dilecti, sine intermissione orās,  
spiritum Deo contendebat exhibere præsentem.  
Erat quidem oratio contemplanti solatium; dum  
supernarum circuitu mansionum, Angelorum  
conciuiis iam factus, feruenti desiderio quærebat  
dilectum: à quo solus eum carnis partes disiunge-  
bat. erat & operanti præsidium: dum in omnibus  
quæ agebat, de suâ diffidens industriâ, & de super-  
nâ pietate confidens, per ipsius instantiam, totum  
in Domino cogitatum iactabat. Orationis gra-  
tiam viro religioso desiderandam super omnia,  
firmiter asserbat. nullumque credens sine ipsâ in  
Dei prosperari seruitio, modis quibus poterat fra-  
tres suos ad eius studium excitabat. Nam ambu-  
lans & sedens, intus & foris, laborans & vacans,  
orationi ad eum erat intentus: vt illi videretur, non  
solum quicquid erat in eo cordis & corporis, ve-  
rùm etiam operis & temporis dedicasse. Solitus  
erat

*¶ 1. Thess. 5.  
17*

*Oratio sola-  
tium ei, &  
præsidium.*

*Religioso ne-  
cessaria sem-  
per.*

erat nullam visitationem spiritus, cum negligentia praterire. Siquidem cum offerebatur, sequebatur eam: & quamdiu Dominus concedebat, dulcedine perfruebatur oblatâ. Cum autem intentus itineri, diuini spiritus aliquos sentiret afflatus, sociis præcedentibus gradum figebat: nouamque inspirationem ad fruitionem cõuertens, gratiam non recipiebat in vacuum.

Suspendebatur multoties tanto contemplationis excessu, vt supra semetipsum raptus, & ultra humanum sensum aliquid sentiens, quid ageretur circa se exteriùs ignoraret. Transiens namque semel, per Burgum sancti sepulcri, castrum utique populosum, pro debilitate corporis subuectus a fello, obuias habuit turbas, in eum præ deuotione ruentes. Tractus autem & detentus ab eis, compressus quoque, ac multipliciter attrectatus, insensibilis videbatur ad omnia: & velut exanime corpus, de iis quæ fiebant circa ipsum, nihil penitus aduertebat. Vnde cum iam diu transito castro, turbisquæ relictis, peruenisset ad quoddam domicilium leproforum: quasi aliunde, rediens, cælestium contemplator, sollicitè requisit, quando propinquarent ad Burgum. mens quidem ipsius in cælestibus fixa splendoribus, varietates non senserat locorum, nec temporum, nec concurrentium personarum. Quod ipsi accidisse frequentius, sociorum eius experientia multiplex comprobauit. Et quia in oratione perceperat sancti Spiritus desideratam præsentiam, tantò familiarius se offerre precantibus, quanto plus inuenit elongatos à strepitu mundanorum: ideò loca solitaria quærens, ad solitudines & Ecclesias derelictas oraturus nocte pergebat. vbi dæmonum pugnas horribiles frequenter sustinuit:

qui

2. Cor. 6. 12

2.

Rapitur in  
mens excessus.

Dæmones  
orantem in-  
terurbare  
conantur.



qui secum sensibiliter confligentes, nitebantur ipsum ab orationis studio perturbare. Ipse vero armis munitus caelestibus, quanto vehementius impetebatur ab hostibus, tanto fortior in virtute, & feruentior reddebatur in prece. fidenter dicens ad Christum; *Sub umbra alarum tuarum protege me, a facie impiorum, qui me afflixerunt.* Ad daemones autem; *Facite quicquid in me valetis, maligni spiritus, & fallaces.* Non enim potestis, nisi quantum vos manus superna relaxat: & ego ad perferendum omnia, quae illa infligenda decreuerit, cum omni iucunditate paratus assisto. quam mentis constantiam superbi daemones non ferentes, abscedebant confusi.

Psalm. 16. 2.

Non possunt  
quicquam, nisi  
Deo permittente,

3.

Vir autem Dei solitarius remanens, & pacatus, nemora replebat gemitibus, loca spargebat lacrymis, pectora manu tondebat: & quasi occultius secretarium nactus, confabulabatur cum Domino suo. Ibi respondebat Iudici, ibi supplicabat Patri, ibi colloquebatur amico. Ibi quoque a fratribus ipsum pie obseruatis, aliquoties auditus est, clamoris gemitibus apud diuinam pro peccatoribus interpellare clementiam: deplorare etiam alta voce, quasi coram se positam Dominicam passionem. Ibi visus est nocte orans manibus ad modum crucis protensis, toto corpore subleuatus a terra, & nubecula quadam fulgente circumdatus: ut illustrationis mirabilis intra mentem, mira circa corpus perlustratio testis esset. Ibi etiam, sicut certis est comprobatum indiciis, incerta sibi & occulta diuinæ sapientiae pandebantur: quamuis illa non vulgaret exterius, nisi quantum Christi urgebat caritas, & proximorum utilitas exigebat. Dicebat enim, Leui mercede rem imprenabilem contingit amitti: & illum qui dedit, ad non dandum iterum facile prouocari.

Orans manibus  
extensis,  
in aërem subleuatur.

Quan

Quando à priuatis redibat orationibus, quibus 4.  
 pene in virum alterum murabatur, summoperè  
 studebat conformare se ceteris: ne fortè quod fo-  
 ris ostèderet, aura fauoris intus à mercede euacua-  
 ret. Cùm in publico, subitò afficeretur visitatus à  
 Domino. semper aliquid obiiciebat astantibus, ne  
 sponsi familiares\*attactus forinsecus vulgarentur.  
 Exsecrationes, gemitus, duros anhelitus, extrinse-  
 cos nutus, orans inter fratres deuitabat omnino:  
 siue quia diligebat secretum, siue quia ad interiora  
 reintrans, totus ferebatur in Deum. Sæpe talia fa-  
 miliaribus dixit; Quando seruus Dei orans visita-  
 tur diuinitus, dicere debet; Istam consolationem,  
 mihi peccatori & indigno de cælo misisti Domi-  
 ne, & ego illam tuæ committò custodiæ: quia  
 thesauri tui me sentio esse latronem. Cùm autem  
 ab oratione reuertitur, sic debet se pauperulum,  
 & peccatorem ostendere, ac si nullam sit nouam  
 gratiam consequutus.

Visitationem  
 Domini a s-  
 condentiâ &  
 gratiam  
 al. uicacibus;

Orante autem viro Dei in loco de Portiunculâ,  
 contigit Assisinatem Episcopum venire ad eum,  
 vt erat solitus, visitandum. Qui mox vt locum fuit  
 ingressus, ad cellam, in quâ Christi seruus orabat,  
 plus debito fidenter accessit: pulsatoque ostiolo,  
 intraturum se ingerens, dum caput immisit, san-  
 ctumque orantem conspexit; repentino timore  
 concussus, obrigescens membris, etiam lo-  
 quelam amisit. Subitoque voluntate diuinâ per  
 vim foras propulsus, retrogrado pede, procul ab-  
 ductus est. Stupefactus Episcopus, ad fratres festi-  
 nauit, vt potuit: Deoque sibi restituente loquelam,  
 primo verbo confessus est culpam.

Oratio eius  
 vt Deo pla-  
 cuerit.

Contigit tempore quodam, Abbatem mona- 6.  
 sterij sancti Iustini, de Episcopatu Perusij, obuiare  
 famulo Christi. Quo viso Abbas deuotus, celeri-

ter

ter de equo descendit: vt & viro Dei reuerentiam faceret, & de salute animæ aliqua cum ipso conferret. Tandem habitâ collatione suavi, Abbas abcedens, orari pro se humiliter petit. Cui vir Deo cæcis respondit; Orabo libenter. Parum itaq; discedente Abbate, dixit fidelis Franciscus ad socium; Expecta frater modicum: quia debitum volo soluere, quod promisi. Orante autem illo, subito Abbas insolitum calorem, & dulcedinem hactenus inexpertam sensit in spiritu: ita quod in excessu mentis effectus, totus à seipso in Deum defecit. Parua morula substitit: & in se reuersus, virtutem orationis sancti Francisci cognouit. Maiore proinde circa Ordinem semper amore flagrauit, multisq; factum pro miraculo retulit.

7. Solitus erat vir sanctus horas Canonicas nõ minus timorâtè Deo persoluere, quàm deuotè. Nam licet oculorum, stomachi, splenis, & hepatis ægitudine laboraret, nolebat tamen muro vel parieti inhærere dum psalleret: sed horas semper erectus, & sine capitiõ, non gyrouagis oculis, nec cum aliqua syncopâ persoluebat. Siquando esset in itinere constitutus, figebat tunc temporis gressum: huiusmodi consuetudinem reuerentem & sacram, propter pluuiarum inundantiam non omittens. Dicebat enim, si quietè comedit corpus cibum suum, futurum cum ipso vermium esca: cum quâtâ pace & tranquillitate accipere debet anima cibum vitæ? Grauius etiã se putabat offendere, si quando orationi deditus, vanis phantasmatis interiùs vagaretur. Cùm aliquid tale accideret, non parcebat confessioni, quin illud protinus expiaret. Hoc studium sic in vsum conuerterat, vt rarissimè muscas huiusmodi pateretur.

8. Fecerat in Quadragesimâ quadam vasculum

vnum,

*Reuerentia  
eius et  
tentus ani-  
mus in ora-  
tione.*

unum, ut minutias temporis, ne omnino exciderent, occuparet. Quod cum dicenti Tertiam, in memoriam veniens, paululum ipsius animum distraxisset: motus feruore spiritus, vasculum igne consumpsit, dicens: Sacrificabo illud Domino, cuius sacrificium impediuit. Psalmos cum tantâ metis & spiritus attentione dicebat, quasi Deum præsentem haberet: & cum nomen Domini in eis occurreret, præ suauitatis dulcedine, labia sua lingere videbatur. Ipsum quoque Domini nomen, non solum cogitatum, verum etiam prolatum & scriptum, reuerentiâ volens honorare præcipuâ: fratribus persuasit aliquando, ut omnes schedulas scriptas vbicunque repertas, colligerent, mundoque loco reponerent; ne forte sacrum illud nomen ibi scriptum, contingeret cõculcari. Nomen autẽ Iesu cum exprimeret vel audiret, iubilo quodam repletus interiùs, totus videbatur exteriùs alterari: ac si mellifluus sapor gustum, vel harmonicus sonus ipsius immutasset auditum.

Contigit autem anno tertio ante obitum suum, ut memoriam natiuitatis pueri Iesu, ad deuotionem excitandam, apud castrum Græcij disponeret agere, cum quanto maiori sollempnitate valeret. Ne verò hoc leuitati posset adscribi: à summo Pontifice petita & obtentâ licentiâ, fecit præparari præsepium, apportari fœnum, bouem & asinum ad locum adduci. Aduocantur fratres, adueniunt populi, personat silua voces: & venerabilis illa nox luminibus copiosis & clavis, laudibusque fonoris, & consonis, & splendens efficitur, & sollennis. Stabat vir Dei coram præsepio pietate repletus, respersus lacrymis, & gaudio superfusus. Celebrantur Missarum sollempnia super præsepe, Leuitâ Christi Francisco sacrum Evangelium

*Psallere consuevit quasi Deo præsentia*  
1. Cor. 14. 15

*Ita ipse in suo testamento.*

*Iesu nomẽ illi subilum.*

9.

*Natalem Domini in eo celebrat.*

*Leuita Christi Francisco cantat Evangelium.*

*Concionatur  
de puero à  
Bethlehem.*

*Eum brachijs  
cõplexabatur.*

gelium decantante. Prædicat deinde populo circunstante de natiuitate Regis pauperis: quæ cum nominare vellet, puerum de Bethleem, præ amoris teneritudine nūcupabat. Miles autem quidam virtuosus & verax, qui propter Christi amorem seculari relicta militiâ, viro Dei magnâ fuit familiaritate coniunctus, dominus Ioannes de Græcio, se vidisse asseruit, puerulum quendam valde formosum in illo præsepio dormientem: quem B. Pater Franciscus ambobus complexans brachijs, excitare videbatur à somno. Hanc siquidem deuoti militis visionem, non solum videntis sanctitas credibilem facit: sed & designata veritas comprobatur, & miracula subsequuta confirmant. Nam exemplum Francisci consideratum à mundo, excitatiuum est cordium, in fide Christi torpentium; & scœnû præsepj reseruatam à populo, mirabiliter sanatiuum fuit brutorum languentium, & aliarû repulsiuum pestium diuersarum, glorificante Deo per omnia feruum suum, sanctæq; orationis efficaciam euidentibus miraculorum prodigijs demonstrante.

CAPVT XI.

*De intelligentiâ Scripturarum. & Spiritus  
Prophetiæ.*

S. I.



D tantam autem mentis serenitatem, indefessum orationis studium, cum continuâ exercitatione virtutum, virum Dei perduxerat; vt quamuis non habuerit Sacrarû literarum peritiâ per doctrinam, æternæ tamen lucis irradiatus fulgoribus, scripturarum profunda miro intellectus scrutaretur acumine. Penetrabat enim ab omni labe purum ingeniû, mysteriorum abscondita. & vbi magistralis scientia foris stat,

*Scripturarum  
profunda pe-  
netrabat*

*affectus*

affectus introibat amanti. Legebat quandoque in libris sacris; & quod animo semel iniecerat, tenaciter imprimebat memoriae: quia non frustra mentalis attentionis percipiebat auditu; quod continua deuotionis ruminabat affectu. Quærentibus aliquando fratribus, vtrum sibi placeret, quod litterati iam recepti ad Ordinem intenderent studio sacrae Scripturae, respondit; Mihi quidem placet: dum tamen exemplo Christi, qui magis orasse legitur quam legisse, orationis studium non omitant. nec tantum studeant, vt sciant qualiter debeant loqui: sed vt audita faciant, & cum fecerint, aliis facienda proponant. Volo, inquit, fratres meos discipulos Euangelicos esse; sicque in notitia veritatis proficere, quod in simplicitatis puritate con crescant: vt simplicitatem columbinam a prudentia serpentina non separent, quas magister eximius ore suo benedicto coniunxit.

*studere p[ro]p[ri]e misit. mod[us] ora[ti]o non omittit[ur];*

*Mat. 10. 16;*

2.

Interrogatus Senis a quodam religioso viro, Theologiae sacrae Doctore, de quibusdam quaestionibus difficultibus intellectu: tanta claritate doctrinae, diuinae sapientiae patefaciebat arcana, vt vehementer stuperet vir ille peritus, & cum admiratione referret; Verè Theologia sancti Patris istius, puritate & contemplatione, tanquam alis in altum subuecta, est aquila volans: nostra verò scientia ventre graditur super terram. Licet enim esset imperitus sermone, scientiam tamen plenam enodabat dubia quaestionum, & abscondita producebat in lucem. Nec absolum, si vir sanctus Scripturarum a Deo intellectum acceperat: cum per imitationem Christi perfectam, veritatem ipsarum descriptam gestaret in opere: & per sancti Spiritus vocationem plenariam, doctorem earum apud se haberet in corde.

*S. Franciscus Theologia alia. Cor. 11. 49*

F Aded

3.  
Spiritus pro-  
pheta in ipso.

Christiani  
Damiatam  
obsider.

1. Cor. 4. 3.  
Prædicat infel-  
liciter con-  
gressus, nisi  
abstineant à  
peccato.

Eccl. 17. 12

4.

Adeò etiam in ipso claruit spiritus Prophetiæ, vt & prævideret futura, & cordium contueretur occulta: absentia quoque velut præsentia cerne- ret, & se præsentem absentibus mirabiliter exhiberet. Tempore namque quo Damiatam Christianorum obsidebat exercitus, aderat vir Dei non armis, sed fide munitus. Cum igitur die belli, Christiani pararentur ad pugnam, hoc audito Christi feruus vehementer ingemuit: dixitque socio suo, Si belli fuerit attentatus congressus, ostendit mihi Dominus non prosperè cedere Christianis. Verùm si hoc dixerò, fatuus reputabor: si tacero, conscientiam non euadam. Quid igitur tibi videtur? Respondit socius eius dicens, Frater pro minimo tibi sit, vt ab hominibus iudicaris: quia non modò incipis fatuus reputari. Exonera conscientiam tuam: & Deum magis time, quàm homines. Quo audito, exsiliens Christi præco, salutaribus monitis Christianos aggreditur: prohibet bellum, denunciat casum. Fit veritas in fabulam: indurauerunt cor suum, & noluerunt reuerti. Igitur committitur, & bellatur, totaq; in fugam vertitur militia Christiana, finem belli opprobrium regerens, non triumphum. Tantâ verò strage Christianorum imminutus est numerus, vt circa sex milia fuerint inter mortuos & captiuos. In quo euidenter innotuit, quòd spernenda non erat sapientia pauperis: cum *anima viri iusti, enunciet aliquando vera, quàm septem circumspectores, sedentes in excelsu ad speculandum.*

Alio quoque tempore, cum post reuersionem ipsius de vltra mare, Celanum prædicaturus accederet: miles quidam, supplici eum deuotione, cum instantiâ magnâ, inuitauit ad prandium. Venit itaque ad militis domum: omnisque familia, pau-

pauperum hospitem exsultauit ingressu. Antè ve-  
 rò quàm cibum sumerent, iuxta solitum morem, Hospitè suum  
 mox prædicit  
 moriturum.  
 vir mente deuotus, offerens Deo preces & laudes,  
 oculis stabat eleuatis in cælum Oratione comple-  
 tã, benignum hospitem familiariter aduocatum  
 in partem, sic allocutus est; Ecce frater hospes, tuis  
 victus precibus, vt manducarem, domum tuam  
 intraui. Meis nunc citò monitis acquiesce: quo-  
 niam non hîc, sed alibi manducabis. Confitere  
 nunc peccata tua, veræ pœnitentiæ dolore contri-  
 tus: nec in te remaneat quicquam quod veridicã  
 confessione non pandas. Reddet tibi Dominus  
 hodie vicem: quoniam tantã deuotione suos pau-  
 peres suscepisti. Acquieuit continuò vir ille ser- is se ad morem  
 parat. & con-  
 fessus peccata,  
 moritur.  
 monibus sancti: socioq; ipsius vniuersa peccata in  
 confessione detegens, disposuit domum suam; &  
 ad mortem suscipiendam se quantum valuit. præ-  
 parauit. Intrauerunt tandem ad mensam: & inci-  
 pientibus aliis manducare, hospes subito spiritum  
 exhalauit, iuxta verbum hominis Dei, repentinã  
 morte sublatus. Sicque factũ est, hospitalitatis gra-  
 tiã promerente, vt (iuxta verbum veritatis) Mat. 10. 41.  
*Prophetam recipiens, mercedem Prophetæ acciperet*: dum  
 per sancti viri prænunciationem propheticam, mi-  
 les ille deuotus, sibi contra mortis subitationem  
 prouidit, quatenus armis pœnitentię præmunitus,  
 perpetuam damnationem euaderet, & in æterna  
 tabernacula introiret.

Tempore quo vir sanctus Reate iacebat infir-  
 mus, Præbendarius quidam nomine Gedeon, lu-  
 bricus & mundanus, infirmitate graui correptus,  
 lectulo decubans, cum ad eũ fuisset delatus, lacry-  
 mosè rogabat eũ simul astãtibus, vt ab ipso Crucis  
 signaculo signaretur. Ad quem ille; Cum vixeris  
 olim secũdum desideria carnis, nõ veritus iudicia



Sanat quem  
graviora pas-  
surum proph-  
etia, si ad  
vomitum  
redeat.

Mat. 12. 45.

Ioan. 5. 14.

2. Pet. 2. 20.

Opprimitur  
in domo ca-  
dena.

Mat. 12. 45.

Crudele virum  
mao, uel facit.

Dei: quomodo te Cruce signabo? Verum propter deuotas intercedentiū preces, signo te Crucis signabo in nomine Domini. Tu tamen scito, te grauiora passurum, si ad vomitum redieris liberatus: propter peccatum enim ingritudinis, semper peiora prioribus inferuntur. Signo itaque Crucis super eum facto, statim qui contractus iacuerat, surrexit sanus: & in laudem Dei prorumpens. Ego, inquit, sum liberatus. Insonuerunt autem ossa renum eius, audientibus cunctis: veluti cum manu ligna sicca franguntur. Paucis autem interlapsis temporibus, Dei oblitus, corpus impudicitiae reddidit. Cumque serò quodam cœnasset in domo cuiusdam Canonici; nocteque illa dormiret ibidem: subitò super omnes corruit tectum domus. Ceteris autem euadētibus mortem, solus ille miser interceptus atque interemptus est. Iusto igitur Dei iudicio, *facta sunt nouissima hominis illius peiora prioribus*, propter ingritudinis vitium, Deique contemptum: cum de acceptā veniā gratum esse oporteat, & duplò displiceat flagitium iteratum.

6. Alio quoque tempore, mulier quædam nobilis, Deo deuota, venit ad Sanctum, vt suum ei explicaret dolorem, ac remedium postularet. Habebat quidem virum valde crudelē, quem aduersarium patiebatur in seruitio Christi. Et ideo petebat à Sancto, quatenus oraret pro illo, vt suā Deus cor ipsius dignaretur emollire clementiā. Ipse verò hoc audiens ait illi; *Vade cum pace, indubitanter exspectans de viro tuo consolationem tibi de proximo adfuturam. Et adiecit, Dices ei ex parte Dei & meā, quòd nunc est tempus clementiæ, postmodum æquitatis. Benedictione acceptā reuertitur mulier: inuenit virum, denunciat verbum. Cecidit super eum Spiritus sanctus: & nouum factum*  
de

de veteri, sic facit cum mansuetudine respondere; Domina, seruiamus Domino, & saluemus animas nostras. Suadente igitur sanctâ vxore pluribus annis cælibem vitam agentes, eodem die ambo ad Dominum migrauerunt. Miranda certè in viro Dei spiritus Prophetici virtus, quâ & mēbris iam arentibus restituebat vigorem, & duris imprimebat cordibus pietatem. quanquā non minus eiusdem spiritus sit stupenda limpeditas, quâ sic futurorum præcognoscebat euentum, vt etiam conscientiarum scrutaretur arcanum, quasi alter <sup>4. Reg. 29.</sup> Eli-  
sæus duplicem Eliæ spiritū assequutus.

Nam cū Senis, viro cuidam sibi familiari quædam superuentura finaliter prædixisset; & vir ille peritus, ( de quo <sup>hoc cap. § 2.</sup> supra mentio facta est, quod de Scripturis cum eo conferebat aliquando ) his auditis, ab eodem sancto Patre dubitando perquiret, an hæc ipse dixisset, quæ illius viri relatione cognouerat: non solum se illa dixisse asseruit, verum etiam quærenti alienum euentum, proprium exitum prophetando prædixit. Quod vt certius cordi eius imprimeret, quendam secretum conscientia <sup>Scrupulum latentem conscientia detegit.</sup> illius scrupulum, quem nulli viuenti vir præfatus expresserat, & mirabiliter reuelando explicuit, & salubriter consulendo reserauit. Ad quorum omnium firmitatem accidit, quod vir ille religiosus, sicut Christi famulus ei prædixit, sic finaliter consummauit.

Eo quoque tempore, quo reuertebatur de ultra mare, socium habens Fratrem Leonardum de Afisio, contigit cum fatigatum & lassum parumper asellum conscendere. Subsequens autem socius, & ipse non modicum fessus, cœpit dicere intra se, <sup>Videt alterius cogitationes.</sup> humanum aliquid passus; Non de pari ludebant parentes eius, & mei. En ipse equitat, & ego pede-

ster asinum eius duco. Hęc illo cogitante, protinus descendit de asino vir sanctus, & ait; Non, frater, conuenit, vt ego equitem, tu venias pedes: quia nobilior & potentior in sæculo tu me fuisti. Obstupuit illic frater, & rubore suffusus, deprehensum se recognoscens, procidit ad pedes ipsius: & lacrymis irrigatus, nudum exposuit cogitatum, veniamque poposcit.

9. Frater quidam Deo deuotus & famulo Christi, frequenti cogitatione versabat in pectore, supernâ fore gratiâ dignum, quem vir sanctus familiari complecteretur affectu: quem verò tanquam extraneum reputaret, extra numerum electorum reputandum à Deo. Cùm igitur cogitationis huius crebrius vexatus impulsu, viri Dei familiaritatem vehementer optaret, nec tamen cordis sui secretum reuelaret alicui: aduocans eum ad se, dulciter Pater pius sic alloquutus est; Nulla te turbet cogitatio fili: quoniam te carissimum habes inter precipuè mihi caros, libenter tibi munus meæ familiaritatis, & dilectionis impendo. Miratus exinde frater, factusque deuotior ex deuoto, non solum in amore creuit hominis sancti; verùm etiam per Spiritus sancti gratiæ munus, donis est maioribus cumulatus.

10. Cùm autem in monte maneret Aluernæ cellâ reclusus, vnus è sociis magno desiderio cupiebat habere de verbis Domini aliquod scriptum, manu ipsius breuiter annotatum. Grauem enim, quâ vexabatur, tentationem, non carnis sed spiritus, ex hoc credebat euadere, vel certè leuius ferre. Tali desiderio languens anxiebat interius: quia verecundiâ victus, reuerendo Patri rem pandere non audebat. Sed cui homo non dixit, spiritus reuelauit. Portari namque sibi iussit à fratre prædico

atua-

10  
Vobis enim  
serpente  
nonum profi  
gant.

atramentum & chartam: laudesque Domini iuxta fratris desiderium propria manu scripsit. & vltimò benedictionem ipsius, dicens; Accipe tibi chartulam istam, & vsque ad diem mortis tuæ custodias diligenter. Accepit frater donum illud optatum: & statim omnis illa tentatio effugatur. Seruatur littera: & cùm in posterum miranda effecerit, virtutum Francisci testimonium fuit.

Frater quidam erat, quantum à foris videbatur, sanctitate præclarus, conuersatione insignis: tamen admodum singularis. Omni tempore orationi vacans, tantà districtione silētium obseruabat, quòd consueuerat non verbis, sed nutibus confiteri. Accidit autem sanctum Patrem venire ad locum, videre fratrem, & de ipso cum aliis fratribus habere sermonem. Commendantibus autem omnibus, & magnificentibus illum, respondit vir Dei; Sinite fratres: ne mihi in eo diabolica figmenta laudetis. In veritate sciatis, quòd diabolica tentatio est, & deceptio fraudulenta. Durè acceperunt hoc fratres, tanquam impossibile iudicantes: quòd tot perfectionis indicis, fraudis se commenta fucarēt. Verùm non post multos dies, eo Religionē egresso, euidenter apparuit, quāta luculentia interioris contuitus, vir Dei, cordis eius secreta perspexit. Multorum quoque per hunc modum, qui stare videbantur, ruinam; sed & plurium peruersorum conuersionem ad Christum, immobili veritate prænunciāns, appropinquasse videbatur ad æternę lucis speculum contemplandum: cuius fulgore mirabili, absentia corporaliter, tanquam si essent præsentia, mentis eius cernebat obtutus.

Quodam namque tempore, Vicarius suus tenebat capitulum: ipse verò in cellā orās, sequester erat, & medius inter fratres & Deum. Cùm igitur

II.

Silentij intē-  
pessimi finis  
lationē pād.t.

12.

*12. p. in obe-  
dientiam in  
Capitulo.*

vnus ex ipsis, defensionis quodam contectus palliolo, non se subderet disciplinæ: videns hoc vir sanctus in spiritu, vocauit quendam de fratribus, & dixit ad eum; Vidi, frater, diabolum super illius fratris inobedientis dorsum, collum eius tenentem astrictum: qui tali seffore subactus, obedientiæ freno spreto, instinctus eius sequebatur habenas. Et cum rogare Deum pro fratre, subito dæmon confusus abscessit. Vade igitur, & dic fratri, vt Obedientiæ sanctæ iugo collum sine mora submittat, monitus per internuncium frater, statimq; cōuersus ad Deū, ad pedes Vicarij humiliter se proiecit.

*13. Benedicq; petentibus  
suspendis.*

Alio quoque tempore contigit, duos fratres ad eremitorium Græcij de remotis venire, vt virum Dei cernerent, & benedictionem, multo desideratam iam tempore, reportarēt. Venientes autem & non inueniētes, quia de publico iam ad cellam redierat, desolati abibant. Et ecce recedentibus illis, cum de ipsorum aduentu vel recessu, nihil secundum humanum sensum percipere potuisset, præter solitum morem egressus è cellâ, clamauit post eos: & ipsos iuxta quod optauerat, signo crucis facto, in Christi nomine benedixit.

*14.*

Duo fratres venerunt aliquando de terrâ Laboris, quorum antiquior nonnulla intulit scandala iuniori. Cum autem peruenissent ad Patrē, quasi-uit ille à iuniore, qualiter erga ipsum, se frater socius habuisset in viâ. quo respondente; Vtique satis bene. Subiunxit, Caue frater, ne sub humilitatis specie mentiaris: scio enim, scio, sed expecta modicum & videbis. Miratus est per plurimū frater, quomodo tam absentia per spiritum cognouisset. Igitur non post multos dies, contempta Religione foras egreditur, qui scandalum fecerat fratri, & à Patre non petierat veniam, nec correctionis

*Desertorem  
Ordinis præ-  
uicū quendam  
suumum.*

nis debitam receperat disciplinam. simulque duo,  
 in vnâ illius claruere ruinâ: æquitas scilicet diuinæ  
 iustitiæ, & perspicacitas spiritus prophetiæ. Qua-  
 liter autem absentibus se præsentem exhibuit, di-  
 uinâ faciente virtute, euidenter ex superioribus  
 innotescit: si reuocetur ad mentem, qualiter ab-  
 sens in curru igneo fratribus transfiguratus appa-  
 ruit: & quomodo se in Arelatensi Capitulo in cru-  
 cis effigie præsentauit. quod factum esse diuinâ  
 dispositione credendum est: vt ex præsentia cor-  
 poralis apparitione mirabili patenter claresceret,  
 quàm præsens & peruius spiritus eius, lucis sapien-  
 tiæ foret æternæ, quæ *omnibus mobilibus mobilior*  
*est, & ubique attingens propter suæ munditiæ, per*  
*nationes in animas sanctas se transfert, & Dei ami-*  
*cos & Prophetas constituit.* <sup>Cap. 45. 4.</sup> Simplicibus enim & <sup>ibid. 5. 10.</sup>  
 paruulis sua solet pandere mysteria, doctor excel-  
 sus: sicut prius apparuit in <sup>Sap. 7. 24.</sup> David Prophetarum  
 eximio, & post in <sup>Mat. 11. 25.</sup> Apostolorum principe Petro,  
 & tandem in pauperculo Christi Francisco. Hi  
 enim cum essent litterarum imperitiâ simplices,  
 facti sunt sancti Spiritus eruditione illustres. Is  
 quidem pastor: vt gregem pasceret Synagogæ de  
 Ægypto eductum. iste piscator: vt sagenam re-  
 pleret Ecclesiæ multiformitate credentium. hic <sup>S. Franciscus</sup>  
 autem negotiator: vt <sup>negotiator</sup> margaritam emeret Euan-  
 gelicæ vitæ, venditis, & dispersis omnibus propter <sup>Euangelicus.</sup>  
 Christum. <sup>Mat. 13. 45</sup>

## CAPVT XII.

*De efficaciâ prædicandi. & gratiâ  
sanitatum.*

S. I.



**F**IDELIS re verâ famulus & minister Christi Franciscus, vt cuncta fideliter & perfectè perageret, illis potissimè virtutum exercitiis intendebat, quæ sacro dictate Spiritu, Deo suo magis placere cognouerat. Quâ de re contigit illum in magnam dubitationis cuiusdam agoniam incidere: quam multis diebus, ab oratione rediens, terminandam fratribus sibi familiaribus proponebat. Quid, inquit, fratres consulitis, quid laudatis? An quòd orationi vacem, an quòd prædicando discurram? Siquidem ego paruulus, simplex & imperitus sermone, maiorem orandi accepi gratiam, quàm loquendi. Videtur etiam in oratione lucrum, & cumulatio gratiarum: in prædicatione distributio quædam donorum cælitus acceptorum. in oratione etiam purificatio interiorum affectuum, & vnitio ad vnum verum & summum Bonum, cum vigoratione virtutis: in prædicatione spiritualium puluerisatio pedum, distractio circa multa, & relaxatio disciplinæ. Tandem, in oratione Deum alloquimur, & audimus; & quasi Angelicam vitam agentes, inter Angelos conuersamur: in prædicatione, multâ oportet condescensione vt ad homines; & humanè inter eos viuendo, humana cogitare, videre, dicere, & audire. Sed vnum est in cõtrarium, quod videtur proponderare his omnibus ante Deum: quòd videlicet vnigenitus Dei filius, qui est Sapientia summa, propter animarum salutem de sinu Patris descendit, vt suo mundum informans  
exem-

*Oratio an  
praestet præ-  
dicationi.*

*Ut inique  
commoda &  
incommoda  
liberantur.*

exemplo, verbum salutis hominibus loqueretur,  
 quos sacri sanguinis & pretio redimeret, & emun-  
 daret lauacro, & poculo sustentaret; nihil sibi om-  
 nino reseruans, quod non in salutem nostram li-  
 beraliter erogaret. Et quia debemus omnia facere  
 secundum exemplar eorum quæ videmus in ipso, <sup>Exo. 25. 40.</sup>  
 tanquam in monte sublimi: videtur magis Deo pla-  
 citum, quod intermissa quiete, foras egrediar ad  
 laborem. Cumque per multos dies, verba huius-  
 modi ruminaret cum fratribus: certitudinaliter  
 nequibat percipere, quid horum sibi foret, ut Chri-  
 sto verè acceptius, eligendum. Cum enim miran-  
 da nosset per spiritum prophetiæ, hanc per seipsum  
 quæstionem dissoluere non valebat ad liquidum:  
 Deo melius providente, ut prædicationis meri-  
 tum, per supernum manifestaretur oraculum, &  
 serui Christi humilitas seruetur. Non erubescer-  
 bat à minoribus parua quærere verus minor, qui  
 magna didicerat à magistro supremo. Studio nam-  
 que præcipuo solitus erat exquirere, quali viâ, qua-  
 liquè modo, Deo posset secundum ipsius bene-  
 placitum perfectius deservire. Hæc summa eius  
 philosophia, hoc summum eius desiderium existi-  
 tit, quoad vixit: ut quæreret à sapientibus & sim-  
 plicibus, perfectis & imperfectis, paruulis & gran-  
 dæuis, qualiter ad perfectionis culmen virtuosius  
 peruenire valeret.

A iunioribus  
 discere non  
 dedignatur.

Assumens itaque duos ex fratribus, misit ad fra-  
 trem Siluestrum, qui crucem egredientem vide-  
 rat de ore ipsius; & tunc in montem supra Assisium, <sup>2.</sup>  
 iugiter orationi vacabat: ut diuinum super dubita-  
 tione huiusmodi respõsum perquireret, quod sibi <sup>sup cap. 3.</sup>  
 ex parte Domini demandaret. Hoc ipsum <sup>5. 4.</sup>  
 demandauit sacrae virgini Claræ, ut per aliquam purio-  
 rem & simpliciorẽ de virginibus sub ipsius disciplina  
 degen-



Concionari eū  
populis. Dei  
beneplacitum

degentibus, & ipsa cum sororibus aliis orans, super hoc exquireret Domini voluntatem. Concordauerunt autem mirabiliter in idipsum, superno eis reuelante Spiritu, venerabilis Sacerdos, & virgo Deo dicata: beneplaciti scilicet esse diuini, quod Christi præco ad prædicandum exiret. Reuertentibus itaque fratribus, & Dei iuxta quod acceperant, indicantibus voluntatem; exurgens continuo succinxit se, nullâ prorsus contractâ morâ iter aggressus est. Ibat autem cum tanto feruore, vt diuinum exsequeretur imperium, tamque celeriter percurreret, ac si factâ manu Dei super eum, nouam induisset è caelo virtutem.

3.  
Anibus præ-  
dicat, & at-  
tente audiuit.

Cum igitur appropinquaret Beuanio; ad quemdam locum deuenit, in quo diuersi generis auium maxima multitudo conuenerat. Quas cum sanctus Dei vidisset, alacriter cucurrit ad locum, & eas velut rationis participes salutauit. Omnibus verò expectantibus, & conuertentibus se ad eum; ita, vt quæ in arbutis erant, inclinatis capitibus, cum appropinquaret ad eas, insolito modo in ipsum intenderent; vsque ad eas accessit & omnes vt verbum Dei audirent, sollicitè admonuit, dicens; Fratres mei volucres, multum debetis laudare creatorem vestrum, qui plumis vos induit, & pennas tribuit ad volandum; puritatem concessit aëris, & sine vestrà sollicitudine vos gubernat. Cum autem eis hæc & his similia loqueretur: auiculæ modo mirabili gestientes, cœperunt extēdere colla, protendere alas, aperire rostra, & in illum attentè respicere. Ipse verò cum spiritus feruore mirado per medium ipsarū transiens, tunicâ contingebat easdem: nec tamen de loco aliqua mota est, donec signo crucis facto, & licentiâ datâ, cum benedictione viri Dei, omnes simul auolarunt. Hæc omnia con-

psal. 148. 10  
Dan. 3. 80.

Nec loco mo-  
uentur etiam  
atacta.

contuebantur socij expectantes in viâ. Ad quos reuersus vir simplex & purus, pro eo quod hactenus aibus non prædicauerat, cœpit se de negligentia inculpare.

Exinde, prædicando per loca vicina procedens, venit ad castrum quoddam nomine Aluianum: vbi congregato populo, & indicto silentio, propter hirundines nidificantes in eodem loco, magnisq; garritibus perstreptentes, audiri vix poterat. *Hirundines, ipso iubente, silent, & audiunt concionantem.* Quas vir Dei, omnibus audientibus, alloquutus est, dicens; Sorores meæ hirundines, iam tempus est, vt loquar & ego: quia vos vsque modò satis dixistis. Audite verbum Dei, tenentes silentiam; donec sermo Dei compleatur. At illæ tanquam intellectus capaces, subitò tacuerunt: nec fuerunt motæ de loco, donec fuit omnis prædicatio consummata. Omnes igitur qui viderunt, stupore repleti glorificauerunt Deum. Istius miraculi fama circumquaque diffusa, multos ad sancti reuerentiam, & fidei deuotionem accendit.

In ciuitate namque Parisiensi, scholaris quidam indolis bonæ, cum sociis alijs studio diligenter intentus; dum importunâ garrulitate cuiusdam infestaretur hirundinis, dicere cœpit ad socios; Hæc hirundo vna de illis est, quæ virum Dei Franciscum prædicantem aliquando, donec silentium eis imponeret, molestabant. Et conuersus ad hirundinem fiducialiter ait; In nomine serui Dei Francisci precipio tibi, vt ad me veniens continuò conticescas. At illa Francisci audito nomine, quasi viri Dei disciplinis edocta, & statim conticuit, & ipse manibus, tanquam tutæ custodię se cõmisit. Stupefactus scholaris statim eam libertati restituit, & eius garritum amplius non audiuit.

Alio quoque tempore eum famulus Dei Caiete præ-

*Nauicula  
quã contem-  
dit, spon'e à  
terra subdu-  
mit.*

prædicaret in littore maris, turbis præ deuotione  
ruentibus, vt eum contingerent: horrens Christi  
seruus tantum populorum applausum, in vnâ hæ-  
rentem littori nauiculam proliuit solus. Illa ve-  
rò, tanquam si rationis particeps, motore mouere-  
tur intrinseco, sine aliquo remige, cernentibus &  
mirantibus cunctis, se longius à terrâ protraxit.  
Cum autem aliquâto spatio, in maris altitudinem  
secessisset, stetit inter fluctus immobilis, quamdiu  
vir sanctus turbis expectantibus in littore, prædi-  
cauit. Cumque audito sermone, & viso miraculo,  
ac benedictione acceptâ, multitudo recederet, ne  
ipsum amplius molestaret: nauicula proprio ductu  
ad terram reuersa est. Quis igitur tam obstinatæ  
mentis esset, & impiæ, vt prædicationem Francisci  
contemneret: cuius mirandâ fiebat virtute, vt non  
solum carentia ratione disciplinâ susciperent; ve-  
rùm etiam inanimata corpora, tanquam animata  
prædicanti seruirent?

7.

*1. Cor. 1. 24  
Sermo sancti  
Fran. ardens,  
intima cordis  
penetrans.*

Aderat equidem seruo suo Francisco, ad quæ-  
cunque pergeret, is qui eum vnixerat, & miserat  
spiritus Domini, & ipse Dei virtus, & sapientia  
Christus: vt sanæ doctrinæ verbis afflueret, & ma-  
gnæ potentiæ miraculis coruscaret. Erat enim ver-  
bum eius velut ignis ardens, penetrans intima cor-  
dis, omniumque mentes admiratione replebat:  
cum non humanæ inuentionis ornatum præten-  
deret, sed diuinæ reuelationis afflatum redoleret.  
Nam cum semel prædicaturus corâ Papâ & Car-  
dinalibus, ad suggestionem Domini Hostiensis,  
sermonem quendam studiosè compositum com-  
mendasset memoriæ; steteritque in medio, vt ædifi-  
cationis verba proponeret; sic obliuioni tradidit  
omnia, vt effari aliquid omnino nesciret. Verùm  
cum hoc veridicâ humilitate narrasset, conferens

ic

se ad Spiritus sancti gratiam inuocandam; tam efficacibus subito cœpit verbis affluere, tam quæ potenti virtute illorum mentes virorum sublimium, ad compunctionem inflectere; vt apertè clareret, quòd non ipse, sed Spiritus Domini loquebatur.

Et quoniam primò sibi suaserat opere, quod aliis suadebat sermone: reprehensorem non timens, veritatem fidentissimè prædicabat. Nesciebat aliquorum culpas palpare, sed pungere: nec vitam fouere peccantium, sed asperà increpatione ferire. Eadem mentis constantiâ magnis loquebatur & paruis: eademquæ spiritus iocunditate paucis loquebatur & multis. Omnis ætas, omnisquæ sexus prope-  
rabat virum nouum, mundo cælitus datû & cernere, & audire. Ipse verò per diuersas regiones progrediens, euangelizabat ardentè: *Domino co-*

*Reprehensorem non metuebat*

*Mar. 16. 10.*

*operante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.*

In virtute namque nominis eius, veritatis præco-  
Franciscus eiiciebat dæmonia, sanabat infirmos: & quod maius est, sui sermonis efficaciâ, obstinatorum mentes ad pœnitentiam mollebat, simul-  
quæ sanitatem corporibus reddebat, & cordibus, sicut aliqua comprobant operum eius, exempli gratiâ, inferiùs adnotanda.

*Sermonem eius confirmabat Dominus sequentibus signis.*

In ciuitate Tuscanellâ, à milite quodam hospiti-  
tio deuotè susceptus, filium eius vnicum à natiuitate contractû, ad multâ ipsius instantiam, manu alleuans, sic subito incolumem reddidit: vt videntibus eûcibus, protinus cõsolidaretur omnia corporis mēbra, & puer sanus & fortis effectus, cõfestim exurgeret ambulans, & exsiliens, & laudans Deû.

8.

In ciuitate Narniensi, cum paralyticum quendam membrorum omnium destitutû officio, signo crucis à capite vsque ad pedes, ad instantiam signasset Episcopi, perfectæ restituit sanitati.

9.  
*Signo crucis sanat paralyticum.*

In

10. *Tactu solo incolumem facit puerum.* In Episcopatu Reatino, puer quidam sic turgidus à quatuor annis, vt nullo modo propria crura cernere posset, à matre cum lacrymis prætentatus eidem: statim, vt vir sanctus tetigit eum manibus sacris, incolumis est effectus.
11. *Ritus signo S. Crucis mira facit.* Apud ciuitatem Ortensem, puer vnus ita conglomeratus, vt caput pedibus portaret applicitum, & haberet ossa nonnulla contracta, signo crucis ad parentum lacrymabiles preces ab eodẽ suscepto, subito extensus extitit, & illicò liberatus.
12. *Mart. 8. 15.* Mulier quædam ciuitatis Eugubij, ambas contractas & aridas habens manus, adeò vt nihil per illas operari valeret; signo crucis ab eodem in nomine Domini sibi factò, tam perfectam obtinuit sospitatem, quòd statim rediens domum, cibos in ministerium eius & pauperum, quasi altera focus Simonis, propriis manibus præpararet.
13. *Est spatio suo.* Puellæ cuidam, in castro Meuanij, oculorum priuatæ luminibus, cum in Trinitatis nomine, spuito suo ter ipsius oculos liniuisset, lumen concupitum restituit.
14. Mulier quædam ciuitatis Narnij, oculorum cæcitate percussa, signũ crucis ab eodem suscipiens, lucem recuperauit optatam.
15. Bononiæ, puer quidam vnum oculorum maculã adeò habens obiectum, vt nihil prorsus videre posset, nec aliquo iuuari remedio; post signum crucis, à capite vsque ad pedes per seruum Domini sibi factum, visum recuperauit tam limpidum, vt postmodum fratrum Minorum Ordinem ingressus, se longè clariùs videre assereret de oculo prius infirmo, quàm de oculo semper sano.
16. In castro sancti Geminiani, seruus Dei à quodam deuoto viro susceptus hospitio, cuius vxor à dæmonio vexabatur; post orationem factam, in  
virtu-

virtute obedientiæ imperavit dæmoni vt exiret: *Demonia*  
 eumque potestate diuinâ tam subito effugauit, vt *enit Obe-*  
 verè claresceret, quòd obedientiæ sanctæ virtuti *diestis ma-*  
 pernicacia dæmonum non obsistat. *dato.*

In ciuitate de Castello, quidam furibundus & 17.  
 nequam spiritus quandam obsidens mulierem, à  
 viro sancto, Obedientiæ accepto mandato, indi-  
 gnabundus discessit: mente simul & corpore libe-  
 ram, obsessam prius feminam derelinquens.

Frater quidam infirmitate tam horribili graua- 18.  
 batur, vt magis esse vexatio dæmonis, quam natu-  
 ralis infirmitas à pluribus firmaretur. Nam totus  
 sæpe allidebatur, & volutabatur spumans: mem-  
 bris corporis nunc contractis, nunc extensis, nunc  
 plicatis, nunc tortis, nunc rigidis effectis, & duris.  
 Quandoque totus extensus, & rigidus, pedibus  
 æquatis capiti, leuabatur in altum, horribiliter il-  
 licò relapsurus. Hunc sic miserabiliter, & irreme- *Etiã frusto*  
 diabiliter ægrotantem, plenus misericordiâ Chri- *sui panis.*  
 sti seruus commiserans, buccellam sibi panis, de  
 quo edebat, transmisit. Tantam verò gustatus pa-  
 nis contulit ægro virtutem, vt deinceps huius in-  
 firmitatis molestiam non sentiret.

In comitatu Aretij, cum diebus pluribus, mulier 19.  
 quædam laborasset in partu, essetq; iam proxima  
 morti, nullum omnino desperanti de vitâ super-  
 erat remediũ, nisi Dei. Cum autem equo vectus,  
 propter corporis infirmitatem, Christi famulus,  
 per partes illas transitum habuisset: contigit redu-  
 ci animal per villam, in quâ mulier torquebatur.  
 Homines verò loci, viso equo cui vir sanctus infe-  
 derat, extraxerunt frenum, vt superponerent mu-  
 lieri. Ad cuius contactum mirificum, omni remo-  
 to periculo, mulier illicò peperit cum salute.

Vir quidam de Castro Plebis, religiosus ac ti- 20.  
 mens

G

mens

*Attactū chordæ eius, infirmi sanantur.*

mens Deum, chordam apud se, quâ cinctus fuerat sanctus Pater, habebat. Cumque multitudo virorum ac mulierum, in castro illo, variis infirmitatibus laboraret: ibat per infirmantium domos, & intinctâ chordâ in aquâ, dabat bibere patientibus. Sicque per hunc modum plurimi sanabantur. Sed & de panibus à viro Dei contactis gustantes ægroti, diuinâ operante virtute, consequebantur celeriter remedia sanitatum. Cùm his & aliis multis miraculorum prodigiis, præco Christi prædicans coruscaret: attendebatur his quæ dicebantur ab eo, ac si Angelus Domini loqueretur. Excellens namque in ipso prærogatiua virtutū, prophetiæ spiritus, efficacia miraculorum, oraculum de prædicando cælitus datum, obedientia creaturarum ratione carentium, vehemens immutatio cordium ad verborum ipsius auditum, eruditio eius à Spiritu sancto præter humanam doctrinam, prædicandi auctoritas à summo Pontifice non sine reuelatione concessa: insuper & Regula, in quâ forma prædicandi exprimitur, ab eodem Christi Vicario confirmata, summi quoque Regis signacula, per modum sigilli corpori eius impressa: tanquam testimonia decem, toti seculo indubitanter affirmât, Christi præconem Franciscum & venerandum officio, & doctrinâ authenticum, & admirabilem sanctitate: ac per hoc, tanquam verè Dei nuntium, Christi Euangelium prædicasse.

*Christi præco Franciscus authenticus.*

## CAPVT XIII.

*De stigmatibus sacris.*

**M**Os erat Angelico viro Francisco nunquam otiosi a bono: quin potius instar supernorum spirituum in <sup>scala</sup> Iacob, aut ascendebat in Deum, aut descendebat ad proximum. Nam tempus sibi concessum ad meritum, diuidere sic prudenter didicerat, vt aliud proximorum lucris laboriosis impenderet, aliud contemplationis tranquillis excessibus dedicaret. Vnde cum secundum exigentiam locorum & temporum, alienæ condescendisset procurandæ salutis, inquietationibus derelictis turbarum, solitudinis secreta petebat, locumq; quietis: quod liberius Deo vacans, exurgeret, si quid pulueris sibi ex conuersatione hominum adhæsisset. Biennio itaque antequam spiritum redderet cælo, diuinâ providentiâ duce, post labores multimodos, perductus est in locum excelsum seorsum, qui dicitur mons Aluernæ. Cum igitur iuxta solitum morem, Quadragesimam ibidem ad honorem S. Archangeli Michaëlis ieiunare cœpisset; supernæ contemplationis dulcedine abundantius solito superfusus, ac cælestium desideriorum ardentiori flammâ succensus, supernarum cœpit immissionum cumulatius dona sentire. Ferebatur quidem in altum, non vt curiosus Maiestatis perscrutator opprimendus à gloriâ: sed tanquâ feruus fidelis & prudens, inuestigans beneplacitum Dei, cui se conformare omnimodè, summo peroptabat ardore. Immissum est igitur menti eius, per diuinum oraculum, quoddam in apertione libri Euangelici reuelaretur ei à Christo, quod Deo in ipso, & de ipso maxime

§.1.

Gen 28 14  
Tempus otiosè  
non proiungit.

Biennio ante  
montē accipit  
Stigmata.

Proo. 29. 17



mè foret acceptum. Oratione itaque cum multâ deuotione præmissâ, sacrum Euangeliorû librum de altari sumptum, in sanctæ Trinitatis nomine aperiri fecit per socium, virum utique Deo deuotum & sanctum. Sanè cum in trinâ libri apertione, semper Domini passio occurreret: intellexit vir Deo plenus, quod sicut Christum fuerat imitatus in actibus vitæ, sic conformis ei esse deberet in afflictionibus & doloribus passionis, antequam ex hoc mundo transfret. Et licet propter multam austeritatem vitæ præteritæ, Crucisquæ Dominicæ baiulationem cõtinuam, imbecillis iam esset corpore, nequaquam est territus: sed ad martyrij sustentiam vigorosiùs animatus. Excreuerat quidem in eo, insuperabile amoris incendium boni Iesu, in lampades ignis atq. flammarû: vt aquæ multæ caritatem eius tam validam extinguere non valerët.

*⁹ Cant. 8. 7.*

2.

Cum igitur Seraphicis desideriorum ardoribus sursum ageretur in Deum; & compassiuâ dulcedine in eum transformaretur, qui ex caritate nimia voluit crucifigi: quodam manè circa festum Exaltationis sanctæ Crucis, dum oraret in latere montis: vidit Seraph vnum, sex alas habentem tam ignitas quàm splendoras, de cælorum sublimitate descendere. Cumq; volatu celerrimo peruenisset ad aëris locum viro Dei propinquum: apparuit inter alas effigies hominis crucifixi, in modum crucis manus & pedes extensos habentis, & cruci affixos. Duæ alæ super caput ipsius eleuabantur, duæ ad volandum extendebantur, duæ verò totum velabant corpus. Hoc videns, vehementer obstupuit: mixtumque mærore gaudium cor eius incurrit. Lætatur quidē in gratioso aspectu, quo à Christo sub specie Seraph cernebat se conspici: sed crucis affixio cõpassiui doloris gladio ipsius animam per-

*Seraph ad eum venit, è cælo.*

*In formâ crucif. i.*

*Christo con-  
for. ndus in  
passione.*

pertransibat. Admirabatur quâ plurimum in tam  
 inscrutabilis visionis aspectu: sciens quod passionis  
 infirmitas, cum immortalitate spiritus Seraphici  
 nullatenus conueniret. Intellexit tandem ex hoc,  
 Domino reuelante, quod ideo huiusmodi visio,  
 sic diuinâ prouidentia suis fuerat præsentata con-  
 spectibus: vt amicus Christi prænosceret, se non  
 per martirium carnis, sed per incendium mentis,  
 totum in Christi crucifixi similitudinem trans-  
 formandum.

*Martyr fe-  
 mentis incen-  
 dio.*

3.

Disparens igitur visio, mirabilem in corde ipsius  
 reliquit ardorem: sed & in carne non minus mi-  
 rabilem signorum impressit effigiem. Statim nam-  
 que in manibus eius & pedibus apparere cœperunt  
 signa clauorum: quemadmodum paulo antè, in  
 effigie illâ viri crucifixi conspexerat. Manus enim  
 & pedes, in ipso medio, clavis confixæ videbantur:  
 clauorum capitibus in interiori parte manuum, &  
 superiori pedum apparentibus, & eorum acumi-  
 nibus existentibus ex aduerso. Erantq; clauorum  
 capita, in manibus & pedibus rotunda & nigra: ipsa  
 verò acumina oblonga, retorta, & quasi repercus-  
 sa, quæ de ipsâ carne surgentia, carnem reliquâ ex-  
 cedebant. Dexterum quoque latus, quasi lanceâ  
 transfixum, rubrâ cicatrice obductum erat: quod  
 sæpe sanguinem sacrum effundens, tunicam &  
 fœmoralia respergebat.

*Manus eius  
 & pedes cla-  
 uis confixæ.*

*Vulnus in  
 dextro latere.*

4.

Cernens autem Christi seruus, quod Stigmata  
 carni tam luculenter impressa, socios familiares  
 latere non possent; timens nihilominus publicare  
 Domini Sacramentum: in magno positus fuit du-  
 bitationis agone, vtrum videlicet quod viderat di-  
 ceret, vel taceret. Vocauit proinde aliquos ex fra-  
 tribus; & generalibus verbis loquens, dubium co-  
 tam eis proposuit, & consiliû requisit. Quidam

G 3

verò

verò ex fratribus, gratiâ Illuminatus & nomine, intelligens quòd aliqua miranda vidisset; pro eo quod videbatur admodum stupefactus: dixit ad virum sanctum; Frater, non solum propter te, sed etiam propter alios, scias tibi ostendi aliquando Sacramenta diuina. Timèdum propterea iure videtur, ne, si quod pluribus profuturum accepisti, celaueris, pro talento abscondito reprehensibilis iudicaris. Ad cuius verbum motus vir sanctus, licet aliàs dicere solitus esset; *Secretum meum mihi*; tunc tamen cum multo timore, seriem retulit visionis præfatæ: addens quòd is qui sibi apparuerat, aliqua dixerit, quæ nunquam dum viuèret alicui hominum aperiret. Credendum sanè, tam arcana illa fuisse sacri illius Seraph, in cruce mirabiliter apparentis eloquia, quòd fortè non liceret hominibus ea loqui.

*Mt. 25. 26.*  
*Rem vs facta*  
*est, cū imore*  
*exponit.*  
*Hiis. 24. 16*

5. Postquam igitur verus Christi amor, in eandem imaginem transformauit amantem; quadraginta dierum numero iuxta quod decreuerat, in solitudine consummato; superueniente quoque solennitate Archangeli Michaëlis: descendit Angelicus vir Franciscus de monte, secum ferens crucifixi effigiem, non in tabulis lapideis vel ligneis, manu figuratam artificis, sed in carnis membris descriptam digito Dei viui. Et quoniam *Sacramentum Regis abscondere bonum est*: ideo secreti Regalis vir conscius, signacula illa sacra pro viribus occultabat. Verùm quia Dei est, ad gloriam suam magna reuelare quæ facit; Dominus ipse, qui signacula illa secretè impresserat, miracula quædã apertè per ipsa monstrauit: vt illorum occulta & mira vis Stigmatum, manifestâ patèret claritate signorum.

*Tribula scilicet*  
*pa digito*  
*Dei viui,*  
*Tob. 12. 7*

6. In Prouinciâ namque Reatinâ, pestis inualerat valdè grauis: quæ oues & boues omnes sic consume-

sumebat crudeliter, quod nullum poterat remedium adhiberi. Vir autem quidam timens Deum, nocte fuit per visionem commonitus, ut ad eremitorium fratrum festinanter accederet: & loturam manuum ac pedum famuli Dei Francisci, qui tunc temporis morabatur ibidem, acceptam super animalia cuncta respergeret. Manè itaque surgens venit ad locum: loturaque huiusmodi per socios sancti viri latenter obtentâ, oves & boues languentes ex eâ resperfit. Mirabile dictu. Statim ut aspersio animalia languida, & in terrâ iacentia quantumque paululum attingebat, pristino recuperato vigore, surgebant continuo: & tanquam nihil mali sensissent, ad pascua festinabant. Sicq; factum est, ut per virtutem mirandam aquæ illius, quæ sacras plagas contigerat, omnis prorsus plaga cessaret, pestilensq; morbus à gregibus fugaretur.

*Stigmata illa eius, faciunt admiranda prodigia.*

*Oves morbida curantur.*

Circa præfatum montem Aluernæ, antequam vir sanctus ibi contraheret moram; nube ex ipso monte surgente, gradinis violenta tempestas, fructus terræ consuetudinariè deuastabat: sed post illam apparitionem felicem, non sine incolarum admiratione, grando cessauit: ut cælestis illius visionis excellentiam, & Stigmatum ibidem impressorum virtutem, serenata præter morem ipsa califacies declararet.

7.  
*Tempestas oriens ex monte Aluernæ cessat.*

Contigit quoque eum tempore hiemali, propter debilitatem corporis, & asperitatem viarum, hominis vnius pauperis subiectum a sella, sub rupis cuiusdam prominentis pernoctare crepidine, ut niuis & noctis superuenientium, quoquo modo declinaret incommoda, quibus præpeditus ad hospitij locum non valuerat peruenire. Cum autem vir sanctus, hominem illum querulosis submurmurantem gemitibus, hinc inde seipsum iactare

8.

*Manus sac  
ara in cale  
facti a genit.*

senfisset; tanquã qui tenui operimento contectus, quiescere præ frigoris acerbitate nequibat: diuini amoris feruore succensus, manu illum protensã palpauit. Mirabile certè. Repentè ad illius sacræ manus contactum, quæ Seraphici calculi gerebat incendium, omni fugato frigore, tantus in virum intus & extrã calor aduenit, ac si quãdam in eum vis flãmea ex fornacis spiraculo processisset. Nam illicò & mente & corpore confortatus, suauius inter saxa & niues vsque manè dormiuit, quàm vnquam in proprio lecto pausauerat: sicut ipse postmodum assererat. Certis itaque constat indiciis, sacra illa signacula illius impressa fuisse virtute, qui operatione Seraphicã purgat, illuminat, & inflammatur: cum ipsa, forinsecus expurgãdo à peste, salutem, serenitatem, & calorem corporibus, efficaciam mirã conferrent: sicut & post mortem, euentioribus est demonstratum prodigiis, suo loco posterius adnotandis.

*In cap. vi.  
§. 1.*

9.

Ipsè verò, licet thesaurum inuentum in agro multã diligentiam studeret abscondere, latere tamen non potuit, quin aliqui Stigmata manuum viderent & pedum: quanquam manus quasi semper portaret contectas, & pedibus ex tunc incederet calcatis. Viderunt enim, dum viueret, fratres plurimi: qui licet essent propter sanctitatem præcipuam, viri per omnia fide digni: tamen ad omne dubium amouendum, sic esse, ac se vidisse, tactis sacrosanctis, iuramento firmarunt. Viderunt etiam ex familiaritate, quam cum viro sancto habebant, aliqui Cardinales; laudes sacrorum Stigmatum prosis, & hymnis, & antiphonis, quas ad ipsius ediderunt honorem, veraciter inferentes: qui tam verbo, quam scripto perhibuerunt testimonium veritati. Summus etiam Pontifex Dominus Alexander, cum

*stigmata eius  
à multis visa*

populo

populo prædicaret, coram multis fratribus, & me iplo, affirmavit; se dum Sanctus viueret, Stigmata illa sacra suis oculis conspexisse. Viderunt in morte plusquam quinquaginta fratres, virgoque Deo deuotissima Clara, cum cæteris sororibus suis, & sæculares innumeri: ex quibus, quemadmodum suo loco dicitur, quamplurimi & osculati sunt ex deuotionis affectu, & contrectauerunt manibus ad testimonij firmitatem.

Vulnus autem lateris tam sollicitè occultauit, vt illud nemo posset nisi furtim contueri, dum viueret. Vnus etenim frater qui ei sedulè ministrare solitus erat, cum piâ eum cautelâ, vt ad excutiendum extraheret tunicam, induxisset; attentè respiciens vidit plagam: cui etiam tres veloci contactu digitos applicans, tam visu, quàm tactu, vulneris quantitatem agnouit. Cum simili cautelâ vidit etiam frater ille, qui tunc temporis erat Vicarius eius. Frater verò socius mirandæ simplicitatis, dum infirmitatis causâ languentes scapulas contrectaret: manu per capitium missâ, & casualiter vulnere sacro illapsâ, magnum ei dolorem inflixit. Proinde portabat ex tunc fœmoralia ita facta, vt vsque ad axillas pertingerent, ad vulnus lateris contegendum. Fratres quoque, qui illa lauabant, vel tunicam excutiebant pro tempore, quia intuebant eam sanguine rubricatam; indubitanter per euidentem signum, in cognitionem sacri vulneris perueniunt: quod postmodum in morte, reuelatâ facie, ipsi cum aliis plurimis contemplati simul & venerati sunt.

Eia nunc strenuissime miles Christi, ipsius fer

arma inuictissimi ducis: quibus munitus & insignitus, omnes aduersarios superabis. Fer vexillum Regis altissimi: ad cuius intuitum omnes pugna-

G 5 tores

10.

*Vulnus lateris etiam visum plerisque*

11.

*S. Franciscus significat Christi Regis Altissimi*

tores diuini exercitus animentur. Fernihilominus sigillum Summi Pontificis Christi: quo verba & facta tua tanquam irreprehensibilia, & authentica meritò ab omnibus acceptètur. Iam enim propter

<sup>a Gal. 6. 17.</sup> Stigmata Domini Iesu, quæ in corpore tuo portas, nemo debet tibi esse molestus: quin potius quilibet Christi seruus, omni esse tenetur affectione deuotus. Iam per hæc signa certissima, nõ duobus aut tribus testibus ad sufficientiam, sed quàm plurimis ad superabundantiam comprobata, testimonia Dei in te, & per te credibilia facta nimis, omne tollunt infidelibus velamen excusationis: dum credentes in fide stabiliunt, spei fiduciã sursum agunt, & igne caritatis accendunt. Iam verè impleta est prima visio, quam vidisti: videlicet, quòd dux in

<sup>a Cap. 1. § 4.</sup>  
Dux in Christi  
militia.

<sup>a Ibid. § 6.</sup>

<sup>a Cap. 2. § 1.</sup>

<sup>a Cap. 3. § 4.</sup>

<sup>a Cap. 4. § 9.</sup>

<sup>a Ibid. § 10.</sup>

<sup>a Apoc. 7. 1.</sup>

militiã Christi futurus, armis deberes cælestibus, signoq; Crucis, insignibus decorari. Iam in principio tuæ conuersionis, crucifixi visio cõpassiui doloris gladio mentaliter te transfigens: sed & auditus vocis de cruce, tãquam de throno Christi sublimi, & secreto propitiatorio, procedentis, (iuxta quod tuo sacro firmasti eloquio) vera indubitãter fuisse creduntur. Iam in tuæ conuersionis progressu, & crucem quam vidit frater Siluester ex ore tuo mirabiliter procedentem; & gladios in crucis modum tua viscera transfigentes, quos sacer vidit Pacificus; teq; secundum crucis figuram in aère subleuatũ, cum de crucis titulo sanctus predicabat Antonius, iuxta quod prospexit Angelicus vir Monaldus: non phantasticã visione, sed reuelatione fuisse cælicã conspecta, verè creditur, & firmatur. Iam denique circa finem, quòd simul tibi ostenditur, & sublimis similitudo Seraph, & humilis effigies crucifixi, interiùs te incendens, & exterioriùs te consignans; tanquam alterum Angelum

gelum ascendentem ab ortu solis, qui signum in te habeas Dei viui; & prædictis dat firmitatem fidei, & ab eis accipit testimonium veritatis. Ecce iam septem apparitionibus crucis Christi, in te, & circa te secundum ordinem temporum mirabiliter exhibitis & monstratis, quasi sex gradibus ad istam septimam, in quâ finaliter requiescis, peruenisti. Christi namque crux in tuæ conuersionis primordio, tam propòsita quàm assumpta, & dehinc in conuersationis progressu per vitam probatissimam baiulata, in te ipso continuè, & in exemplum aliis demonstrata; tantâ certitudinis claritate, ostendit Euangelicæ perfectionis apicem te finaliter conclusisse: vt demonstrationem hanc Christianæ sapientiæ, in tuæ carnis puluere exaratum, nullus verè deuotus abiiciat, nullus verè fidelis impugnet, nullus verè humilis paruipendat; cum sit verè diuinitus expressa, & omni acceptione condigna,

Septies Crucifixi apparitioni facta.

## CAPVT XIV.

*De patientiâ ipsius. & transitu mortis.*

**C**HRISto iam igitur cruci confixus Franciscus, tam carne quàm spiritu; nõ solum Seraphico amore ardebat in Deum: verum etiam sitiebat cum Christo crucifixo, multitudinem saluandorû. Faciebat proinde, quoniam propter excrecentes in pedibus clauos, ambulare non poterat, corpus emortuum per ciuitates & castra circumuehi: vt ad crucem Christi ferendam ceteros animaret. Fratribus quoque dicebat; *In-icipiamus, fratres, seruire Domino Deo nostro: quia usque nunc parum profecimus.* Flagrabat etiam desiderio magno, ad humilitatis redire primordia, vt

§. I.

Fractio erat corpore, non animo.

lepro-



leprosis sicut à principio ministraret: corpusq; iam præ labore collapsum, reuocaret ad pristinam seruitutem. Proponebat Christo duce, se facturum ingentia: & fatiscentibus membris, spiritu fortis & feruidus, nouo sperabat certamine de hoste triumphum. Neque enim languor vel desidia locum habet, ubi amoris stimulus semper ad maiora perurget. Tanta autem in eo carnis ad spiritum erat concordia, tanta obedientiae promptitudo: quòd cum ille ad omnem niteretur sanctitatem pertinere, ipsa non solum non repugnaret, sed præcurrere niteretur.

2. Vt autem viro Dei cumulus meritorum accresceret, quæ omnia verè in patientiâ consummantur: cœpit infirmitatibus multimodis laborare tam grauius, ut vix in eo membrum aliquod remaneret, absque ingenti passionis dolore. Ad hoc tandem, per varias & diuturnas, ac continuas ægritudines deductus est, ut consumptis iam carnibus, quasi sola cutis ossibus cohereret. Cumq; duris corporis angeretur doloribus, illas suas angustias non penarum censebat nomine, sed sororum. Cum autem semel grauius solito, dolorum vrgeretur aculeis, quidam frater simplex dixit ad eum; Frater ora Dominum, ut mitius tecum agat: manum enim suam plus debito, super te grauare videtur. Quo audito, vir sanctus, cum eiulatu exclamans, ait; Nisi noscerem in te simplicem puritatem, tuum ex nunc abhorrerem consortium: qui ausus fueris circa me, diuina iudicia reprehensibilia iudicare. Et licet totus esset attritus, grauis prolixitate languoris, proiciens se in terram, ossa debilia duro casu collisit. Et deosculans humum; Gratias, inquit, tibi ago Domine Deus, de omnibus his doloribus meis: teque mi Domine rogo, ut centuplum, si tibi placuerit,

*Incipit 220-  
tare ad mortem*

cuerit, addas: quia hoc erit mihi acceptissimum, ut affligens me dolore, non parcas, cum tuæ sanctæ voluntatis adimpletio, sit mihi consolatio superplena. Videbatur propterea fratribus, quod quasi alterum Iob viderent: cui cum languor cresceret carnis, crescebat simul & vigor mentis.

Ipse autem obitum suum longè antè præsciuit: dieq; transitus imminente, dixit fratribus, sui corporis tabernaculū deponendū in proximo; quem admodum sibi fuerat reuelatum à Christo. Cùm itaque per biennium, ab impressione sacrorum Stigmatum, anno videlicet à suâ conuersione vigesimo; multis fuisset angustiantium infirmitatum probatiuis tusionibus cōquadratus, tanquam lapis in supernæ Hierusalem ædificio collocandus; & tanquam ductile opus sub multiplicis tribulationis malleo, ad perfectionem adductus: ad sanctam Mariam de Portiunculâ se portari poposcit: quatenus vbi acceperat spiritum gratiæ, ibi redderet spiritum vitæ. Quod cum fuisset perductus, ut veritatis exemplo monstraret, quod nihil erat illi commune cum mundo, in illâ infirmitate tã graui, quæ omnem languorē conclusit, super nudam humum se totum nudatū in spiritus feruore prostravit: quatenus horâ illâ extremâ, in quâ poterat adhuc hostis irasci, nudus luctaretur cum nudo. Decubans sic in terrâ, saccinâ veste depositâ, faciē solito more leuauit in cælū: & intendens illi gloriæ totus, manu sinistrâ dextri lateris vulnus ne videretur, obtexit. Et ait ad fratres, *Ego quod meum est feci: quod vestrum est, Christus edoceat.*

Illacrymantibus autem sociis Sancti, qui miro fuerat cōpassionis telo percussi, vnus ex eis, quem vir Dei Guardianum suū esse dicebat, votū ipsius diuinâ inspiratione cognoscēs, festinus surrexit: & acce-

3.

Iob 1. 22.  
& 2. 10.

Anno vigesimo à suâ conuersione mortuus, ætatis circiter XLV.

Humi proiecit.

4.

acceptam cū chordā & fœmoralibus tunicā, pauperculo Christi obtulit, dicens; Hęc tibi tanquam pauperi commodo, & tu illa suscipias obedientiæ sanctæ mandato. Gaudet ex hoc vir sanctus, & iubilat præ lætitiā cordis: quoniam fidem tenuisse Domina paupertati, vsque in finem se vidit: palmasq; leuans ad cælum, Christum suum magnificat, pro eo quòd exoneratus ab omnibus, liber vadit ad ipsum. Fecerat enim hęc omnia paupertatis zelo, vt nec habitum quidem vellet habere, nisi ab alio commodatū. Voluit certè per omnia Christo crucifixo esse conformis, qui pauper & dolens, & nudus in cruce pependit. Propter quod, & in principio conuersionis suæ nudus remāsit coram Antistite: & in consummatione vitæ, nudus voluit de mundo exire: fratribusq; sibi assistentibus in obedientiā caritatis iniūxit, vt cū viderent eum iam esse defunctū, per tam longum spatium, nudum super humū iacere permitterent, quòd vnus miliarij tractū suauiter quis perficere posset. O verè Christianissimum virum, qui & viuens Christo viuenti, & moriens morienti, & mortuus mortuo, perfectā esse studuit imitatione conformis, & expressā promeruit similitudine decorari.

*Nis lus Christo similis voluit mori.*

*Cap. 2 §. 4.*

*f. Exhortatio eius ad fratres*

Horā denique sui transitus propinquante, fecit fratres omnes existentes in loco ad se vocari: & eos consolatorijs verbis, pro suā morte demulcens, paterno affectu ad diuinū est hortatus amorē. De patientiā, & paupertate, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ fide, seruandis, sermonē protraxit, ceteris institutis sanctū Euangelium anteponens. Circūsedentibus verò omnibus fratribus, extēdit super eos manus, in modū crucis brachijs cancellatis: (pro eo quòd hoc signum semper amabat) & omnibus fratribus tam præsentibus quàm absentibus, in crucifigi virtute

tute ac nomine benedixit. Insuper & adiecit; *Va-* Fratribus con-  
*lete filij omnes in timore Dñi, & permanete in eo* nibus benedi-  
*semper. Et quoniã futura tentatio & tribulatio ap-* xit.  
*propinquat: felices qui perseverabunt in his quæ*  
*cœperunt. Ego verò ad Deum propero, cuius gratiæ*  
*vos omnes cõmendo. Suavi huiusmodi admoni-*  
*tionem completã, iussit Deo vir carissimus, Euange-*  
*liorũ sibi codicẽ apportari: & Euangeliũ secundũ*  
*Ioannem, quod incipit ab eo loco, "Ante diẽ festũ"* Ioan. x. 1. 2.  
*Paschæ, sibi legi poposcit. Ipse verò prout potuit, in*  
*huius Psalmi vocẽ erupit; "Voce meã ad Dominum"* Psal. 141. 1.  
*clamaui, voce meã ad Dominum deprecatus sum; & ad*  
*finem vsque complevit. Me, inquit, expectant iusti,*  
*donec retribuas mihi. Tandem cunctis in eum com-*  
*pletis mysteriis, animã illa sanctissimã, carne solu-* Anima eius  
*tã, & in abyssum diuinæ claritatis absorptã, beatus* corpore soluta,  
*vir obdormiuit in Domino.* ad Deum  
migrat.

Vnus autem ex fratribus & discipulis eius, vidit  
 animam beatam sub specie stellæ præfulgi-  
 dæ, à candidã subuectam nubeculã, super aquas  
 multas in cælum recto tramite sursum ferri: tan-  
 quam sublimis sanctitatis candore prænitidam, &  
 cœlestis sapientiæ simul & gratiæ vbertate reple-  
 tam; quibus vir sanctus promeruit locum introire  
 lucis & pacis, vbi cum Christo sine fine quiescit.  
 Minister quoque fratrum in terrã Laboris tunc  
 erat Frater Augustinus, vir utique sanctus & ius-  
 tus: qui in horã ultimã positus, cum iam diu per-  
 didisset loquelam, audientibus qui astabãt, subitò  
 clamauit & dixit, *Exspecta me pater, expecta: ecce*  
*iam venio tecũ. Quærentibus fratribus, & admi-*  
*rantibus multũ, cui sic loqueretur: audacter re-*  
*spondit, Nõnne videtis patrem nostrũ Franciscum,* Minister qui  
*qui vadit ad cælum? Et statim sancta ipsius anima* dãt mox se-  
*migrans à carne, Patrem est sequuta sanctissimã.* quiritur præ-  
euentem.

Episco-

7.

Episcopus Assisinas, ad oratorium S. Michaëlis in monte Gargano, tunc temporis peregrinationis causâ perrexerat. cui B. Franciscus apparens nocte transitûs sui, dixit, Ecce relinquo mundum, & vado ad cælum. Manè igitur surgens Episcopus, sociis narrauit quæ vidit: & Assisium rediens, cum sollicitè perquisisset, certitudinaliter cõperit, quòd eâ horâ, quâ sibi per visionem innotuit, beatus Pater ex hoc mundo migravit. Alaudæ aues lucis amicæ, & crepusculorum tenebras horrescentes, horâ transitus sancti viri, cum iam esset noctis sequutura crepusculum, venerunt in multitudine magnâ super tectum domus: & diu cum insolitâ quadam iubilatione rotâtes, gloriæ Sancti, qui eas ad diuinas laudes inuitare solitus erat, tam iocundum quàm euidentis testimonium perhibebant.

*Alaudæ aues  
adulant ad  
cælum.*

## CAPVT XV.

*De canonizatione ipsius, & translatione  
corporis sacri.*

§. I.



RANCISCVS igitur seruus & amicus Altissimi, Ordinis Minorum fratrum institutor & dux, paupertatis professor, patientiæ forma, veritatis præco, sanctitatis speculum, & totius Euangelicæ perfectionis exemplar: supernâ præuētus gratiâ, ordinato progressu, ab infimis peruenit ad summa. Hunc virum mirabilem, utpote paupertate prædiuitem, humilitate sublimem, mortificatione viuudum, simplicitate prudentem, omniq; morum honestate conspicuum: quem in vitâ Dominus mirabiliter effecerat clarum, in morte fecit incomparabiliter clariorem. Beato namque viro migrante à seculo, spiritus ille sacer domum æternitatis ingrediens, fontisq;

tiſque vitæ hauſtū plenario glorioſus effectus, ex-  
preſſa quædam in corpore futuræ gloriæ ſigna re-  
liquit: vt caro illa ſanctiſſima, quæ crucifixa cum  
vitiis, in nouam iam creaturam tranſierat, & paſ-  
ſionis Chriſti effigiem priuilegij ſingularitate præ-  
ferret, & nouitate miraculi reſurrectionis ſpeciem  
præmonſtraret.

2.  
 Cernebantur quidem in membris illis felicibus  
clauī, ex eius carne virtute diuinā mirificè fabre-  
facti: ſicq; carni eidem innati, quod dum à parte  
qualibet premerentur, prætinus quaſi nerui conti-  
nui & duri, ad partē oppoſitā reſultabant. Inuenta  
quoque fuit patētius, in ipſius corpore, nō inſicta  
humanitus neque facta, plaga vulneris lateralis, in-  
ſtar vulnerati lateris Saluatoris: quod redēptionis  
& generationis humanæ, in ipſo Redēptore noſtro  
protulit ſacramentū. Erat autē ſimilitudo clauorū  
nigra quaſi ferrum: vulnus autem lateris rubeum,  
& ad orbicularitatem quandā carnis contractione  
reductum, roſa quædam pulcherrima videbatur.  
Caro verò ipſius reliqua, quæ prius tam ex infir-  
mitate quàm ex naturā, ad nigredinem declina-  
bat, candore nimio reniteſcens, illius ſecūdx ſto-  
læ pulchritudinem prætendebat. Membra ipſius  
adeo mollia & tractabilia ſe præbebant palpanti-  
bus, vt conuerſa viderētur in teneritudinem pue-  
rilis ætatis; & quibuſdam cernerentur euidentibus  
ſignis innocentie decorata. Cum igitur in candi-  
diſſimā carne clauī nigreſcerent; plaga verò late-  
ris, vt vernans roſeus flos ruberet: mirandū non eſt  
ſi tam formoſa & miraculoſa varietas iocūditatem  
& admirationem contuentibus ingerebat.

3.  
 Lacrymabantur filij pro ſubtractione tam ama-  
bilis patris: ſed & non modicā profundebantur læ-  
titiā, dum deoſculabantur in eo ſignacula ſummi

H Regis,

In corpore ap-  
parent ſigna  
gloriæ futuræ  
Gal. 5. 24.

Clauī & vultus  
lateralis.

Toán. 19. 54.

Formoſa.

Apoc. 7. 14.

Caro eius can-  
dida, & mol-  
lia membra.

Regis. Miraculi nouitas planctum vertebat in iubilum: & intellectus rapiebat indaginem in stuporem. Erat quippe tam insolitum, tamque insigne spectaculum contuentibus omnibus, & firmamentum fidei, & incitamentum amoris: audientibus verò admirationis materia, & excitatio desiderij ad videndum. Audito siquidem transitu Patris, & famâ diffusâ miraculi, accelerans populus confluebat ad locum: vt id cernerent oculis carnis, quod à ratione dubium omne repelleret, & affectioni gaudium cumularret.

*Miraculum  
hoc cupiunt  
multi videre.*

4. Admissi sunt igitur Assisinate civis quamplurimi, ad Stigmata illa sacra contemplanda oculis, & labijs osculanda. Vnus autem ex eis miles, literatus quidam & prudens, Hieronymus nomine, vir utique famosus & celebris; cum de huiusmodi sacris signis dubitasset, essetque incredulus, quasi Thomas: feruentius & audacius coram fratribus & alijs civibus, mouebat clauos; Sanctiq; manus, pedes, & latus manibus proprijs contrectabat: vt dum vulnerum Christi veracia illa signa palpando contingeret, de sui & omniû cordibus omne dubieratis vulnus amputaret. Propter quod & ipse inter alios, huius veritatis tâ certitudinaliter agnitæ, testis constans postmodum effectus est, & tactis sacrosanctis iuramento firmavit. Fratres autem & filij, qui vocati fuerant ad transitû Patris, cum omni multitudine populorum, noctem illam, in qua almus Christi confessor decessit, sic diuinis laudibus dedicârunt, vt non defunctorum exsequiæ, sed Angelorum excubiæ viderentur.

*Ioan. 20. 25*

*Stigmata eius  
& vulnera la-  
teris videntur  
à multis.*

5. Manè autem factò, turbæ quæ conuenerant, acceptis arborum ramis, & cereorum multiplicatis luminibus, cum hymnis & canticis, sacrum corpus ad ciuitatem Assisij detulerunt. Transeuntes verò

per

per Ecclesiam S. Damiani, in quâ virgo illa nobilis Clara, nunc gloriosa in cælis, tunc inclusa cum virginibus morabatur, ibiq; aliquantulum subsistentes: sacrâ corpus margaritis cælestibus insignitum, videndum & osculandû sacris illis virginibus obtulerunt. Peruenientes denique ad ciuitatem cum iubilo, pretiosum thesaurum quem portabant, in Ecclesia sancti Georgij, cum omni reuerentiâ condiderunt. In eo siquidem loco, puerulus litteras didicit; ibiq; postmodum prædicauit: postremò ibidem locum primum quietis accepit. Transit autem venerabilis pater ex huius mundi naufragio, anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo, vigesimo sexto, quarto Nonas Octobris, die sabbati in sero, sepultus in die Dominico.

Cœpit autem vir beatus continuò, diuinæ faciei superirradiante respectu, magnis & multis coruscare miraculis: vt sublimitas sanctitatis eius, quæ ipso viuentem in carne, ad morû directionem, per exempla perfectæ iustitiæ innotuerat mundo: illo iam regnante cû Christo, ad omnem fidei firmitatem, per miracula diuinæ potentiae cõprobaretur è cælo. Cumq; in diuersis orbis partibus, gloriosa eius miracula, largaq; per ipsum impetrata beneficia, plurimos ad Christi deuotionem accenderent, & ad ipsius sancti reuerentiam incitarent: acclamâtionibus tam linguis sermonum, quàm operum; ad aures summi Pontificis domini Gregorij Noni, quæ per seruû suû Franciscum Deus operabatur, magnalia peruenerunt. Sanè eum idē pastor Ecclesiæ, nō solum ex miraculis auditis post mortē; verum etiâ experimētis in vitâ, ipsius oculis visis, & manibus contrectatis, sanctitatē eius mirabilē, plenâ fide certificatus agnosceret; ac per hoc, in cælis glorificatum à Dño nullatenus dubitaret: vt

H 2 Chri-

*Videt etiam  
S. Clara  
eiusque filia  
& sorores.*

*Sepelitur in  
eccl. S. Geor-  
gij.  
A D 1226.  
Abiit ex hoc  
mundo.*

*6.  
Miraculis  
mox incipit  
coruscare.*



Christo, cuius erat Vicarius, concorditer ageret, hunc in terris reddere celebrem, tanquam omni veneratione dignissimum, piâ consideratione disposuit. Ad omnem quoque certitudinem faciendam orbi terrarû, de glorificatione viri sanctissimi; inuenta miracula & conscripta, & testibus idoneis approbata, examinari fecit per illos, qui minus inter Cardinales, fauorabiles negotio videbantur. Quibus diligenter discussis, & ab omnibus approbatis, de fratrum suorû, & omnium Prælatorû, qui tunc erant in Curiâ, concordi consilio & assensu, canonizadû decreuit: veniensque personaliter ad ciuitatem Assisij, anno Dominicæ Incarnationis millesimo, ducentesimo, vigesimo octauo, decimo septimo Calendas Augusti, die Dominico: cum maximis, quæ longum foret enarrare, sollemniis, beatum Patrem cathalogo Sanctorum adscripsit.

*Sanctorum  
cathalogo  
adscribitur.*

7.

Anno verò Domini millesimo, ducetesimo trigesimo; conuenientibus fratribus ad Capitulum Generale Assisij celebratû: ad Basilicam in honorem ipsius constructam, corpus illud Domino dedicatum, octauo Calendas Iunij translatum est. Dum autem ille sacer transportaretur thesaurus, bullâ Regis altissimi consignatus; miracula plurima ille, cuius effigiem præferabat, operari dignatus est: vt per odorem ipsius saluificû, affectus traheretur fidelium, ad currendû post Christum. Erat re verâ condignum, vt quem Deus in vitâ sibi placentem & dilectû effectum, in paradysum per contemplationis gratiam transtulerat, vt Enoch; & ad cælum in curru igneo per caritatis zelum rapuerat, vt Eliam: eius iam vernantis, inter flores illos cælicos plantationis æternæ, ossa illa felicia de loco suo, pullulatione mirificâ redolerét. Porro sicut vir iste beatus, mirandis virtutû signis in vitâ claruerat:

*Transfertur  
corpus eius ad  
basilicam in  
illius memo-  
riâ edificatâ.*

*1. Cant. 1. 4.*

*1. Gen. 5. 24.*

*4. Reg. 2. 11.*

ruerat: sic à die transitus sui vsque in praesens, per diuersas mundi partes, praeclearis miraculorum prodigiis, diuinâ se potentiâ glorificante coruscat. Nam caecis & surdis, mutis & claudis, hydropticis & paralyticis, daemoniacis & leprosis, naufragis & captiuis, ipsius meritis remedia conferuntur, omnibusq; morbis, necessitatibus, & periculis subuenitur. Sed & multis mortuis mirificè per ipsum suscitatis: innotescit fidelibus, mirificans sanctum suum magnificentia virtutis Altissimi, cui est honor & gloria, per infinita secula seculorû. Amen.

## CAPVT XVI.

*Miracula aliquot, à S. Francisco, post eius obitum edita.*

## §. I.

*De virtute sacrorum Stigmatum.*



D omnipotentis Dei honorem, & gloriam B. Patris Francisci, post glorificationem ipsius in caelis, aliqua ex approbatis scripturus miracula: ab illo praecipue censui sumendum fore initium, in quo crucis Iesu virtus ostenditur, & gloria innouatur. Nouus igitur homo Franciscus, nouo & stupendo miraculo claruit: cum singulari priuilegio, retroactis seculis non concessio, insignitus apparuit, sacris videlicet Stigmatibus decoratus, & configuratus in corpore mortis huius, corpori Crucifixi. De quo quicquid humanâ linguâ dicatur, minus erit laude condignâ. Totum quidem viri Dei studiû, tam publicum quàm priuatum, circa crucem Domini versabatur. Et vt crucis signaculo, cordi eius, à principio suæ conuersionis impresso, corpus con-

I.

S. Francisci  
studium totum  
in crucifixum  
"Sup. cap. v.  
§. 6.

H 3 signa-

signaret exterius; in ipsâ se cruce recludens, habitum poenitentiae sumit, crucis in iugum præferentem: quatenus sicut mens eius intus, Dominum crucifixum induerat; sic & corpus eius indueret arma crucis, & in quo signo Deus potestates aëreas debellârat, in eodem suus exercitus Domino militaret. Sed & à principio temporis, quo crucifixio militare coeperat, diuersa circa eum crucis præfulsere mysteria: sicut vitæ ipsius consideranti decursum clarius innotescit: qualiter apparitione crucis Dominicæ septiformi, tam cogitatu, quam affectu & actu, totus fuit in crucifixi effigiem, per ipsius extaticum transformatus amorem. Dignè igitur summi Regis clementia, suis amatoribus ultra omnem æstimationem hominum condescendens, suæ crucis vexillum ipsius corpori deferendum impressit: ut qui mirando fuerat crucis amore præuentus, mirando etiam fieret crucis honore mirificus. Ad huius stupendi miraculi irrefragabilem firmitatem, non solum videntium & palpantium testimonia, per omnem modum credibilia: verum etiam apparitiones mirabiles, & virtutes post ipsius obitum coruscantes, ad omne mentis effugandum nubulum suffragantur. Felicis namque recordationis Dominus Gregorius Papa Nonus, (de quo vir sanctus prophetando prædixerat, quod ad dignitatem foret Apostolicam sublimandus) antequam crucis signiferum cathalogo Sanctorum ascriberet, serapulum quendam dubitationis in corde gerebat, de vulnere laterali. Nocte verò quadam, (sicut ipse felix Antistes referebat cum lacrymis) beatus ei Franciscus, quadam faciei prætensâ duntaxat, in somnis apparuit: & hæsitacionem cordis ipsius redarguens, eleuauit brachium dexterum, detexit vulnus, phialamque poposcit

<sup>sup. cap. 11.</sup>  
§. 12. in fine.

Phiala reple-  
tur sanguine  
ex eius vul-  
nere lateris  
profuente.

ab

ab ipso, ut scaturientem reciperet sanguinem, qui ex latere defluebat. Obtulit in visione summus Pontifex phialam postulatam: quæ usque ad summum, sanguine profluente de latere videbatur impleri. Ex tunc, ad illud sacrum miraculum tantâ cœpit deuotione affici, & æmulatione feruere, ut nullo modo pati posset, quod aliquis præfulgentia illa sacra signa, superbâ præsumeret impugnatione fuscare, quin eum seuerâ increpatione feriret.

Frater quidam, ordine Minor, officio prædicator, virtutis & famæ prærogatiuâ præpollens, cui firmiter erat de sanctis Stigmatibus persuasum; dum humano sensu miraculi huius apud se rationem perquireret, dubitationis cœpit cuiusdam scrupulo titillari. Cùm igitur per dies plurimos, sensu uacillate sumente vigorem, luctamê huiusmodi pateretur: nocte dormienti S. Franciscus pedibus lutulentis apparuit, humiliter durus, & patienter iratus. Et quæ sunt, ait, ista in te conflictationum certamina? quæ dubitationum sordes? Vide manus meas & pedes meos. Cum quæ ille videret manus confixas, lutulentorum pedum stigmata non videbat. Remoue, inquit, lutum à pedibus meis, & cognosce loca clauorum. Quos cùm ille apprehendisset deuotè: lutum sibi videbatur abstergere, locaq; clauorum manibus contrectare. Continuo ut euigilat, lacrymis irrigatur: & priores affectus quodammodo lutulêtos, tam lacrymarum profluuiò, quàm publicâ confessione detersit.

In vrbe Româ, matrona quædam morum claritate, ac parentum gloriâ nobilis, S. Franciscum in suum elegerat aduocatam: ipsius habens depictam imaginem in secreto cubiculo, ubi patrem in abscondito exorabat. Die verò quadam, dum orationi vacaret, considerans imaginem Sancti, sacra

H 4 illa

2.

*Manus eius  
confixæ cla-  
uis videntur,  
& pedes.*

3.

Miraculū in  
eius imagine.

illa signa Stigmatum non habētem: dolere cœpit non modicum & mirari. Sed non mirum, si in picturâ non erat quod pictor omiserat. Cumque per plures dies, quid causâ foret defectus huiusmodi, mente sollicitâ pertractaret: ecce subitò die quadam apparuerūt signa illa mirifica in picturâ, sicut in aliis ipsius sancti imaginibus pingi solent. Tremefacta illa, filiam suam Deo deuotam aduocauit protinus: requirens si absque Stigmatibus vsque tunc imago fuisset. Affirmat illa, & iurat olim sine illis sacris Stigmatibus extitisse, & nunc verè cum stigmatibus apparere. Verùm quia mens humana, semetipsam frequenter impellit vt cadat, & in dubium reuocat veritatē: subintrat iterum cor mulieris dubitatio noxia, ne fortè sic fuisset imago à principio consignata. At Dei virtus, ne primū contemneret miraculum, addidit & secundum. Continuo namque disparētibus signis illis, nudata priuilegiis imago remansit: vt per sequens signum fieret probatio præcedentis.

4. In Cathaloniam quoque apud Ilerdam, accidit virum quendam nomine Ioannem, B. Francisco deuotum, quodam sero, per quandam incedere viam, in quâ, pro inferendâ morte latitabant infidiaz: non quidem ipsi, qui inimicitias non habebat: sed alteri cuidam, qui videbatur similis eius. & tunc erat in comitatu ipsius. Exsurgens autem quidam de infidiis, cum hostem suum hunc esse putaret, tam letaliter eum plagis plurimis gladiavit: vt nulla prorsus superesset spes recuperandæ salutis. Si quidem primò inflicta percussio, humerum cum brachio penè totum absciderat: & ictus alius sub mammillâ, tantâ reliquerat aperruram, vt flatus inde procedens, circâ sex candelas simul iunctas extingueret. Cum igitur consilio medicorū, ipsius impos-

impossibilis esset curatio ; pro eo quòd putrescentibus plagis, ex eis fœtor tam intolerabilis exhalaret, vt etiam ipsa eius vxor vehementer horreret; nullisq; iam humanis iuuari posset remediis: conuertit se ad B. patris Francisci patrocinium, quantâ poterat deuotione poscendû; quem inter ipsos ictus, vnâ cum beatâ Virgine fidentissimè inuocarat. Et ecce, misero in lectulo calamitatis solitario decubanti, cum Francisci nomen, vigilans & euilans frequentius replicaret, astitit quidam in habitu fratris Minoris, per fenestram, vt ei videbatur, ingressus: qui vocans eum ex nomine, dixit; Quia fiduciam habuisti in me, ecce Dominus liberabit te. A quo, cum æger quis esset requireret, Franciscum ille se esse respondit. Et statim appropians, vulnerum illius ligaturas resoluit: & eum vnguento per omnes plagas, vt videbatur, peruxit. Statim autem vt sensit illarum sacrarum manuum, Stigmatum Saluatoris virtute sanare valentium, suauem contactum: expulsâ putredine, restituta carne, & vulneribus solidatis, restitutus est integrè pristinae sospitati. quo facto beatus Pater abscessit. Et ipse sentiens se sanatû, & in vocem diuinæ laudis, & B. Francisci lætanter erûpens, vocauit vxorem. At illa celerius currens, & stare iam videns quem sepeliendum credebat in crastino, cum esset stupore vehementi perterrita: viciniam totam clamore compleuit. Accurrentes autem sui, cum illum niterentur, tanquam phreneticû in lecto reponere, & ille è contrâ renitens assereret, & ostenderet se sanatum; tanto sunt stupore attoniti, vt quasi sine mente omnes effecti, phantasticum esse crederent quod videbant: quia quem paulo antè conspexerant plagis atrocissimis laniatum, & totum iam marcidum; plenâ cernebant incolumi-

*Vulneratum  
letaliter inuocatus,  
prodigiè sanatus.*

rate iocundum. Ad quos ille qui factus fuerat fanus; Nolite timere, inquit, nolite credere inane quod cernitis: quia S. Franciscus modò à loco recessit, & illarum sacrarum manuum tactu, me in-

*Christi signi-  
ferum præco-  
nis extollit.*

tegrè ab omni plagâ curauit. Crebrescente tandem huius famâ miraculi, accelerat populus omnis: & videntes in tam aperto prodigio, Stigmatum beati Francisci virtutem, admiratione simul & gaudio replebantur; Christi que signiferum magnis laudum præconiis extollebant. Dignè quidem beatus Pater, carne iam mortuus, & viuens cum Christo, præsentia suæ ostensione mirabili, & manuum sacrarum palpatione suauis, vulnerato letaliter viro sanitatem concessit: cum illius etiam in se Stigmata tulerit, qui misericorditer moriens, & mirabiliter surgens, vulneratum genus humanum, & semiuiuum relictum, plagarum suarum virtute sanauit.

*Lucæ 10 30*

5. Apud Potentiam Apuliæ ciuitatem, erat quidam clericus Rogerus nomine, vir honorabilis, & Ecclesiæ maioris Canonicus. Hic cum infirmitate quassatus, die quâdam Ecclesiam oraturus intrasset, in quâ erat imago beati Francisci depicta, gloriosa Stigmata repræsentans: cœpit de illius sublimitate miraculi, tanquam de re omnino insolitâ & impossibili dubitare. Subitò igitur, dum mente plagatus interitûs cogitaret inania: in palmâ sinistræ manus sub chirothecâ, grauitè se sensit esse percussum, sonitum audiens percussuræ, velut cum spiculum prosilit de balistâ. moxq; tam vulnere sauciatus, quàm sonitu stupefactus; chirothecam de manu traxit: vt visu dignosceret, quod tactu perceperat & auditu. Cumque nulla fuisset prius in palmâ percussio, conspexit in medio manus plagam, quasi sagittæ percussione inflictam:

*Dubitantis  
cuiusdam de  
stigmatibus  
S. Fran. ma-  
nus sauciatur*

fictam: ex quâ, tanta vis procedebat ardoris, vt  
 videretur ex illo deficere. Mirabile dictu. Nullum  
 in chirotheca vestigium apparebat: vt latenti pla-  
 gæ cordis, latenter inflicti pœna vulneris respon-  
 deret. Clamat exinde per duos dies, & rugit, do-  
 lore grauissimo stimulatus: & increduli cordis  
 velamen explicat vniuersis. Credere se veraciter,  
 sacra Stigmata in sancto fuisse Francisco fatetur,  
 & iurat: contestans omnis dubitationis abscessisse  
 phantasmata. Orat suppliciter Sanctum Dei, per  
 sacra sibi Stigmata subuenire: & multas cordis  
 preces multo impinguat profluio lacrymarum.  
 Mirum certè. Incredulitate projectâ, sanationem  
 mentis, sanatio sequitur corporalis. Omnis quies-  
 cit dolor, frigescit ardor, nullum remanet vesti-  
 gium percussuræ. Sicque factum est, vt latens  
 mentis infirmitas, per patens carnis cauterium,  
 supernâ providente clementiâ, curaretur: men-  
 teque sanatâ, & ipsa caro pariter sanaretur. Fit ho-  
 mo humilis Deo, deuotus Sancto, & fratrum Or-  
 dini perpetuâ familiaritate subiectus. Huius rei  
 tam sollempne miraculum, iuramentis firmatum  
 fuit: & literis sigilli Episcopi munimine roborat-  
 is, ipfius ad nos notitia delata peruénit. De sacris  
 ergo Stigmatibus, nullus sit ambiguitati locus,  
 nullius in hoc, <sup>Mat. 10. 15.</sup> quia Deus bonus est, nequam sit  
 oculus: quasi huiusmodi doni largitio sempiter-  
 næ bonitati non congruat. Si enim illo amore Se-  
 raphico, multa membra capiti cohererent Chri-  
 sto, vt & in bello simili armaturâ inuenirêtur con-  
 digna; & in regno ad similem forent gloriam sub-  
 uehenda: nullus hoc sanæ mentis, nisi ad Christi  
 gloriam diceret pertinere.

§. 2. De



## §. 2. De mortuis suscitatis.

1. In castro montis Marani prope Beneuentum, mulier quædam S. Francisco peculiari deuotione coherens, viam vniuersæ carnis intrauit. Conuenientibus autem clericis nocte, ad exsequias, & vigilias cum psalteriis decantandas: subitò cunctis cernentibus erexit se mulier super lectū. & vnum de astatibus Sacerdotem, patrinum videlicet suū, aduocauit, dicens; Volo confiteri pater. Ego enim mortua, duro eram carceri mancipanda: quoniam peccatum quod tibi pandam, necdū confessa fueram. Sed orante, inquit, pro me S. Francisco, cui dum viuerem, deuotâ mente seruiui; redire nunc ad corpus indultum est mihi: vt illo reuelato peccato, sempiternam promerear vitam. Et ecce vobis videntibus, postquam illud detexero, ad promissam requiem properabo. Trementer ergo Sacerdoti trementi confessa, post absolutionem receptam, quietè se in lecto collegit, & in Domino feliciter obdormiuit.

Mortua peccatū confite-  
tur in vita nō  
confessa.

2. In castro Pamarco, in montanis Apuliæ posito, patri & matri vnica erat filia, in tenerâ ætate, tenere prædilecta. Quâ, infirmitate graui ad mortem, perductâ: parentes eius successionem aliam non sperâtes, se in illâ, quasi mortuos reputabant. Conuenientibus ergo consanguineis & amicis, ad flebile nimis funus: iacebat mater infelix, ineffabilibus completa doloribus, & absorpta supremâ tristitiâ, de his quæ fiebant, nihil penitus aduertebat. Interim S. Franciscus, vno tantum socio comitatus apparens, desolatam visitare dignatus est feminam, quam sibi senserat esse deuotam: & piis eam affatus alloquiis; Noli flere, inquit: nam lucernæ tuæ lumen, quod deploras extinctum, meâ tibi est inter-

Filia vnica,  
S. Francisci  
in uocatione  
resuscitatur.

intercessione reddendum. Surrexit continuò mulier, & quæ sibi dixerat Sanctus, omnibus manifestans, non permisit extinctum corpus efferri: sed cum magna fide S. Francisci nomen inuocans, & mortuam filiam apprehendens, viuam & incolumem, cunctis videntibus & mirantibus alleuauit.

Cum fratres de Noceriâ, peterent quoddam plaustrum, à quodam viro Petro nomine, quo aliquantulum indigebant; stultè respondit eis, pro petito subsidio irrogando conuitium: & pro elemosynâ ad honorè sancti postulata Francisci, in nomen ipsius blasphemiam iaculando. Pœnituit hominem statim insipientiæ suæ, diuino super eum irruente pauore: ne fortè ultio Domini sequeretur, sicut & fuit protinus subsequuta. Nam infirmatus continuò primogenitus eius, paruo elapso spatio, spiritum exhalauit. Volutabatur per humum pater infelix; & sanctum Dei Franciscum inuocare non cessans, cum lacrymis exclamabat; Ego sum qui peccaui, ego qui iniquè locutus sum: me in personâ propriâ flagellare debuisti. Redde sancte iam pœnitenti, quod abstulisti impiè blasphemanti. Tibi me reddo, tuis me obsequiis semper expono: nam & deuotû sacrificium laudis, pro tui honore nominis, semper offerâ Christo. Mira res. Ad hæc verba surrexit puer, & planctû prohibens, se morientem eductum de corpore, per B. Franciscum deductum asseruit, & reductum.

Cuiusdam vrbis Romæ Notarij puerulus vix septennis, matrem ad Ecclesiam S. Marci euntem, puerili more sequi desiderans, dum remanere domi compelleretur à matre, per fenestram palatij se proiecit: & ultimâ quassatione collisus continuò exspirauit. Mater verò, quæ nondum longè discesserat, ad sonitum corruentis, præcipitium pignoris suspi-

3.

*primogenitus  
item filius.*

4.

*Puer quoque  
septennis casu  
mortuus.*

suspicata, celeriter rediit: filiumque reperiens tam miserabili casu repente subtractum, protinus sibi ipsi manus iniecit ultrices, ac dolorosis clamoribus totam excitauit viciniam ad lamentum. Frater vero quidam nomine Raho, de Ordine Minorum, illuc se ad predicandum conferens, propinquauit ad puerum: & fide plenus ait ad patrem, Credisne sanctum Dei Franciscum, posse filium tuum à mortuis suscitare, propter amorem quem semper ad Christum habuit, pro reddenda vitâ hominibus crucifixum? Quo respondente, se firmiter credere, & fideliter confiteri; seruumque Sancti in perpetuum se esse futurum, si tantum à Deo munus per ipsius merita recipere mereretur: prostravit se frater ille cum fratre socio in oratione, ceteros qui aderant excitans ad orandum. Quo facto cœpit puer aliquantulum oscitare. & apertis oculis, brachiisque eleuatis, seipsum erexit: & statim coram omnibus ambulauit incolumis, per mirandam sancti virtutem, vitæ simul redditus & saluti.

5.

In ciuitate Capuæ, dum puer quidam super ripam Vulturini fluminis, cum pluribus iocaretur, incautus cecidit in profundum: quem fluminis impetus celeriter vorans, sub sabulo mortuum sepeliuit. Proclamantibus autem pueris, qui cum eo luserant circa flumen: populosa illuc multitudo conuenit. Cumque vniuersus populus suppliciter & deuotè beati Francisci merita inuocaret, ut deuotorum sibi parentum fidem aspiciens, prolem à mortis periculo dignaretur eripere: natator quidam procul astans, clamoribus auditis, accessit. & post diutinam inquisitionem, inuocato tandem beati Francisci subsidio, locum inuenit, in quo limus in modum sepulchri, pueri cadauer obtexerat. quem effodiens, & extrâ deportans, dolens defun-

*Submersus  
puer vitæ  
redditus.*

defunctum inspexit. Licet autē populus qui astabat, videret iuuenem mortuum: nihilominus tamen flens, & eiulans proclamabat; Sancte Francisce, redde puerum patri suo. Sed & Iudæi qui venerant, naturali pietate commoti, dicebant; Sancte Francisce, redde puerū patri suo. Subitò puer, lætantibus & mirantibus cunctis, exurgens incolomis, duci se ad Ecclesiam B. Francisci suppliciter postulauit: vt gratias illi deuotus exsolueret, cuius se nouerat virtute mirabiliter suscitatum.

*Iudæi naturali pietate commoventur.*

In ciuitate Suefsâ, in vico qui Ad columnas dicitur, repente quedam corruens domus, vñum absorbuit iuuenem, & subitò interemit. Viri autē & mulieres ruinæ sonitu excitati, vndique accurrentes, eleuauerunt hinc inde ligna & lapides: & miseræ matri mortuum filium reddiderunt. Illa verò amarissimis repleta singultibus, sicut poterat, dolorosis vocibus exclamabat, Sancte Francisce, sancte Francisce, redde mihi filium meū. Non solūm autem illa, sed & omnes qui aderant, B. patris præfidium flagitabant. Sed cum non esset neque vox, neque sensus; cadauer posuerunt in lectulo: & ad sepeliendum ipsum, diem crastinum expectabant. Mater verò fiduciam habens in Dño, per merita sancti eius, votum emisit, noua se sindone B. Francisci operturam altare, si filium suum reuocaret ad vitam. Et ecce circa horam noctis mediam, cœpit iuuenis oscitare: & calescentibus membris, viuus exurgens & sanus, in laudis verba prorumpit. Sed & clerum qui conuenerat, & populum vniuersum excitauit ad laudes & gratias Deo & B. Francisco cum mentis lætitia persoluendas.

*Ex voto iuuenis resuscitatur.*

Iuuenis quidam Gerlandinus nomine, de Ragusâ oriundus, vindemiariū tempore ad vineas exiens, cum in vase vinatio, vt vtres impleret, sub torculari

6.

7.

culari se mitteret: repente prægrandes lapides, motis in se lignorum struibus, caput ipsius letali percussione quassarunt. Festinauit continuò pater ad filium, & desperans obrutum nõ adiuuit: sed eum sub onere, sicut corruit, sic reliquit. Accurrerunt expeditiùs vinitores, magni clamoris vocem lugubrem audientes: multoq̃ue cum patre pueri, dolore completi, extraxerunt iuuenem iam mortuum à ruinâ. Pater verò ipsius Iesu pedibus prouolutus, humiliter precabatur; vt filium suum vnicum per S. Francisci merita, cuius tunc imminebat sollemnitas, sibi reddere dignaretur. Ingeminabat preces, vouebat officia pietatis: & sancti viri corpus se visitaturum cum filio, si suscitaretur à mortuis, repromisit. Mirum certè. Continuò puer qui toto fuerat corpore conquassatus, restitutus vitæ & integræ sospitati, gaudens coram omnibus exsurrexit: plangentes obiurgans, & S. Francisci suffragiis vitæ se redditum asseuerans.

*Item esse voto  
alios patris  
reddidit.*

§.

Quendam alium mortuum in Alemaniâ, suscitauit, de quo Dominus Papa Gregorius, tempore translationis ipsius Sancti, fratres omnes qui ad translationem & Capitulum conuenerant, per Apostolicas literas, certos reddidit & gaudentes. Miraculi huius seriem, quia ignorauit, non scripsit: credens Papale testimoniũ omnis assertionis extellere instrumentum.

§. 3. *De his quos à mortis periculo liberauit.*

In confinibus Urbis, vir quidam nobilis Rodolphus nomine, cum Deo deuotâ vxore, fratres Minores suo recepit hospitio: tam hospitalitatis gratiâ, quàm B. Francisci reuerentiâ, & amore. Noctè verò illâ, in summitate turris, dormiens custos castri, cum iaceret super struem lignorũ, in ipsa muri

*De summi  
turris cadens,  
non laeditur.*

posito-

positorum crepidine: ipsorum solutâ compage, in  
tectum palatij corruit, & exinde super terram. Ex-  
citata ad sonitum casus totâ familiâ, & custodis in-  
tellectâ ruinâ: dominus castri & domina, cum fra-  
tribus accurrerunt. Is verò qui ab alto corruerat,  
absorptus fuerat tam profundo soporè, vt nec ad  
casum euigilaret iteratâ ruinâ, nec ad strepitum  
accurrentis familiâ cum clamore. Trahentiu tan-  
dem, & impellentiu manibus excitatus, conqueri  
cepit, quòd dulci fuisset quiete priuatus: inter  
beati Francisci brachia, suauiter asserens se dor-  
misse. Cùm verò de casu proprio doceretur ab  
aliis, & in imo se videret, qui in alto iacuerat: stu-  
pens esse factum quod fieri non perceperat, pœni-  
tentiam se facturum ob reuerentiam Dei, & beati  
Francisci, coram omnibus repromisit.

In castro Pophis, quod in Campaniâ positum est,  
Sacerdos quidam Thomas nomine, accessit ad re-  
parandum Ecclesiæ molendinum. Deambulans  
autem incautè circa extrema canalisi, quò gurges  
profundus copioso defluebat influxu: subito ca-  
su cauiloso ligno intrusus est, cuius impulsu vol-  
uitur molendinum. Cùm igitur consertus iaceret  
in ligno, & super os ipsius, quia supinus erat, aqua-  
rum impetus inundaret: corde tamen, quia linguâ  
non poterat, S. Franciscum flebiliter inuocabat.  
Per magnum verò spatium sic illo iacente, ac de  
vitâ ipsius iam penitus sociis desperatis, in contra-  
riam partem molam cum violentiâ reuoluerunt.  
& sic eiectus Sacerdos, palpitans volutabatur in  
aquæ meatu. Et ecce quidam frater Minor, indu-  
tus tunicâ candidâ, & fune succinctus, cum magnâ  
suauitate arreptum per brachium, extra flumen  
eduxit, dicens: Ego sum Franciscus, quem inuoca-  
sti. Ille verò sic liberatus nimis obstupuit: volensq;  
I pedum

2.

Sacerdotem  
submersum  
liberat.

pedum ipsius osculari vestigia, huc atque illuc anxius discurrebat, quærens à locis, Vbi est ille? Quò abiit sanctus? qua viâ discessit? Viri autem illi tremefacti, proni ceciderunt in terram, sublimis Dei gloriosa extollentes magnalia, & virtuosa merita humilis serui eius.

3. Iuuenes quidam de Burgo Celani, pro metendis herbis exierant ad campestria quædam, in quibus vetus latebat puteus, herbis in summo ore virentibus obumbratus; qui quasi per passus quatuor, aquarum altitudinem continebat. Segregatim igitur per campum discurrentibus pueris; vnus ex improviso decurrit in puteum. Absorbente autem profundâ foueâ corpus: spiritus mentis sursum recurrebat ad beati Francisci suffragium, clamans in ipso lapsu fideliter & fidèter; Sancte Francisce adiuua me. Ceteri huc atque illuc severtentes, dum puer alius non compareret, clamore, circuitu, & lacrymis requirebant eundem. Comperito tandem quòd in puteum cecidisset: festinanter cum gemitibus redierunt ad Burgum, indicantes euentum, exposcentes auxilium. Reduntibus autem illis, cum multâ hominum turbâ, demissus vnus per funem in puteum, puerum respexit in aquarum superficie residentem, nihil passum penitus læsionis. Extractus verò de puteo puer, dixit omnibus qui astabant; Quando subito cecidi, B. Francisci patrociniu inuocaui: qui corruenti mihi, statim præsentialiter affuit, & manum porrigens, leuiter apprehendit; nec vnquam deseruit, donec vnâ vobiscum puteo me eduxit.

4. In Ecclesia beati Francisci apud Assisium, dum præsentè Romanâ Curiâ prædicaret Dominus Episcopus Hostiensis, qui postmodum Summus Pontifex existit Alexander: quidam lapis pondero-

*Puerum quod  
cuc in puteum  
lapsum.*

derosus & magnus, incaute super pulpitem excelsum & lapideum derelictus, præ nimietate pressuræ impulsus, super caput cuiusdam cecidit mulieris. Existimantes igitur circūstantes, perfectè ipsam iam mortuam, & caput eius totaliter conquassatum: cooperuerunt eam pallio, quò erat amicta; vt sermone finito, educeretur extra Ecclesiam lugubre fanus. Ipsa verò se beato Francisco, ante cuius iacebat altare, fideliter commendauit. Et ecce prædicatione finitâ, mulier coram omnibus aded surrexit incolumis, vt nullius in eâ læsionis vestigium appareret. Sed & quod est ampliùs admirandum: cum per longa tempora vsque ad horam illam, dolorem capitis quasi continuum habuisset; plenè fuit ex tunc, ab omni morbi molestiâ liberata, sicut ipsa postmodum testabatur.

Apud Cornetum, cum in loco fratrum, ad functione campanæ, viri quidam conuissent deuoti: puerulus quidam octennis, Bartholomæus nomine, xenium quoddam fratribus laborantibus apportauit. Et ecce subito ventus vehemens, concussa domo, ostiū portæ graue quidem & magnū, super ipsum puerulū ita valido proiecit impulsu; vt quem tam ingens pondus oppresserat, letali crederetur collisione quassatus. Sic enim totaliter iacebat tumulatus sub pondere, vt nihil externis appareret. Accurrerunt omnes qui aderant, beati Francisci virtuosam dexteram inuocantes. Sed & pater ipsius, qui rigescentibus membris, se mouere non poterat præ dolore, votis & voce, sancto Francisco filium offerebat. Leuatum est denique funestum pondus desuper puerum. Et ecce quem credebant mortuum, quasi suscitatus à somno, lætus apparuit, nullam in se prorsus præferens læsionem. Igitur cum quatuordecim esset

f. 2. anno.

Mulier casti  
lapis in  
capite  
curat.

f.  
Puer ostij  
magni poterit  
pressus, non  
opprimatur.



annorum, factus est frater Minor, vir postea litteratus, & famosus in Ordine prædicator.

6. Homines de Lentino, lapidem prægrandem abfeiderunt de monte, qui superponendus erat altari cuiusdam Ecclesiæ B. Francisci, in proximo consecrandæ. Cùm autem ferè quadraginta homines, lapidem illum superponere vehiculo niterentur: reperitis sæpius viribus, super quendam hominem lapis ille cecidit, & in modum sepulchri obtexit. Sed cùm mente confusi, quid facerent ignorarēt: maior pars hominum desperata discessit. Porro viri decem, qui remanserant, lugubri voce sanctum inuocantes Franciscum, ne in suo seruitio, sic horrendè mori hominem pateretur: resumpto tãdem corde, tantâ facilitate lapidem amouerunt, vt nullus dubitaret virtutem adfuisse Francisci. Surrexit homo incolumis in omnibus membris. in super & lumen recuperavit limpidum oculorum, quod prius habuerat obscuratum: vt sic omnibus daretur intelligi, quàm in rebus desperatis, B. Francisci merita, validæ sint virtutis.

*Similiter vir  
super quem  
ingens lapis  
cecidit.*

7. Simile quiddam accidit, apud sanctum Severinũ in Marchiã de Anconã. Dum enim lapis prægrandis de Constantinopoli adportatus, ad basilicam beati Francisci, multorum viribus traheretur, rapido lapsu est super quendam trahentium deuolutus. Cùmque ille non solum crederetur defunctus, sed etiam totaliter comminutus: assistente sibi beato Francisco, & lapidem subleuante, absque omni læsione sanus & incolumis, lapidis proiecto pondere, profiliuit.
8. Bartholomæus Caietanus ciuis, cùm ad cõstructionem cuiusdam Ecclesiæ B. Francisci, non modicum desudaret: ruente trabe quadam infirmiter positã, eiusq; opprimente ceruicem, fuit grauiter con-

conquassatus. Ipse verò mortem sibi sentiens im-  
 minetem, uti erat vir fidelis & pius, à quodam fra-  
 tre viaticum postulavit. Quod frater ille tam ce-  
 leriter afferre non valens, quia mori subitò crede-  
 batur, B. Augustini verbum protulit, dicens ei;  
 • *Crede & manducasti.* Sequenti verò nocte, beatus  
 Franciscus cum undecim fratribus illi apparuit: &  
 inter vbera portans agniculum, ad lectum eius ac-  
 cessit: vocavitq; illum ex nomine, dicens; Bartho-  
 lomæ, noli timere: quia non præualebit aduersus  
 te inimicus, qui te in meo seruitio voluit impedi-  
 re. Hic est agnus, quem tibi dari petebas, quem &  
 propter bonum desiderium suscepisti, cuius etiam  
 virtute cōsequeris vtriusque hominis sospitatem.  
 Et sic per vulnera manum ducens, ad opus quod  
 cœperat, eum redire præcepit. Qui valde manè  
 consurgens, & iis qui cum seminecem reliquerāt,  
 incolumis & lætus apparens, admirationem intulit  
 & stuporem: sed & ipsorum mentes, ad B. Pa-  
 tris reuerentiam, & amorem, tam exemplo sui,  
 quàm Sancti miraculo excitavit.

Quidam de castro Ceperani, nomine Nicolaus,  
 in manus inimicorum crudelium incidit die qua-  
 dam: qui crudelitate ferali, vulneribus eum super  
 vulnera concidentibus, vsque adeò super miserū sa-  
 uierunt, donec vel extinctum crederent, vel protin-  
 us extinguendum. Clamauerat autem Nicolaus  
 prædictus, cum primos ictus exciperet, altâ voce;  
 Sancte Franciscæ succurre mihi, sancte Franciscæ  
 adiuua me. Hanc vocē à remotis audierunt quam  
 plurimi, licet auxilium ferre non possent. Depor-  
 tatus tandem domum, totus suo sanguine voluta-  
 tus, fiducialiter asserbat se mortem ex illis vulne-  
 ribus non visurum, nec etiam se tunc sentire do-  
 lores: quoniam sanctus Franciscus sibi succurre-

I. 3 iat,

Trabe oppres-  
 sus sanctus  
 restituitur.

10. 9 Trac.  
 25. in Ioan.

9.  
 Vulneratus  
 multū, etiam  
 à S. Franc.  
 curatur.

rat, & vt pœnitentiam ageret à Domino impetrauit. quod & sequens confirmauit euentus. Nam lotus à sanguine, cōtinuò contra humanam spem, extitit liberatus.

10

Filius enim  
morti proxi-  
matus.

Filius cuiusdam nobilis, in castro sancti Geminiani, valido languore detentus, omniq̄ue vltimò desperatus salute, ad extremum vsq̄ue perductus est. Riuis etenim sanguinis, ab oculis eius emanabat, sicut ex venâ brachij affolet ebullire. ceterisq̄ue propinquæ mortis veris indiciis, in reliquo corpore apparentibus, iudicabatur pro mortuo. Sed & præ debilitate spiritus & virtutis, sensus & motus vsu priuatus, visus est penitus emigrasse. Congregatis autem ex more ad planctum parentibus, & amicis, ac de solâ agentibus sepulturâ: pater ipsius fiduciam habens in Domino, concito gressu ad Ecclesiam cucurrit B. Francisci, quæ in eodem erat castro constructa. & cingulo suspenso ad guttur, cum omni humilitate se prostrauit in terram; sicq̄; vota vouens, & multiplicans preces, suspiriis & gemitibus meruit apud Christum, sanctum Franciscum habere patronû. Reuersus itaq̄; statim pater ad filium, & sanitati restitutum inueniens, luctum in gaudium commutauit.

11.

Simile quiddâ, meritis Sancti, operatus est Dominus, circa puellam quandam in Cathaloniâ, de villâ nomine Thamarit; & circa aliam de Anconâ: quæ cum essent præ nimietate ægritudinis, in vltimo spiritu constitutæ, beatus Franciscus fideliter à parentibus inuocatus, perfectè continuò restituit sanitati.

12.

Filius enim  
morti proxi-  
matus.

Clericus quidam de vico Albo, nomine Mathæus, veneno mortifero bibito, in tantum fuit grauatus, quòd loqui aliquo modo non valens, solum finalem exitum expectabat. Sacerdos quidam,

dam, vt sibi confiteretur, admonuit. & verbum  
vnum ab eo extorquere non valuit. Ipse verò in  
corde suo humiliter Christum orabat vt per beati  
Francisci merita, à mortis eum faucibus eripere  
dignaretur. Moxq; vt confortatus à Domino, beati  
Francisci nomen fideli deuotione depromsit:  
testibus qui aderant, veneno euomito, liberatori  
suo gratias egit.

§. 4. *De liberatis à naufragio.*

In magno maris periculo positi quidam nauar,  
cùm miliaria decem à portu Barulitano distarent,  
ingrauescente nimirum tempestate: iam de vitâ du-  
bij anchoras submiserunt. Verùm spiritu procella-  
rum mari feruentius tumescente, fractis funibus,  
& relictis anchoris, incerto & inæquali cursu per  
aquora vagabantur. Tandem nutu diuino, mari  
placato, ad resumendas anchoras, quarum funes su-  
perius enatabant, toto se conamine parauerunt.  
Cumq; id perficere propriis viribus non valerent,  
plurimorum sanctorum inuocato subsidio, multisq;  
iam sudoribus liquecentes, nec vnâ per totam  
diem resumere potuerunt. Aderat autem naua qui-  
dam Perfectus nomine, sed moribus imperfectus:  
qui cùm irrisione quadam dixit ad socios, Ecce san-  
ctorum omnium inuocastis auxiliû, & (vt videtis)  
nullus est qui succurrat. Inuocemus istum Fran-  
ciscum, qui nouellus est sanctus: si quo modo in ma-  
re se mergat, & anchoras perditas reddat. Consen-  
serunt ceteri non irrisorie, sed veraciter suasioni Per-  
fecti: & ipsius obiurgantes irrisorium verbum, fir-  
mauerunt cum sancto spontaneum votum. Sta-  
timq; in momento, sine aliquo adminiculo, nata-  
uerunt anchoræ super aquas, quasi ferri natura  
versa foret in ligneam leuitatem.

I.

*Anchora per-  
dita nauis  
redduntur.*

*Aquis super-  
natant.*

2.

*Infirmus a  
quam deside-  
ratã accipit.*

Peregrinus quidam inualidus corpore, propter febris peracutæ symptomata, quã fuerat antè per-  
pessus; nauis quadam subuectus, de vltamarinis  
partibus veniebat. Ferebatur autem ipse ad bea-  
rum Franciscum, præcipuo deuotionis affectu, &  
eum sibi apud caelestem Regem elegerat aduoca-  
tum. Cum igitur necdum perfectè liber à morbo,  
fatis angustiaretur ardoribus: deficiente iam aquã,  
cœpit altã voce clamare; Ite fidenter, haurite po-  
culum mihi: quia B. Franciscus vasculum meum  
aquã repleuit. Mirum certè. Inuenerunt vas aquã  
repletum, quod fuerat antè vacuum derelictum.  
Alio verò die, cum tempestate subortã operiretur  
nauis fluctibus, & procellis quateretur perualidis,  
ita vt iam naufragium timerent: cœpit idem infir-  
mus subito clamore vociferari per nauem, Surgite  
omnes, inquit, & B. Francisco venienti occurrite:  
ecce ad saluandũ nos adest. Sicq; cum voce magnã  
& lacrymis, in faciem procidens adorauit. Statim  
ad sancti visionem, omnem sospitatem resumpit  
infirmus, & maris fuit tranquillitas subsecuta.

*Tempestas  
sedatur in  
mar.*

3.

Frater Iacobus Reatinus, cum in nauiculã par-  
uã, fluuium quendam cum aliis fratribus pertran-  
siret, fociis primò super ripam positus, postremò se  
ad exitum præparabat. Sed modico illo ligno, per  
infortunium reuoluto, rectore natãte, frater mer-  
sus est in profundũ. Inuocabant fratres extra posi-  
ti, affectuosis precibus beatum Franciscum: & vt  
filio succurreret, lacrymosis gemitibus supplica-  
bant. Submersus autem frater, de ventre gurgitis  
nimis immensi, cum ore non posset, corde clama-  
bat, vt poterat, implorans pij patris subsidium. Et  
ecce auxiliante sibi beati Patris præsentia, per pro-  
fundũ sicut per aridã ambulabat: & demersam  
nauiculam capiens, cum eã peruenit ad litus. Mi-  
rabile

*Submersus  
frater in pro-  
fundoambu-  
lat.*

rabile dictu. Vestimenta eius madidata non sunt,  
nec aquæ gutta proximauit ad tunicam.

Frater bonauentura nomine, cum duobus viris  
per lacum quendam nauigans, contracta ex parte  
nauiculâ, propter aquæ influentis impetum, de-  
mersus est cum nauî & sociis in profundum. Cùm  
autem de lacu miseræ, misericordem Patrè Fran-  
ciscum inuocarent, cum multâ fiduciâ: supernata-  
uit subitò aquâ plena nauicula. & cum eis, sancto  
præbère ducatum, salubriter peruenit ad portum.  
Sic & quidam frater de Esculo submersus in flu-  
mine, S. Francisci meritis extitit liberatus. Sed &  
in lacu Reatino, cùm quidam viri & mulieres, in  
consimili essent periculo constituti: ad inuocatio-  
nem nominis S. Francisci, de aquarum multarum  
periculoso naufragio, salubriter euaserunt.

Quidam nauæ Anconitani, periculosâ tempe-  
state iactati, submersionis periculum iam videbât.  
Cumq; sic desperati de vitâ, S. Franciscum suppli-  
citer inuocarent, lumen in mari magnû apparuit:  
& cum ipso lumine tranquillitas concessa diuini-  
tatis, ac si beatus vir suâ mirandâ virtute, & ventis  
imperare posset & mari. Quantis autem miracu-  
lorum prodigiis, beatus hic Pater in mari clarue-  
rit, & clarescat; quoties ibidem opem tulerit de-  
speratis; nullatenus credo possibile per singula  
enarrare. Nec mirum, si iam regnanti in cælis col-  
latum est imperiû super aquas: cui & in hac mor-  
talitate degenti, omnis corporea creatura, ad suam  
refigurata originem, mirabiliter seruibat.

§. 5. De liberatis à vinculis & carceribus.

In Romaniâ, Græcum quendam cuiusdam do-  
mini, seruientem, cõtigit de furto fallaciter accu-  
sari: quem dominus Terræ in alto carcere manda-  
uit

I, 5

uit

4.  
Item alij  
submersione  
seruati.

5.

Sup. 19 6.

1.

*Accusatus  
fuit, sed sal-  
to, carceri  
eripuit.*

uit includi, & grauius vinculari. Domina verò do-  
mus misera serui, quem indubitanter credebat à  
culpâ sibi impositâ innocentem; pro liberatione  
ipsius apud virum precibus insistebat deuotis. Ve-  
rùm non acquiescente viri sui duritiâ obstinatâ:  
recurrat domina supplex ad S. Franciscum, & eius  
pietati voto commédauit in fontem. Protinus ad-  
fuit miserorum adiutor, & virum in carcere posi-  
tum misericorditer visitauit. Solut vincula, carce-  
rem fregit, innocentem manibus apprehensum,  
foras eduxit, & ait; Ego sum ille, cui domina tua te  
deuotè commisit. Cumq; ille timore magno cor-  
riperetur, & pro descensu altissimæ rupis voragi-  
nem circuiret: subitò liberatoris sui virtute inue-  
niens se in plano, rediit ad dominam suam. relatâ-  
que per ordinem miraculi veritate, deuotam do-  
minam, ad Christi amorem & reuerentiam serui  
eius Francisci, feruentius inflammavit.

2.  
*Et pauper-  
ulus debitor.*

In Massâ S. Petri, cuidam militi debebat pecu-  
niæ quantitatem pauperulus quidam. Cumque  
præ inopiâ facultas non suppeteret persoluendi:  
captus debitor à milite repetete, misereri sibi ora-  
bat suppliciter, dilationem quærens amore beati  
Francisci. Spreuit superbus miles preces oblatas,  
& sancti amorem, velut inane quid inaniter vil-  
pendit. Nam ceruicosè respondens; Tali te, ait, lo-  
co recludâ, & tali retrudâ carcere, quòd nec Fran-  
ciscus, nec aliquis te poterit adiuuare. Tentauit  
quod dixit. Carcerè adinuenit obscurû, in quo ho-  
minè vinculatû cõiecit. Paulo post adfuit B. Fran-  
ciscus: & fracto carcere, ruptisq; cõpedib<sup>9</sup>, illæsum  
hominè reduxit ad propria. Sic fortitudo Fræisci,  
militè est prædata superbû, captiuû qui se sibi sub-  
iecerat, liberauit à malo: militisq; proteruiam ad-  
mirando miraculo, in mansuetudinè cõmutauit.

Alber-

Albertus de Aretio, cum in vinculis atrocissimis teneretur, pro debitis iniuste ab eo petitis: suam innocentiam sancto Francisco humiliter comendavit. Ordinem quidem fratrum Minorum plurimum diligebat: & S. Franciscum inter sanctos speciali venerabatur affectu. Dixit autem creditor suus voce blasphemam; quod nec Franciscus, nec Deus posset eum, de suis manibus liberare. Factum est itaque in vigilia S. Francisci, cum vinctus ille nihil comedisset, sed ob sancti amorem victum suum cuidam tribuisset egeno: nocte veniente, apparuit ei vigilanti S. Franciscus: ad cuius ingressum vincula de pedibus, & carenz de manibus ceciderunt; sponte aperta sunt ostia, profilierunt tabulae de solario, & liber abscessit homo ad propria rediens. implevit ex tunc votum, ieiunans vigiliam B. Francisci: & carco, quem annuatim consuevit offerre, in accrescentis deuotionis indicium, annuatim vnam vnciam superaddens.

Residente in Sede B. Petri Domino Gregorio Nono, quidam Petrus nomine, de ciuitate Alisiâ, de hæresi accusatus, Romæ captus est: & de mandato eiusdem Pontificis, ad custodiendum traditus Episcopo Tiburrino. quem sub pœnâ Episcopatus accipiens, compedibus alligauit, obscuroque ipsum carcere, ne posset effugere, includi fecit; panem ei præbens in pondere, & poculum in mensurâ. Cœpit autem homo ille, beatum Franciscum ad sui miserendum multis precibus & fletibus inuocare: eò quod audierat sollemnitate eius iam adesse vigiliam. Et quoniam fidei puritate, omnem abdicauerat hæreticæ prauitatis errorem; totaque cordis deuotione, adhæserat fidelissimo Christi seruo Francisco: intercedentibus ipsius meritis, à Domino meruit exaudiri. Instante enim

3.

Item alius  
iniuste carceratus  
liberatus.

4.

Hæreticus  
captus ab  
ita à hæresi  
mirabiliter  
liberatus.

iam



iam nocte suæ festiuitatis, circa crepusculum beatus Franciscus in carcerem miseratus descendit: & illum suo nomine vocans, vt citò surgeret imperauit. Qui timore perterritus, quisnam esset interrogans; beatum Franciscum adesse audiuit. Cumq; virtute præsentia viri Sancti, vincula pedum suorum contracta cõspiceret cecidisse; & tabulas carceris clauis vltro prosilientibus aperiri; & apertum iter sibi ad exeundum præberi: solutus tamen, & obstupefactus fugere nesciebat; sed ad ianuã clamans custodes omnes perterrituit. Qui cum eum liberatum à vinculis, Episcopo nunciassent, post intellectum ordinem rei, ad carcerem Põtifex deuotus accessit: & manifestè Dei virtutem cognoscens, Dominum adorauit ibidem. Vincula quoque coram Domino Papa, & Cardinalibus delata fuerunt: qui videntes quod factum fuerat, admirati plurimum, benedixerunt Deum.

5. *Falso accusatus dum torquetur, sancti Franc patrociniõ penam non sentit.* Guidolotus de sancto Geminiano, falsò accusatus fuit, quòd veneno interemerat quendam virum: & quòd eodem genere mortis, filium eiusdem viri, & vniuersam eius familiam proposuerat enecare. Captus proinde à Potestate Terre, grauissimis vinculis aggrauatus, in turri quadam reclusus est. Ipse verò fiduciam habens in Domino, pro suã innocentia, quam sciebat, causam commisit B. Francisci patrociniõ defendendam. Excogitate igitur Potestate, qualiter criminis obiecti confessionem eliceret per tormenta, qualibusq; pœnis confessum faceret interire; nocte illã, cum manò ad cruciatus deberet adduci S. Francisci præsentia extitit visitatus: & immenso luminis fulgore usque manè circumdatus, repletusq; gaudio, & fiducia multã securitatem euasionis accepit. Aduenerunt manè tortores: & eductum de carcere, eculeo suspen-

suspenderunt, aggrauantes super eum multa pondera ferri. Depositus est pluries, & iterum eleuatus: vt poena poenae succedente, citius ad confessionem criminis arceretur: sed spiritu innocentiae laetabatur in vultu, nullam moestitiam praetendens in poenis. Deinde accensus est ignis sub ipso non modicus: nec propterea capillus est laesus, cum tamen capite dependeret ad terram. Tandem bulliente oleo superfusus, virtute Parroni, cui se commiserat defendendum, haec omnia superauit: & sic dimissus liber, saluus abiecit.

§. 6. *De liberatis à periculo partus.*

Quaedam Comitissa in Sclauoniâ, sicut nobilitate illustris, sic & æmula probitatis; erga S. Franciscum deuotione flagrabat: erga fratres verò sedulâ pietate. Tempore verò partus, duros perpessa dolores, tantâ fuit angustiam molestata, vt prolis futurus ortus, praesens videretur matris occasus. Non videbatur infantem eniti posse ad vitam, nisi exspiraret e vitâ: nec tali nisi parere, sed perire. Subuenit cordi eius S. Francisci fama, virtus, & gloria: excitatur fides, inflammatur deuotio. Conuertit se ad auxilium efficax, ad fidum amicum, ad deuotorum solatium, refugium afflictorum. S. Franciscus, inquit, pietati tuae supplicam omnia ossa mea: & mente voueo, quod explicare non possum. Mira celeritas pietatis. Finis dicendi, finis fuit dolendi: parturiendi meta, pariendi principium. Statim enim omni cessante pressurâ, partum edidit cum salute. Non fuit immemor voti, non propositi refuga: Ecclesiam quandam pulchram construi fecit, & constructam ad sancti honorem fratribus assignauit.

In partibus Romanis, mulier quaedam Beatrix nomine, vicina partui; cum per dies quatuor, foetum

1.  
In partu gra-  
uiter laboras;  
felicitate chi-  
titur.

2.

*Alia mortuū  
fœtum parit  
aeractu eius  
chordā.*

*Gen. 3. 16.*

3.

*Quadam post  
multa pigno-  
rum iunera  
perit filium  
virilatum.*

tum in ventre portaret extinctum, multis infelicitate agitabatur angustiis, & exitalibus doloribus urgebatur. Mortuus fœtus, matrem cogebat ad mortem: & nondum in lucem productum abortiuum, publicum matris periculū pariebat. Tentabat medicorū auxilium: sed omne humanum remedium laborabat in vanū. Sic de primis maledictionibus copiosius aliquid declinārat in miseram: vt sepulchrum facta conceptus, sepulchrū pro certo proximum exspectaret. Fratris tandem Minoribus, per internuncios totā se deuotione committens, suppliciter aliquid de S. Fracisci reliquiis, fide plenā poposcit. Contigit nutu diuino aliquantulū inueniri de chordā, quā fuerat sanctus quandoq; precinctus. Mox vt super dolentē posita chorda fuit, omnis facillimè solutus est dolor: mortis causa mortuus fœtus emissus, pristina sanitas restituta.

Cuiusdam de Narnio nobilis viri vxor, Iuliana nomine, pro filiorum morte annos trahebat lugubres, & continuè infelices deplorabat euentus: pro eo quòd omnes, quos cum pressurā portauerat filios, modico interiecto tempore, cum vehementiori dolore sepulturæ tradiderat. Cū igitur quatuor mensum conceptum haberet in vtero, magisque propter euentus præteritos, de conceptæ prolis sollicitaretur obitu, quàm de ortu: beatū patrem Franciscum pro vitā nondum nati fœtus, fideliter precabatur. Ecce autem nocte quadā, dormienti sibi mulier quædam apparebat in somnis, formosum puerulum gestans in manibus; illumq; lætissimæ offerebat eidem. Cū verò illa recipere recusaret, quem statim formidabat amittere, mulier illa subiunxit; securè suscipias, quia quem, tuo mœrori compatiens sacer mittit Franciscus, vitā viuet, & ospitate gaudebit. Statim euigilans mulier,

lier, intellexit per ostensam sibi cælitus visionem B. Francisci sibi adesse suffragium. Ex tunc abundantiori completa lætitiâ: pro suscipiendâ prole, iuxta promissum multiplicauit preces, & vota promisit. Inpletum est denique tempus pariendi, & peperit femina masculum: qui iuuenilis robore florens ætatis, tanquam per B. Francisci merita, fomentum susciperet vitæ, incitamentum parentibus præbuit, ad Christum, & Sanctû eius, deuotioris affectus. Simile quiddâ huic in Tiburis ciuitate sanctus Pater effecit. Cùm enim mulier quædam filias plurimas peperisset, desiderio prolis fatigata virilis, apud S. Franciscû preces ingeminauit & vota. Cœcepit igitur eius meritis mulier illa, & geminos ei parere dedit, qui pro vno fuerat exoratus.

Apud Viterbium partui propinqua mulier, 4.  
morti propinquior censebatur, visceralibus tormentata doloribus, & tota calamitosa infortuniis mulierum. Cumque naturæ succumbente virtute, omnis deficeret artis industria: inuocato beati Francisci nomine, liberata confestim mulier, partum salubriter terminauit. Sed assecuta quod voluit, & oblita beneficij quod accepit, honorem sancto non deferens, die natalis ipsius ad opera seruilia manus extendit. & ecce subito dexterum brachium ad laborem extensum, inflexibile remansit & aridum. Quod cùm studeret ad se reuocare cum altero, vltione consimili & illud exaruit. Timore igitur diuino correpta mulier, redintegravit votum: vsuque membrorum, quem propter ingratitude amiserat & contemptum, per misericordis & humilis Sancti merita, cui se iteratò deuouit, recuperare promeruit.

Mulier quædam de partibus Aretinis, cùm per septem dies partûs discrimina sustineret, & iam

*Voti oblita  
paritur.*

*Voti iterans  
inuat.*

in nigredinem versa, desperata esset ab omnibus: votū fecit B. Francisco, & eius cœpit moriens auxiliū inuocare. Emissō autem voto celeriter obdormiuit: viditq; in somnis, B. Franciscum se dulciter alloquentem ac requirentem; vtrum faciem ipsius agnosceret; & an Antiphonam illam Virginis gloriosæ, *Salve Regina misericordie*, sciret ad honorem eiusdem Virginis recitare. Quā respondente se habere notitiā de vtrisque; Incipe, ait Sanctus, antiphonam sacram: & antequam compleas, paries cum salute. Ad hanc vocem euigilauit mulier, & cum timore cœpit dicere, *Salve Regina misericordie*. Cumq; illos misericordes oculos precaretur, fructumque commemoraret vteri virginis: continuò cunctis liberata pressuris, infantem speciosum peperit; gratias agens Reginae misericordie, quæ per B. Francisci merita, ipsius fuerat dignata misereri.

*Recitans Antiphonā Salve Regina misericordie, sacre peperit.*

§. 7. *De cæcis illuminatis.*

- I. In conuentu fratrum Minorum Neapoli, cū quidam frater, Robertus nomine, cæcus annis plurimis extitisset: creuit in oculis eius caro superflua, motum & vsum impediens palpebrarum. Cū igitur fratres forenses, ad diuersas mūdi partes tendentes, ibidem plurimi conuenissent: beatus Pater Franciscus speculū obedientiæ sanctæ, vt eos miraculi nouitate hortaretur ad iter, prædictū fratrem, ipsis præsentibus tali modo curauit. Iacebat nocte quadam, frater Robertus prædictus æger ad mortem; iamq; sibi fuerat anima commendata: tū ecce astitit ei beatus Pater cum tribus fratribus omni sanctitate perfectis; videlicet S. Antonio, fratre Augustino, & fratre Iacobo de Assisio: qui sicut eum perfectè fuerant secuti dū viuerent;

*Oculos moribulos fratri cecidit medicatur.*

ita

ita & ipsum alacriter comitabantur post mortem. Accipiens cultellum sanctus Franciscus, carnem superfluam refecauit, lumen restituit pristinum, & à mortis eum fauce reduxit: dixitque illi: Fili Roberte, gratia quam tecum feci, signum est fratribus ad remotas nationes euntibus: quod ego præcedam eos, & ipsorum dirigam gressus. Vadant, inquit, gaudenter, & iniunctam obedientiam alacri animo exsequantur.

Apud Thebas in Romaniâ, mulier cæca vigiliam S. Francisci in pane tantum & aquâ ieiunans, ad Ecclesiam fratrum Minorum, summo mane festiuitatis, à viro suo perducta est. Quæ dùm Missa celebraretur, in eleuatione corporis Christi oculos aperuit, clarè vidit, deuotissimè adorauit. In ipsâ verò adoratione, voce magnâ proclamans; Gratias, inquit, Deo, & Sancto eius: quia video corpus Christi. Omnibus qui aderant in voce exultationis conuersis: post sacrorum expletionem, reuerfa est mulier in domum suam, cum gaudio spiritus, & lumine oculorum. Exultabat quidem mulier, non solum quia lucis corporeæ recuperarat aspectum: verum etiam quia sacramentum illud mirificum, quod est lumen animarum verum & viuum, respectu primario, per B. Francisci merita, fidei suffragante virtute, meruerat intueri.

In Campaniâ, puer quidam quatuordecim annorum, de castro Pophis, subitâ vexatus angustia, sinistrum oculum amisit ex toto. Passionis acerbitas, sic de loco suo propulit oculum, quod per octo dies, extrâ, neruo relaxato lóngitudine digiti vnus, ad maxillas dependens, penè aridus est effectus. Sed cum sola superesset abscissio, & à medentibus foret penitus desperatus: pater eius ad auxilium B. Francisci, totâ se mente conuertit. Non defuit

K                      ille

2.

*Die natalis  
S. Franc.  
cæca missam  
audiens in  
eius Ecclesiâ  
oculum recu-  
pit.*

3.

*Oculum ex-  
suscipiendum  
restituit.*

ille indefessus miserorum adiutor, precibus supplicantis. Nam oculum aridum, mirabili virtute, in locum suum, pristinumq; vigorem restituit, & lucis optatæ radiis illustrauit.

4.

In eadem Prouinciâ apud Castrum, magni ponderis lignum ex alto prorupit, & cuiusdam Sacerdotis caput grauissimè quassans, sinistram oculum excæcauit. Qui humi deiectus, cœpit altâ voce sanctû Franciscum luctuose clamare, dicens; Succurre Pater sanctissime: vt ad festum tuum ire valeam, sicut fratribus tuis ire promisi. erat enim vigilia Sancti. Qui statim exurgens, peroptimè liberatus, in vocem prorupit laudis & gaudij: & circumstantes omnes, qui eius miseriæ condolebant, in stuporem conuertit & iubilum. Iuit ad festum, narrans omnibus, quam in se expertus fuerat clementiam & virtutem.

5.

*Ex voto, oculus feno diuisus sanatur.*

Vir quidam de monte Gargano, dum in vineâ suâ laborans, lignum quoddam ferro succideret, proprium percussit oculum: & sic diuisit per mediû, vt quasi media pars ipsius exteriùs depêderet. Cumq; in tam desperato periculo, desperaret sibi posse per hominem subueniri: ieiunaturum se in festo S. Francisci, si ei succurreret, repromisit. Statim in loco debito, viri oculum Sanctus Dei restituit: sicq; diuisum reiunxit, & lumine pristino decorauit, vt nullius læsionis vestigia remanerent.

6.

*Cæcus natus visum recepit.*

Filius cuiusdam nobilis viri à natiuitate cæcus, meritis B. Francisci lumen accepit optatû. qui nomen ab euentu sortitus, Illuminatus, vocatus est. Assumpsit postea cum in ætate esset, Ordinè beati Francisci, accepti beneficij nõ ingratus: tantumq; profecit in lumine gratiæ & virtutis, vt verè lucis filius videretur. Tandem B. Patris promerentibus meritis, sanctum initium sine sanctiore conclusit.

In

In Zachanto, quod est castrum iuxta Anagninam, miles quidam Gerardus nomine, oculorum lumen ex toto perdidit. Accidit autem ut duo fratres Minores ab exteris partibus venientes, ad domum ipsius hospitaturi diuenterent. Suscepti itaque deuotè, propter reuerentiam sancti Francisci à familiâ totâ, & cum omni benignitate tractati, gratias agentes Deo & hospiti, ad locum fratrum deuenere vicinum: Nocte igitur quadam, beatus Franciscus vni fratrum illorû in somnis apparuit, dicens: Surge, festina cum socio ad domum hospitis nostri, qui Christum & me suscepit in vobis: volo enim beneficia rependere pietatis. Cæcus quidem effectus est, suis promerentibus culpis, quas pœnitentiâ non studuit confessione purgare. Disparente quoque Patre, frater festinus surrexit, ut mandatum cum socio celeriter adimpleret. Venientesque ad hospitis domum, cuncta quæ viderat alter, per ordinem narrauerunt eidem. Stupuit vir ille non modicum, & vniuersa quæ dicebantur, vera esse confirmans: compunctus ad lacrymas, confessus est libens. Tandem correctione promissa, interiorique homine taliter renouato, exteriorem continuo recuperauit aspectum: Huius miraculi fama circumquaque diffusa, non solum ad reuerentiam Sancti: verum etiam ad confessionem humilem peccatorum, & hospitalitatis gratiam plurimos incitauit.

Quidam pro furci calumniâ cæcatus fuit, rigore iustitiæ secularis, apud Assisium: Othone milite per ministros publicos, sententiam Octauiani Iudicis, de eruendis accusato oculis, exsequente. Qui taliter deformatus, effossis oculis, præcis

neruis opticiis, etiam cum cultello, ductus ad altare B. Francisci, imploratâ ipsius clementiâ, & suâ

K 2 in

7.

*Cæcus confitens peccatâ, fit videns.*

8.

*Otho oculis suis, S. Fran. magis alios recepit.*



in prædicti criminis impositione, innocentia allegata: Sancti ipsius merito, infra triduum, nouos recepit oculos, minores quidem illis, quibus orbatus fuerat, sed non minus limpidè visus officium exercentes. Huius autem stupendi Miraculi, testis fuit prænominatus miles Otho, iuramento ad hoc adstrictus, coram Domino Iacobo, Abbate S. Clementis; auctoritate Domini Iacobi Episcopi Tiburtini, de ipso miraculo inquirente. Testis etiam extitit eiusdem miraculi Frater Guillelmus Romanus, à fratre Hieronymo Generali Ministro Ordinis Fratrum Minorum, ad veritatem dicendam, quam circa hoc nouerat, præcepto, & excommunicationis sententia obligatus. Qui taliter adstrictus, coram pluribus Ministris Prouincialibus eiusdem Ordinis, & aliis magni meriti Fratribus, affirmavit se dudum, adhuc secularem existentem, vidisse eum habentem oculos, & postmodum actu executionis iniuriam patientem; ac se, excæcati oculos in terram proiectos, curiosè cum baculo reuoluisse, & postmodum virtute diuinâ, eundem, nouæ lucis receptis oculis, videntem clarissimè, conspexisse.

§. 8. *De liberatis à variis infirmitatibus.*

I. Apud castrum Plebis, iuuenis quidam mendicus surdus erat, & mutus à nativitate suâ: qui linguam adedò curtâ habebat ac tenuem, quòd multoties exquisita à pluribus, præcisa penitus videretur. Vir quidam Marcus nomine, ipsum propter Deum suscepit hospitio: qui eum sibi benefacere sentiens, cœpit cum ipso assiduus demorari. Serò quodam cum prædictus vir cœnaret cum coniuge, astante puero coram eis, dixit vxori; Hoc ego maximum miraculum reputarem: si B. Franciscus huic auditum redderet & loquelam. Et adiecit;

Voueo

Surdus &  
mutus ex vo-  
to auditum  
accipit &  
loquelam.

Voueo Deo, quòd si hoc sanctus Franciscus dignabitur operari: propter amorem suũ huic puero expensas conferam, donec viuet. Mirum certè. Subitò lingua creuit, & locutus est, dicens; Gloria Deo, & S. Francisco, qui mihi loquelam præbuit & auditum.

Frater Iacobus de Iseo, cùm puerulus esset in domo paternã, incurrit rupturam corporis valde grauem. Superno verò afflatus spiritu, licet esset iuuenis & infirmus, Ordinem S. Francisci deuotus intrauit: nulli tamen quã vrgebatur infirmitatem detexit. Factum est autem cum corpus S. Francisci transferretur ad locum, vbi pretiosus sacrorum officium eius nunc thesaurus est conditus; adfuit & tunc dictus frater translationis gaudiis: vt glorificati iam Patris corpori, honorem debitum exhiberet. Et appropinquans tumbæ, in quã ossa sacra fuerant collocata: præ deuotione spiritus, sacrum tumulum complexatus, & cum lacrymis multis orans; subitò, miro modo ad loca debita partibus reuocatis, sanum se sensit: succinctoriũ deposuit, & ex tunc ab omni dolore præterito liber fuit. Ab infirmitate quoque consimili frater Bartholus de Eugubio, frater Angelus de Tuderto, Nicolaus Sacerdos de Stichano, Ioannes de Forã, vir quidã de Pisis, & alius de castro Cisternæ, Petrus quoque de Sicilia, & homo quidam de castro Spelli iuxta Assisium, & quamplures alij per Dei misericordiam, & beati Francisci merita extiterunt mirabiliter liberati.

In maritimã, mulier quædam mentis alienationem per quinquennium passa, visu & auditu priuata est. Indumenta dilaniabat dentibus, ignis & aquæ periculum non timebat, & caduci morbi ad summũ incurrerat horribilem passionem. Nocte

K 3                      vciò

2.  
Henios  
nãtia.

3.  
Amens quæ-  
dam mens  
fit compos.

verò quadam, cum disponderet sibi diuina misericordia misereri; salutaris fulgore lucis superillustrata diuinitus, vidit B. Franciscum super solium sedere sublime: ante quem prostrata sanitatē suppliciter exposcebat. Illo verò nondū fauente precibus: firmavit mulier votū, promittens pro Dei amore ac Sancti, petentibus, donec haberet, elemosynā non negare. Illicò sanctus pactū recognouit, quod olim cum Domino fecerat simile: & signans eam Crucis signaculo, integram sibi restituit sanitatem. A cōsimili passione puellam quandam de Nursiā, & filium cuiusdam nobilis viri, & alios quosdam, relatione veridicā compertum est, S. Dei Franciscum misericorditer liberasse.

*Sup. cap. 1.  
§. 2.*

4.

*Peregrinationem inuenienter faciens a dæmonibus corrumpitur.*

Petrus de Fulgineo, ad visitandum limina beati Michaëlis, quodam tempore pergens, dum minus reuerenter peregrinationem perēgit, fontis cuiusdam aquam degustans, a dæmonibus est inuasus: & exinde per tres annos obsessus, discerpebatur in corpore, pessima loquens, & horrenda prætendēs, habens tamen aliquando lucida interualla, beati virtutem, quam efficacem audierat, ad effugandas aëreas potestates, humiliter requisivit. Et ad sepulcrum pij Patris accedens, mox ut illud contigit manu, a dæmonibus eum crudeliter discerpentibus, mirificè liberatus fuit. Simili etiam modo mulieri cuidam de Narnio, habenti dæmonium misericordia Francisci subuenit. & aliis pluribus, quorum vexationum angustias, & curationū modos, longum esset per singula enarrare.

*Liberatur tacto S. Fran. sepulcro.*

5.

*Leprosi multatantur.*

Vir quidam nomine Bonus, homo de ciuitate Fani, paralyticus & leprosus, ad Ecclesiam B. Francisci a parentibus deportatus, vtriusque morbi plenam consecutus est sanitatem. Sed & alius iuuenis quidam, Acto nomine, de sancto Seuerino,

totus

totus leprofus, voto emisso, & ad sepulcrum Sancti delatus, meritis ipsius à leprâ mundatus est. Habuit quidem Sanctus super huiusmodi morbo curando præcellentem virtutem: pro eo quòd humilitatis & pietatis amore leproforum obsequiis se humiliter deputarat.

Nobilis quædam mulier Rogata nomine, in Episcopatu Sorano, per xxiiij. annos fluxu sanguinis fatigata, sed à quampluribus medicis quamplurima mala perpeffa: præ nimietate quidem languoris, sæpius videbatur exspirare. Sed & si quando fluxus huiusmodi stringebatur, tumescebat corpore toto. Audiens autem quendam puerum, Romano sermone canentem miracula, quæ Deus per beatum Franciscum fuerat operatus; nimio dolore commota, tota prorupit in lacrymas: sicque intra se fide accensâ, dicere cœpit; O beate pater Franciscæ, qui tantis coruscas miraculis; si me digneris ab hac agritudine liberare, magna tibi accresceret gloria: quoniam adhuc tantum miraculum non fecisti. Quid plura? His dictis, sensit se beati Francisci meritis liberatam. Filium quoque ipsius Marium nomine, qui brachiû habebat contractum, S. Franciscus voto ad ipsum emisso, sanavit. Feminam etiam quandam de Sicilia, per septennium fluxû sanguinis fatigatam, beatus Christi Signifer saluam fecit.

In vrbe Româ, Praxedis quædam nomine, religiositate famosâ, quæ à tenellâ ætate, propter æterni sponsi amorem, arto se carcere per xl. iam ferè annos abdiderat, apud beatû Franciscum, gratiam promeruit specialem. Nam cum die quadam, pro rebus opportunis, solariû suæ cellulæ conscendisset, & impulsione phantasticâ corruens, cum fractum haberet pedem cum crure, & humerû à positione

6.

Sanguinis  
fluxus sistitur

7.

Fracti pedes  
& crura, totumque corpus ex lapsu, reparatur.

debitâ sequestratum : apparuit ei benignissimus Pater, vestimentis gloriæ candidatus, & dulcibus affatibus alloqui cœpit eandem, Surge, inquit, filia benedicta, surge ne timeas. Et apprehensâ manu ipsius, alleuans eam disparuit. Ipsa verò per cellulam suam huc atque illuc se conuertens, putabat se visum videre: vsquequo ad clamorem ipsius apportato iam lumine, perfectè se sentiēs per seruum Dei Franciscum esse sanatam, cuncta quæ acciderant, per ordinem enarravit.

§. 9. *De non obseruantibus festum, & non honorantibus Sanctum.*

1.  
Sacerdotis  
mandatum  
non spernen-  
dam.

In Pictauiâ partibus, in villâ, quæ Simo dicitur, Sacerdos quidam Reginaldus nomine, B. Francisco deuotus, festum ipsius parochianis suis indixerat sollempniter celebrandum. Vnus autem de populo ignorans Sancti virtutem, sui parupendit Sacerdotis mandatū. Egressus autem foras in agrum, vt ligna succideret, cum se præparasset ad opus, vocem audiuit huiusmodi ter dicentem, Festum est, operari non licet. Verum cum nec imperio Sacerdotis, nec supernæ vocis oraculo, seruilis temeritas frenaretur: addidit diuina virtus ad gloriam sancti sui, sine morâ miraculum, & flagellum. Mox enim vt furcam vnâ manu iam tenens, alteram cum ferro instrumento leuauit ad opus: sic diuinâ virtute, vtraque manus vtrique instrumento cohæsit, vt ad neutrius dimissionem, digitos aliquatenus relaxare valeret. Ex quo stupefactus nimis, & quid ageret nesciens; ad Ecclesiam, multis vndique ad videndū prodigium concurrentibus, properauit. Vbi mente compūctus ante altare, quodam ex assistentibus Sacerdote monente, (plures quippe ad festum vocati conuenerant Sacerdotes\*) B. Francisco humiliter se deuouit; tria, sicut ter vocem audie-

Vota ipsi sa-  
cia à peccatis  
liberant.

audierat, vota vouens: quòd scilicet festum ipsius coleret, quòd ad illam, in quâ tunc erat, Ecclesiam in festo veniret, & quòd sancti corpus personaliter uisitaret. Mirum certè relatu. Vno emissio voto, vnus digitus factus est liber: ad secúdi emissionem solutus est alius: sed tertio facto voto, laxatus est tertius. & postmodum tota manus, necnon & altera subsequenter, populo, qui iam multus aduenerat, sancti clementiam deuotissimè implorante. Sic homo pristinae redditus libertati, per seipsum instrumenta deposuit: cunctis laudantibus Deum, virtutemq; sancti mirificam, qui tam mirabiliter percutere poterat, & sanare. Ipsa verò instrumenta vsque hodie coram altari, ad honorè B. Francisci fabricato, ibidem in memoriam facti dependent. Plura quoque illic, & in locis vicinis patrata miracula, & Sanctum in cælis ostendunt eximium, & festum ipsius in terris venerabiliter excolendum.

In ciuitate quoque Cenomanensi, dum in sollemnitate S. Francisci, mulier quædam manus ad colū extenderet, & digitis apprehenderet fusum: obrigescentibus manibus cœperunt digiti magnis ardoribus cruciari. Igitur pœnã docente, Sancti recognoscens virtutem: corde compuncta, cucurrit ad fratres. Cumq; pro salute ipsius, deuoti filij S. Patris clementiam precarentur, incolumis effecta est statim: nec aliquid læsionis remansit in manibus, nisi ad facti memoriam, solùm vestigium cõbusturæ. Simili etiam modo in Campaniã maiori, mulier quædam. & in villã Oletti mulier altera. & in castro Pyllei, tertia, dum beati Patris festum celebrare contemnerent, præuaricantes primùm mirabiliter sunt punitæ: sed postmodum pœnitentes, per sancti Francisci merita mirabilius libe: atæ.

K 5

Miles

2.  
Temerantes  
festum eius,  
punitur:  
pœnitentes  
vultu curant.  
int.

3.  
Blasphemus  
occiditur.

Miles quidam de Burgo in Prouinciâ Massâ, beati Francisci operibus, & miraculorum signis impudentissimè detrahebat. inferebat multa opprobria peregrinis, ad ipsius memoriam venientibus: & contra fratres publicâ garriebat insaniâ. Cùm autem semel Sancti Dei gloriam impugnet: addidit super peccata sua blasphemiam detestandam. Si verum est, inquit, quòd Franciscus iste sit sanctus, gladio cadat hodie corpus meum. si verò sanctus non est, euadam incolumis. Non distulit ira Dei condignum inferre supplicium; cùm iam facta fuisset oratio in peccatum. Morâ enim modicâ interiectâ, dum blasphemus nepoti suo inferret iniuriam: accepit ille gladium, & patruî visceribus oruentauit. Eodem die mortuus est sceleratus, inferni mancipium, & filius tenebrarum: vt ceteri discerent miranda Francisci opera, non blasphematoris verbis impetere, sed deuotis laudibus honorare.

4.  
Alius loque-  
lans perdidit.

Iudex quidam nomine Alexander, dum à beati Francisci deuotione, quos poterat venenatâ linguâ retraheret: diuino iudicio linguâ priuatus, per sex annos obmutuit. Qui cùm in eo, quo peccauerat, torqueretur: altâ penitudine reuocatus, dolebat se contra Sancti miracula oblatrasse. Itaque non perstitit misericordis indignatio Sancti: sed penitentem, ac se humiliter inuocâtem, restitutâ loquelâ, recepit ad gratiam. Ex tunc linguam blasphemâ consecrauit laudibus Sancti, deuotionem simul & disciplinam recipiens per flagellum.

§. 10. De quibusdam aliis miraculis diuersorum generum.

1.

In castro Galiani Valucensis diœcesis, mulier quædam nomine Maria, quæ Christo Iesu & B. Francisco famulatu deuoto subiecta, vnâ dierum æstiuo

tem-

tempore exiit, vt manibus conquireret propriis  
 necessarium victū. Cū igitur feruente nimium  
 æstu, sitis deficere cœpisset ardoribus: omni priua-  
 ta beneficio poculi, pro eo quod in monte arido  
 sola esset; quasi exanimis humi prostrata, patronū  
 suum S. Franciscū inuocabat pio mentis affectu.  
 Dum autem perseueraret mulier in affectuosâ &  
 humili prece: labore, siti, & æstu fatigata quam plu-  
 rimum, paululū obdormiuit. Et ecce S. Franciscus  
 adueniens, & eam vocans ex nomine; Surge, in-  
 quit, & bibe aquā, quæ diuino munere tibi ac plu-  
 ribus exhibetur. Ad huius vocis auditum surrexit  
 mulier à somno, non modicū confortata. & acci-  
 piens † flicem, quæ iuxta se erat, radicitus euulsit  
 à terrâ: effodiensq; ligno paruulo circumquaque,  
 viuentem reperit aquam. quæ cū primò videret-  
 ur paruula stilla, subito diuinā virtute creuit in  
 fontem. Bibit itaq; mulier, & satiata oculos lauit:  
 quos cū longā prius haberet ægritudine obum-  
 bratos, nouā ex tūc sensit luce perfusos. Festinauit  
 ad domū mulier, tam stupendum miraculū ad glo-  
 riam S. Francisci denunciāns vniuersis. Concorre-  
 runt vndique multi ad miraculi famā, experiētiā  
 magistrā discētes mirabilē illius aquæ virtutem:  
 dum ad ipsius contactū confessione præmissā, à va-  
 riis morborū cladibus plurimi liberabātur. Perse-  
 uerat vsq; hodie fons ibi perspicuus: & in honore  
 B. Francisci ibidem Oratorium est constructum.

In Hispaniā apud S. Facundum, viri cuiusdam  
 cerasum arefactam, ad virorem frondium, florū, &  
 fructuum contra spem mirabiliter renouauit. In-  
 colas quoque terræ apud Vilefios, à vermū peste  
 corrodentū vineas circūquaq; miraculoso suffra-  
 gio liberauit. Sacerdotis cuiusdā iuxta Palentiam,  
 horreum quoddam, quod vermibus frumentariis  
 reple-

† al. flicem

Fons diuinus  
tuis datus.A multis mor-  
bis in olas  
aqua ista san-  
nat.

2.

Vineas facit  
indennes &  
bestias.



repleri quolibet anno solitū erat, sibi fideliter com-  
mendatū penitus expurgauit. Terram quoque do-  
mini cuiusdā de Petrā malā in regno Apuliæ, sibi  
suppliciter commendatam, ab odiosā peste bruto-  
rū penitus seruauit indemnem: cū tamen in cir-  
cuitu omnia essent prædictā pestilentia deorata,

3. Vir quidam Martinus nomine, cū longè à ca-  
stro suo boues minasset ad pascua; crus vnus bo-  
uis, casu quodam sic fuit desperatè confractum, vt  
nihil esset sibi de remedio aliquo cogitandum.  
Dum autem pro decoratione foret sollicitus, &  
instrumentum, cum quo id faceret, non haberet:  
domum reuersus, B. Francisco bouis curam reli-  
quit, ipsumque fideli Sancti custodiae fiducialiter  
commendauit, ne ante suū reditum deoraretur à  
lupis. Summo itaque manè ad bouem in siluā re-  
lictum, cum excoriatore reuersus: pascentē ipsum  
ita reinuēnit incolumem, quòd nequaquam crus  
fractū ab altero discernebat. Gratias egit bono pa-  
stori, qui diligentem de boue suo curam habuit,  
& medelā donauit. Succurrere nouit humilis San-  
ctus omnibus inuocantibus ipsum: nec quantum-  
cunque paruas necessitates hominum dedignatur.  
Nam viro cuidam de Amiterno, iumentū restituit  
furto sublatū. Mulieri cuidam de Interduco cati-  
num nouū in multas partes casu diuisum, integrè  
reparauit. Viro etiam cuidam de monte Vlmi in  
Marchiā, cōsolidauit vomerē in frusta cōfractum.

4. In Sabinensi dicecesi, vetula quædam octogena-  
ria erat; cuius filia moriens, lactentem infantulum  
dereliquit. Cū igitur anus paupercola, plena ef-  
set inopiā, & vacua lacte; nullaq; esset mulier, quæ  
sitienti paruulo lactis stillicidiū, iuxta quòd exige-  
bat necessitas, erogaret: quò se verteret vetula pe-  
nitus ignorabat. Debilitato verò infantulo, nocte  
quadam

*Iumenta  
custodit.*

*Vberibus ari-  
dis lac dedit.*

quadam omni humano destituta subsidio: ad beati Patris Francisci auxilium implorandū, lacrymarum imbre perfusa, totā se mente cōuertit. Adfuit statim innocētis amator ætatis: Ego, inquit, sum Franciscus, ô mulier, quem cū tantis lacrymis inuocasti. Pone, ait, mamas tuas in ore pueri: quoniam abundanter tibi lac Dominus dabit. Impleuit anus Sancti mandatum: & statim octogenariæ mammæ lactis copiam effuderūt. Innotuit omnibus mirabile sancti donū: multis tam viris, quàm mulieribus accelerantibus ad videndum. Et quia quod testabatur oculi, lingua impugnare non poterat: excitabantur omnes ad laudandum Deum, in Sancti sui virtute mirabili, & amabili pietate.

Apud Spoletum, vir & vxor vnicum habentes filium, quotidie illum velut hereditarium opprobriū deplorabant. Brachius siquidem collo connexis, iunctisque genibus pectori, & pedibus natibus alligatis; non hominis proles, sed monstrum quoddam potius videbatur. vehementiori mulier ex hoc afflicta dolore, crebris gemitibus clamabat ad Christum, S. Francisci auxiliū inuocando: vt infelici sibi, & in tali opprobrio constitutæ, succurrere dignaretur. Nocte igitur quadā, cū propter huiusmodi tristitiā, tristis eam somnus arriperet; apparuit ei S. Franciscus, piis eam affatibus mulcens: insuper & suadens, quod ad locum propinquū suo nomini dedicatū, deferret puerum; vt ex aquā putei loci illius, in nomine Domini superfusus, plenam reciperet sospitatem. Negligente autem illā Sancti adimplere mandatū, secundò replicauit id ipsum. Tertio quoque apparens, mulierem cum puero vsq; ad ianuam dicti loci, præambulo ductu perduxit. Superuenientes autem nobiles quædam matronæ deuotionis causā ad prædictum locum,

f.  
Puerū mon-  
strosum refi-  
cuit valeudis-  
ni, & forma  
naturali.

cum, eis à muliere præfatâ diligenter expositâ visione, vnâ cum ipsâ puerû fratribus præsentârunt: & haurientes aquam de puteo, earû nobilior propriis manibus lauit infanté. Statim puer omnibus membris ad sua loca productis, sanus apparuit: & magnitudo miraculi, omnib. admirationé induxit:

6. *Nouitiû fra-  
tri à paralyfi  
curat &  
amentia.* Apud Segusiam iuuenis quidam de Riparolio, Vbertinus nomine, Ordinem Fratrum Minorum ingressus; nouitiatus sui tēpore, horridi cuiusdam perturbatione pauoris incurrit amentiam: totiusq; dextræ partis paralyfis morbo grauissimo, auditû & linguam cū motu amisit & sensu. Cū autē sic miserabilis, non sine Fratrum multâ mœstitiâ per plures dies in lectulo decubasset: B. Francisci sollemnitas superuēnit. in cuius vigiliâ, concesso sibi aliquo lucido interuallo, piû Patrem licet voce informi, corde tamē fideli, prout poterat, inuocabat. Horâ verò matutinali, fratribus omnibus in Ecclesiâ laudibus diuinis intentis; ecce B. Pater, habitu fratrum indutus, in infirmariæ loco, præfato nouitio astitit, lumenq; non modicū in habitaculo illo refulsit. Et extensam manû super dextrû illius latus, à capite ad vsque pedes suauiter contingendo deducens, digitos in auriculas misit: quodamq; in dextro humero impresso caractere, hoc tibi, ait, signû erit, quod Deus per me, cuius exemplo ductus Religionem intraisti; plenè te restituit sanitati. Chordâq; illû succingēs, quia sine chordâ iacebat, dixit ad eû; Surgens Ecclesiâ intra: vt laudes Deo debitas, cū fratribus deuotus exsoluas. Quibus dictis, cū puer ipsum manibus vellet contingere, & pedû eius deosculari vestigia, vt gratias ageret: ab eius ad spectu B. Pater abcessit. Et iuuenis recuperatâ sanitate corporis, cum rationis industriâ, viuacitate sensu & loquelâ, Ecclesiam ingressus, cum

cum multâ fratrum & secularium admiratione, qui tunc aderant, & iuuenem paralyticum viderant & amentem, laudibus diuinis interfuit. & per ordinem narrato miraculo, multos ad Christi & B. Francisci deuotionem accendit.

In castro Chore Ostiensis dicecesis, vir quidam sic crus ex toto perdidit, vt nullo modo progredi, vel mouere se posset. Positus itaque in angustiâ vehementi, & auxilio desperatus humano: cœpit nocte quadam, ac si præsentem cerneret B. Franciscum, talem coram eo assumere materiam querulandi; Adiuua me S. Francisce, recolens meum seruitium, & deuotionem tibi impensam. Nam in asino meo te portavi, sanctos pedes tuos, & sanctas manus tuas osculatus fui; semper tibi deuotus, semper beneuolus extiti: & ecce morior doloris huius durissimo cruciatu. His pulsatus querelis, statim adfuit beneficiorum memor, & deuotioni gratus: & vigilanti viro cum vno fratre apparuit. Ad vocationem eius se venisse dixit, & tulisse remedia sanitatis. Tetigit locum doloris cum baculo paruulo, qui figuram Thau in se habebat: & fracto mox apostemate, perfectam tribuit sanitatem. & quod mirabilius est, sacrum signum Thau impressum super locum sanati vlceris, ad miraculi memoriam dereliquit. Hoc signo S. Franciscus suas consignabat litteras, quoties caritatis causâ scriptum aliquod dirigebat.

SE D ecce, dum per diuersa miracula gloriosi patris Francisci, mens narrationis varietate distracta decurrat, promerente ipso Crucis glorioso signifero, in signum salutis Thau, non sine diuinâ directione peruenit: vt ex hoc possimus aduertere, quod sicut crux militanti post Christum, fuit sublimitas meriti ad salutem: sic & triumphanti cum Christo, facta

7.

*In se collata  
beneficia cõ-  
pensat.*

*Apostemata  
sanat signo  
Thau ma-  
nente.*

facta est firmitas testimonij ad honorē. Hoc quippe crucis mysterium magnum & mirū, in quo charismata gratiarum, & merita virtutū, & thesauri sapientiæ & scientiæ tam altâ profunditate velatur;

<sup>Mat. II. 25.</sup>

vt à mundi sapientibus & prudentibus sit occultum: tam plenè fuit huic Christi paruulo reuelatum; vt omnis vita ipsius, non nisi crucis vestigia sequeretur, non nisi crucis dulcedinē saperet, non nisi crucis gloriā prædicaret. Verè namque in suæ conuersionis principio dicere cum Apostolo potuit;

<sup>Gal. 6. 14.</sup>

*Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi:* Non minùs etiam verè in conuersionis progressu addere valuit;

<sup>Indid. 16.</sup>

*Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia.* Verissimè autem in consummatione potuit subinferre;

<sup>Ibid. 17.</sup>

*Stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Sed & illud nos quotidie desideramus ab ipso audire;

<sup>Ibid. 18.</sup>

*Gratia Domini nostri Iesu Christi, cum spiritu vestro fratres, Amen.*

<sup>Epilogus ad</sup>

<sup>S. Francisci.</sup>

GLORIARE igitur iam securè in Crucis gloriā, Christi signifer gloriose: quoniā à cruce incipiens, secundum Crucis regulā processisti: & tandem in cruce perficiens, per crucis testimonium, quantæ gloriæ sis in cælo, cunctis fidelibus innotescit. Securè iam te sequantur, qui exeūt ex Ægypto: quia per baculum Crucis Christi, mari diuiso, deserta transibūt, in repromissam viuentiū terram; Iordane mortalitatis transmissa, per ipsius Crucis mirandam potentiā ingressuri. Quò nos introducat verus populi ductor, & Saluator Iesus Christus crucifixus, per merita serui sui Francisci. Ad laudem & gloriā vnus Dei & trini, qui viuit & regnat in secula sæculorum. AMEN.

S.D.N.

## S. D. N. GREGORII PAPÆ IX.

DIPLOMA,

Quo B. P. Franciscum adscribit catalogo  
Sanctorum.

Per. Ra.  
dul. 1.  
Hilfor.  
Seraph.  
Religio-  
nia.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei,  
venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Epi-  
scopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus,  
Archipresbyteris, Archidiaconis, Decanis,  
& aliis Ecclesiarum Prælati, ad quos litteræ  
istæ peruenerint, Salutem & Apostolicam  
benedictionem.

Apoc.  
1.8.



**S**icut phialæ aureæ, quas vidit  
Ioannes plenas odoramentorum,  
quæ sunt orationes Sanctorum  
in conspectu Altissimi, ad abolen-  
dam nostrorū criminum corrupte-  
lam, odorem suauitatis emittunt: ita salutem nostræ  
credimus plurimum expedire, si eorum in terris ce-  
lebrem habeamus memoriam, ipsorum merita sol-  
lemnibus recolentes præconiis, quorum in celis sper-  
ramus intercessionibus assiduis adiuuari. Sanè  
cùm de conuersatione, vitâ & meritis beati Fran-  
cisci, institutoris, & rectoris Ordinis fratrum Mi-  
norum, (qui iuxta consilium Saluatoris, contentis  
transitorius, secundum promissionem eiusdem, ad  
caelestia præmia feliciter, & æterna peruēnit; cuius  
vita, & fama præclara peccatorum depulsâ caligi-  
ne, ambulantes in regione umbræ mortis, de vitio-  
rum tenebris, ad pœnitentiæ viam vocans, quorum  
tam virorum quàm mulierum, ad fidem Ecclesiæ  
roborandam, & confutandam hereticam prauita-  
tem, vixit & adhuc viget non modica multitudo)

Mat. 19.  
13.

L

tam

iam per vos, quàm per multos alios fide dignos, què  
 miracula, quæ Deus per illius sancti viri merita  
 operatur, plenius cognouerunt, certiores effecti, au-  
 ditis etiam eius viriutibus, & miraculorum insi-  
 gnitis, & quòd inter carnales spiritualiter, & inter  
 homines etiam conuersationem angelicam habuis-  
 set: ipsum, qui cum Christo corporaliter meruit esse  
 in caelestibus, (ne ipsius honori debito, & gloria de-  
 trahere videremur quodammodo, si glorificatum à  
 Domino permitteremus ulterius, humana deu-  
 otione priuari) de fratrum nostrorum consilio, &  
 Prælatorum omnium, qui tunc temporis apud Se-  
 dem Apostolicam consiscebant, Sanctorum catalo-  
 go duximus ascribendum. Cùm igitur eius <sup>Mar. 5.</sup> lucer-  
 na sic arserit hactenus in hoc mundo, quòd per Dei <sup>16.1</sup>  
 gratiam, iam non sub modio, sed super candelabrum  
 meruit collocari: vniuersitatem vestram rogamus,  
 monemus, & attentius hortamur, per Apostolica  
 vobis scripta mandâtes, quatenus deuotionem fide-  
 lium, ad venerationem ipsius salubriter excitantes,  
 festiuitatē eiusdem, quarto Nonas Octobris, annis  
 singulis excolatis, & pronuntietis constituto die spe-  
 cialiter excolendam: ut eius precibus Dominus ex-  
 oratus, suam nobis tribuat gratiam in presenti, &  
 gloriam in futuro. Datum Laterani, secūdo Nonas  
 Maij, Pontificatus nostri anno quarto.

F. HEN-

F. HENRICI SEDVLI  
 Ordinis Minorum,  
 COMMENTARIUS  
 AD VITAM S. FRANCISCI.



VNC addere visum, ad historia lu- Causa hu-  
ius operis.  
 cem. tum etiam quia Sanctus Bona-  
 uentura precipua, non omnia eius  
 acta perscripsit. Multum egerunt  
 qui ante nos fuerunt, sed non per-  
 egerunt. Nec ego quoque, siue quis alius, etsi maxi-  
 me conemur, omnia poterimus complecti, & absol-  
 uere numeris suis. Multum adhuc restat operis,  
 multumque restabit: nec vlli nato post mille  
 secula praecludetur occasio aliquid adhuc ad-  
 iiciendi. Quae igitur potui, exempla & dicta vn-  
 dique conquestui, a Scriptoribus praesens, nouis, pro- Cito scri-  
ptoris ver-  
ba, nec  
miso.  
 batis: quorum salutaria monita transscripsi ad ver-  
 bum, nihil immutans: (nisi cum ipsa oratio con-  
 structione verborum fuerit conformanda.) ne mi-  
 nimum a sensu eorum aberrem. Sed nec mea im-  
 portunè obrudo. Nam vnumquemque fallunt  
 sua scripta, & auctorem praetereunt, atque vt fi-  
 lij etiam deformes delectant, sic etiam scripto-  
 rem indecores sermones sui palpant. Ab hoc vi-  
 tio ego liber, quotiens non mea, sed ipsa eadem pono  
 verba bonorum auctorum. Itaque in oblationibus  
 quod fieri vides, imitamur. Ab aliis istis viris ele-  
 ganter & ornate dicta, velut à diuitibus splendida  
 & magnifica accipimus dona: nec ideo tamen impe-  
 ritiorum salubria documenta, tamquam pauperum  
 manuscula fastidimus. pretiosiora plerumque haec

Sen. ep.  
65.

Indide.

S. Amb.  
epist. ad  
Sab. n.  
40.



ab affectu, & gratiora. Nec raro magis nos obligat, qui dant parua magnifice, & facili manu, quam qui plena. Non quanta quæque sunt, sed à quali dentur perspiciendum. Animus est qui parua extollit, sordida illustrat, magna etiam & in pretio habita dehonestat. *Omnia mihi grata quæ erudiant, inuent, & currenti subdāt calcar ad pietatem & sapientiam. Ceterum quod ab aliis didici, non celo, more prauæ mulieris partus nothos supponentis: sed ut mutuū, sic reddo singula, nec quidquam dissimulans à quibus acceperim. Est enim benignum, & plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris. Atque id quidem hoc consilio, ut dictis indubitata fides habeatur. Sanè multum interest, & maximè refert, à quâ manu telum veniat, à quo auctore sententia. Maior auctoritas dictis adest, cum probatorum testimoniis confirmatur.*

*Sed cum presentiam, ut hic labor noster, temporum hac liber à licentiâ, in varia iudicia incurrat: te præmoneo, benigne lector, F. Barptolomæum Pisanum Minoritam S. Theologiae Doctorem, plus nobis contulisse quàm ceteri omnes. Scripsit anno salutis millesimo, trecentesimo, nonagesimo nono Librum Conformitatum vitæ S. Francisci ad vitam Iesu Christi Domini nostri, ad Ministrum Generalem, & Ordinis Seraphici conuentum celebratum Assis: à quibus accuratè & diligenter examinatus est, & adprobatus. Florebat eâ tempestate Seraphicus Ordo frequentia magnorum virorum, summa eruditione, Theologorum auctoritate, à quibus profectò nisi certum & comprobatum potuit in lucem dari. Is scripsit imperitus sermone, sed non scientiâ. Scio nonnullos virgula censoriâ arreptâ, Scriptores omnes mittere in iudicium, plerosque damnare: quos non sequar ego.*

Omnes

Et fonte  
monstro  
quibus  
hausit.

Barptolomæus  
Pisanus  
bonus au-  
tor.

Sen. 2.  
de ben.  
c. 9.  
Indid.  
c. 6.

Plin.  
Sec. ad  
Vespas.

1. Cor.  
11. 6.

*Omnes suspicio, colo, & assurgo nominibus illorum.*

Ex Hier. prol. gal. lea. *Boni viri! in templum Dei offert vnusquisque quod potest: vos aurum, argentū, nitidos vniones?*

*Illi secum bene actū putant, si caprarū pilos & pelles, vt Solis ardorem, & imbrium iniuriam, quæ sunt viliora prohibeant, sine quibus tamen ipsa Tabernaculi pulchritudo constare non potest. Vidit*

Luc. 12. *Christus Saluator viduam pauperulā mittentem in gazophilaciū æra minuta duo: & Christo iudice vidua hæc pauper plus quàm omnes*

Sen. 1. de ben. cap. 6. *misit. Quia beneficium non in eo quod fit aut datur, consistit, sed in ipso dantis aut facientis animo. Sicut nec in victimis quidem, licet optimæ sint, auroque præfulgeant, deorum est honos, sed piâ ac rectâ voluntate venerantium.*

*Itaque boni etiam farre ac fictili religiosi sunt:*

*& isti sermone inculto, docti, pi, viles esse possunt.*

Aug. 4. Doct. Christ. 6. 11. *Quid prodest aurea clavis, si aperire quod volumus non potest? aut quid obest lignea, si hoc potest? quâdo nihil quærimus nisi patere quod clausum est. Eò hæc dicta, vt Pisani nostri liber iste, vt apud vanos & viles, apud te non vileat.*

*Denique, libenter agnosco, & verè fateor, his, quamuis laboriosè collectis, & scriptis, tamen in multis me potuisse errare, memor imbecillitatis humanæ. Quamobrem in omnibus desidero, non modo benignum lectorem, verum etiam liberū cor-*

Idē prolog. in lib. 2. de Trin. *rectorem, imò & reprehensorem, qui formidandus non est amatori veritatis. & lubens audiam qui me conuincat, vt ego errorem meum. Securus igitur propositum exsequar, si præmisero pauca*

*Correctorem opto & amo.*

## De seculo &amp; aetate S. Francisci.

SANCTVS Bonaventura (ordiar à nomine bono.) spectata sanctitate, scientiâ diuinâ clarissimus Antistes, tradit beatum Franciscum discessisse biennio ab impressione stigmatum: anno videlicet à suâ conuersione vigesimo: Dominice incarnationis millesimo, ducentesimo, vigesimo sexto, quarto Nonas Octobris. Scribit etiam Vincentius Belluacensis S. Francisco coetaneus; vsque ad annum aetatis suæ fere vigesimū quintum, in via perditionis incessisse. Adde illi viginti annos, quos ad frugem correctus exegit: conficitur eius vitæ totius annos fuisse quadragintaquatuor, attingisse quadragesimum quintum aetatis annum. Suffragatur S. Antoninus his verbis: Anno Domini millesimo, ducentesimo, vigesimo sexto, quarto Nonas Octobris, Pontificatus domini Honorij Tertij anno vndecimo, aetatis verò suæ quadragesimo quinto, à primâ suâ ad Deum conuersione anno vigesimo, ab institutione Religionis decimo octauo, ex quo scilicet cœpit habere fratres, post diutinam infirmitatem & grauissimos dolores, ex hoc seculo migravit. Itaque de illius aetate constat. Cùm autem abierit è vitâ anno Domini vigesimo sexto supra millesimum ducentesimum: subductis colligo calculis, natum anno Christi millesimo centesimo octogesimo secundo, qui fuit trigessimus Imperij Frederici Primi Anobarbi. (Barbarossam vocant.) cùm (auctore Palmerio) Lucius Tertius Pontifex Romanus deligeretur. Vidi adiculam Assisij Diuo Francisco sacram; aiunt stabulum fuisse, in quo natus sit. Et tu si consideras totius vitæ decursum, Angelum habentem signum Dei vini, mortem:

verum

Discessit  
xv. aetatis  
anno.

An. 1000.  
elxxxij.  
natus.

De vita  
S. Franc.  
c. 14. § 3  
cap. 15.  
§ 5.

spe. hist.  
lib. 10.  
c. 97. &  
Anton.  
h. st. par.  
3. tit. 14.  
c. 2.

Ind. d. c.  
7. § 6.

Lib. 11.  
Anthro-  
pol.

verum esse fateberis quod in Elogio è Volaterrano  
produxi, Conferuatoris nostri ferè per omnia  
typum gessisse.

## De forma corporis.

ANTE prologum sancti Bonauentura posuit  
imaginem D. Francisci, à Gallis nostris Antuer-  
piæ eleganter æri incisam, ad exemplar illius, quam  
Petrus Rodulphius quondam Generali Ordinis Se-  
raphici à Secretis, ex picturâ Margaritoni Areti-  
ni, S. Francisci seculo pictoris artificiosissimi, ad  
vium expressâ, inseruit suo prima libro historia-  
rum Seraphicæ Religionis: ex quâ utcumque agno-  
sces quæ eius facies fuerit & forma. Certè non pul-  
cher fuit: sed deformior vultu, & corpore toto. At  
testatur Bartholomæus Pisanus, qui alibi eius sta-  
turam, membrorum omnium compositionem, ser-  
monem, mores vniuersos, depingit hoc verborum  
peniculo: Beatus Frâciscus pater noster, erat ho-  
mo faciendissimus, facie hilaris, vultu benignus,  
ignauitæ & insolentitæ expers. Statura medio-  
cris, paruitati vicinior. Caput mediocre, ac ro-  
tundum. Facies utcumque oblonga & protensa.  
Frons plana & parua. Mediocres oculi, nigri, &  
simplices. Fusci capilli. Supercilia recta. Nasus  
æqualis, subtilis & rectus. Aures erectæ, sed par-  
uæ. Lingua placabilis, ignea & acuta. Vox ve-  
hemens, dulcis, clara & sonora. Dentes coniu-  
cti, æquales, albi. Barba nigra, pilis non plenè  
respersa. Collum subtile. Humeri recti. Parua  
brachia. Tenuis manus. Digni longi. Crura  
subtilia. Paruuli pedes. Tenuis cutis. Caro pau-  
cissima. Aspera vestis. Somnus breuissimus.  
Manus largissima. Et quia erat humilimus:  
omnem mansuetudinem ostendebat ad om-

Deformi  
vultu &  
corpore  
S. Franc.Confor.  
fruc. 8.Confor.  
fruc. 10.

Tit. 3. 2.

nes homines, omnium moribus utiliter se conformans. Sanctior inter Sanctos: inter peccatores quasi vnus ex illis. *Vulnera sanguinolenta in manibus & pedibus; atque in vulnere medio clavos, in superiore manuum parte, acumine quasi repersus, & reflexa cuspidem; quod Margaritoni imago non habet, cur auimus adpingi. Istius modi fuisse sacrorum stigmatum formam, Deo bene iuuante commonstrabimus in Notis ad Cap. xij.*

In §. 2.

### In Prologum.

§. 2. Vidi alterum Angelum ascendentem <sup>Apoc. 7.</sup> ab ortu solis habentem signum Dei viui. <sup>2.</sup> *Elogia in sanctum Franciscum ab hac Euangelista predictione sum auspicatus; quam de eo intelligendam probavi. Quod si quis neget, non laboro, non contendo: sed tamen si consideret, animus liber, & a contentione vacuus, S. Bonaventurae (cuius apud pios magnum nomen, & auctoritas) verba, & diligenter inspiciat; Hunc Dei nuncium fuisse Franciscum, indubitabili fide colligimus: non valde, nisi me fallit opinio, refragabitur. At de his satis superque dictum in Elogio.*

*Signo penitentialis crucis.] Sic restituo ex manuscripto Louaniensi, & aliis veteribus libris. Consentit exemplar Typographiae Vaticanae, quod tamen postquam haec scripsissem inspexi; ad quod etiam totum hunc librum diligentissime recensui. Aloisius Episcopus Veronensis, Surius, & alij plerique legunt praesentialis, sed corrupte. Notum est, nihil tam familiare ac frequens, siue etiam praesens fuisse. Priscis Christianis, quam usum signi viuifica Crucis. Audi Tertullianum. Ad omnem pro-*

*Crucis si  
gnaculum  
constituit  
in Chri-  
stianis.*

*gressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lauacra,*

ad.

ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia: quacunque nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. *Item beatū Hieronymum ad Demetriadem.* Frontem tuam crebro signaculo crucis munias: ne exterminator Ægypti in te locum reperiatur. *Rursus alicubi.* Thau crucis figuram referebat in antiquis litteris: quæ in Christianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inscriptione signatur. *Addo Orientalis Ecclesie nobilem Catechistam, Cyrillum Hierosolymorum Episcopū.* Non pudeat nos crucifixum confiteri: sed in fronte confidenter signaculum crucis, digitis imprimatur, & in aliis omnibus crux fiat. In panibus comedendis, & in poculis bibendis, & in egressu & ingressu, ante somnū, recumbendo, & surgendo, eundo, & quiescendo. Magna est hæc custodia, quæ propter pauperes gratis datur, sine labore propter infirmos: cum à Deo sit hæc gratia, signum fidelium, & timor dæmonum. *Gregorius Nazianz. refert Iulianum Imperatorem his moribus sic assueuisse, ut licet iam desertor & apostata, atque etiam dæmones inuocaret in obscurâ specu, cum illum subito terrores ex igneis spectris adorirentur: tamen ritu Christiano, contra metum, signo crucis frontē communierit. Vides initio Ecclesie nascentis, piis nihil familiarius fuisse: placet tamen nostra lectio præ illâ, quam ipse textus præfert, confirmat sententiam meam S. Dionysij Areopagiti & Theologia, qui docet signum Crucis esse typum penitentiae, his verbis: Signi vitalis impressio, omnium simul carnalium desideriorum vacationem, vitamq; ad Dei imitationē effectam signat. Item paullo post: Crucis sanctæ signaculū, ut iam dictū est, mortificationem omnium simul carnalium cupiditatum signat.*

Epist. 8.  
66.

In cap. 9  
Ezech.

Catech.  
23.

Orat. 1.  
con. Iu-  
lian.  
Theodo-  
ret. 3.  
Ecc. hi-  
stor. 3.  
Suzo. 5.  
Ec. hist. 2

De Ec-  
cl. hier.  
c. 5. par.  
5.

Cap. 6.  
par. 3.

Magna  
custodia  
& dæmo-  
niū tmgr.

Typus est  
peniten-  
tiæ.

## IN CAPVT I.

§. 1. Vir erat in ciuitate Assisij. ] *Petrus Rodulphius opinatur dictum Assisium, quia assidet extremis radicibus montis Subasi. vnde quidam carmine cecinit:*

Hanc, quoniã montis radicibus assidet imis, Assisium prisca Latio sermone vocarant.

*In idem, sed tamen paullo aliter Raphael Volaterranus; Assisium, & Assinates incolæ, Plinio, Ptolomæo: clarum D. Francisco, eiusque templo, nullã materiã constructo. Huic mons imminet Assis, qui opido nomen dedit. Situm in Umbriae parte, quam vocant Vallem Spoletanam, siue maus Spoletinam. Quod Volaterranus scribit, templum nullã materia constructũ. & reperit alibi, Templum D. Francisco nobile dicatum, sine vllã materiã: scito affectatiuæculam esse antiquitatis, aut proprietatis in verbo: & materiam non communiter, sed de solo ligno signatè intelligi.*

2. Promisit Domino Deo, quod numquam petentibus pro amore Domini, se negaret. ] *Robertus Bellarminus Societatis Iesu, sacra militiæ nostræ princeps; B. Franciscus hoc donũ à Deo acceperat, vt omni petenti propter Deum, aliquid daret. Et certè videmus Deum non solum maximis diuitiis spiritualibus (nam tẽporales non recipiebat.) viuum & mortuum auxisse: sed & modò tam ingentem eius familiam, tot millium religiosorum, tot annis, sine vllis redditibus viuentium, semper aluisse.*

6. Solitaria loca quærebat amica mæroribus. ] *S. Augustin. Solitudo mihi ad negotium flendi aptior suggerebatur. Solitary, & monasticæ vitæ cultores, bonum otium securitiæ & desidiã*

*Solitaria  
& monastice  
vitæ cultores  
l. 11.*

2019

Li. 1. h. 7.  
Ser. relig.

Franc.  
Mau. 1.  
Francis.

Lib. 6.  
Geogra.  
vbi de  
Vn. b. it.

Lib. 11.  
An. hab.  
pol.

Scim. in  
Dom. 1.  
Quadr.  
habito  
Louan.

l. 8. c. 66.  
c. 11. 10.

*non conterunt. quod nonnulli calumniantur. quorum tamē calumniis leui manu absterget ipse Scipio, quem dicere solitū scripsit Cato, numquam se minus otiosum esse, quā cum otiosus. nec minus solum, quā cum solus esset. magna verò vox, & magno viro, & sapiente digna: quæ declarat illum & in otio de negotiis cogitare, & in solitudine secum loqui solitum.*

*S. Hieronymus. Sapiens numquam solus esse potest. & si hominum inopia fuerit, loquitur cum Deo, numquam minus solus, quā cum solus fuerit. D. Gregorius Nazianz. felicem statim monasticis, pulchris verbis describit, quæ visum est ascribere. Nihil mihi fortunatius eo homine esse videtur, qui clausis, compressisq; corporis sensibus, atque extra carnem, mundumq; positus, in seque collectus, nec nisi summā necessitate impellente, quidquam humanarum rerum attingens; atque & secum in se, & cum Deo colloquens, superiorē rebus in adspēctum cadentibus, vitam agit, diuināsq; species & imagines puras semper, nec vllis terrenis & errabundis formis permixtas in seipso circūfert; ac Dei rerumq; diuinarum purum omnino speculum est, indiesq; efficitur, luci que lucem, obscuriori videlicet clariorem adiungit; ac iam futuri æui bono fruitur, & cum Angelis versatur; & licet adhuc in terris agens, terram deserit, atque à spiritu in cælo collocatur. Si quis vestrum hoc amore correptus tenetur, quid dicā intelligit; atque adfectui ei, in quem tum incidi facilè ignoscet. Nam apud plerosque mortalium ne fidem quidem fortasse oratio hæc nostra inuenit: qui risui etiam ac ludibrio rem eam habere videntur, malè vtique perniciosèque ad-*

*fecti.*

*Que ta-  
men im-  
moris  
cōtinetur.*



fecti. siue hoc propriæ eorum singulari; stultitiæ tribuendum sit; siue illis adscribendū, qui minimè parem, consentaneamq; muneri, quod profitentur, vitam adferunt. quorum improbitate tandem effectum est, vt egregiè rei nomen turpe imponatur. hoc est, vt philosophia vanitatis inanisque gloriæ nomine adpelletur, accedente videlicet inuidiâ, vulgiq; malitiâ semper in peius procliuiore. *hætenus Nazianz.*

Sacerdotibus etiam pauperibus reuerenter subueniebat. ] *Vult S. Franciscus fratres suos honorare præcipuâ reuerentiâ Sacerdotes: quod etiam grauitèr cauit suo testamento. Sed quantum honorem illis voluerit haberi, prorsus dignū vt referam*

*Sacerdotibus honorabilioribus ipsi Sanctis.*

*ex S. Antonino. Sacerdotalibus manib<sup>9</sup>, quibus conficiendi Dominici corporis sacramentum, est collata potestas, magnam volebat reuerentiam exhiberi. vnde sæpe dicebat: Si sancto venienti de cælo, & pauperculo sacerdoti me cõtingeret obuiare: ad sacerdotis manus deosculandas me citiùs conferrem, & Sancto dicerem; Exspecta me Sancte: quia manus huiusmodi verbum vitæ contrectant, & ultra humanum aliquid possident. Pij & Christiani summo honore semper Sacerdotes habuere, sine quibus esse nequeunt Christiani: de quibus sinistri aliquid dicere, crimen erat. Audi Pontificem Anterum grauißimè monentem; Absit vt quicquam sinistrum de his loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore cõficiunt: per quos nos etiam Christiani sumus. qui clauis regni cælorum habentes, ante iudicij diem iudicant.* *Epist. Decretali. ex quâ D. Hieronym. ep. 1. ad Heliodorum. cap. 7.*

*hist. par. 3. tit. 24. c. 2. §. 2.*

*Tom. 1. Conc.*

IN

## IN CAPVT II.

De perfectâ conuersione eius.] *Correctum* A conuer-  
fionis in-  
tio quid  
egerit toto  
biennio.  
ostendi ad meliorem frugem annam atatis circiter  
vigefimum quinctum. At quâ deinceps ratione vi-  
tam instituerit, ex sociorum S. Francisci historia

Confor.  
fruc. 8.

recenset Bartholomæus Pisanus, Vilem habitum  
eremiticum per duos annos gestauit, baculum  
portans in manibus. cinctus corrigiâ, calceatus  
incedens. accipiens elemofynas, specialiter pro  
reparatione trium Ecclesiarum, quas istis duo-  
bus annis reparauit: videlicet S. Damiani, S. Pe-  
tri Apostoli, & S. Mariæ de Angelis. S. Antoni-  
nus hæc scribens, etiam tempus significat, quo hæc  
facta sunt; Incepit vitam istam anno Domini  
millesimo ducentesimo sexto, Pontificatus  
D. Innocentij Tertij anno decimoquarto. Ita-  
que videtur mihi equidem, S. Pater fecisse ea, hoc  
biennio, quæ narrat S. Bonauentura cap. 2.

Histor.  
par. 3.  
tit. 14.  
c. 7.

§. I. Doctorem non habebat aliquem.] Cul-  
tum & vestitum eius fuisse, quem supra ex Pisano  
indicaui, etiam testatur S. Bonauentura, referens

Cap. 3.  
§. 1.

lecto Euangelio soluisse calceamēta de pedibus,  
deposuisse baculum, reiectâ corrigiâ, pro cin-  
gulo funem sumisse. hinc nata opinio, S. Fran-  
ciscum initio conuersionis operam dedisse instituto

Opinatur  
quidam  
operam  
dedisse in-  
stituto S.  
August.

De in-  
uentor.  
r. 1. 7.  
cap. 4.

D. Augustini. Polydorus Vergilius; Franciscus  
humanitatis plenus, à principio, Aurelij Augu-  
stini (vt quidam scribunt) regulâ professus, cal-  
ceatus, zonâque scorteâ cinctus, aliquamdiu  
conspectus est. Scribant hoc quoque Iacobus Ber-  
gomensis Augustinianus, & Antonius Sabellicus.

Al. 13.  
sup. hist.  
ad. ann.  
1208.  
¶ Ennc.  
9. lib. 6.

Et quidem Bergomensis in Supplemento etiam ad-  
dit, Religionis habitu, à B. Ioanne bono, eremi-  
tâ suscepto: vt eius chirographo constat. Hoc s̄

verum

verum est: eo nomine, D. Augustino, sanctissimoque eius instituto, & gratias agimus, & caritatis vinculo artius confœderamur. Sed hæc opinio manifestis argumentis refellitur à Petro Rodulphio. Primum, quod Iordanus Saxo Eremita Augustinianus, suorum gesta conscribens, subdubitare videtur, fueritne isse Ioannes Bonus sectator Instituti Augustiniani. Adde his, S. Antoninum, cum Ioannis Boni vitam scribit, nullam instituti facere mentionem. Deinde altera ratio ab ipso S. Francisco habetur, qui disertis verbis scribit in Testamento suo; Nemo ostendebat mihi quid deberem facere: sed ipse Altissimus reuelavit mihi, quod ego deberem viuere secundum formam S. Euangelij. quibus si iungas S. Bonauenturam sic scribentem, Seruus Altissimi doctorem non habebat aliquem in huiusmodi, nisi Christum. ubi de eius initio conuersionis perfecta agit, opinio illa satis improbata videtur.

De formâ vestitus S. Francisci, & Ordinis Seraphici hic oportune & paucis differendum. Habitus S. Francisci qualis initio conuersionis eius fuerit, dictum est: at verò qualis fuerit post biennium, cum Euangelio audito, calceamenta, baculum, corrigiam posuit, non mihi planè compertum. Vidi capitium eius, quod Assisij ostenditur in aede S. Georgij, (ubi monasterium Sororũ S. Clare) quadratâ prope formâ, parum per acuminatum. Aiunt Florentia in Heururia ostendi aliud eiusdem, longum & valde acuminatum, quale referunt etiam antiqua pictura & Romæ in monasterio S. Francisci, & plerisque aliis locis. quam formam patres Capuccini resumpserunt. Ex reatu sociorum S. Francisci, Bartholomeus Pisanus commemorat, sanctum Patrem voluisse fratres suos vti capitio quadro, tanta longitu-

Forma  
vestis S.  
Francisci,  
qualis ab  
initio.

Lib. 1.  
Hist. Seraphic.  
l. 8.

Hic par.  
3. tit. 24.  
cap. 13.

cap. 51

Cap.  
in vi  
S. B.  
uic  
Lib.  
histo  
Ser.  
reliq.

Lib.  
Anti

\* Cor  
Tid  
Sefl.  
c. 6.  
refo

\* Re  
cap.

\* T  
29.

\* C&for.  
fructu.

gitudinis ut faciem operire posset. Notandum vero est quod scribit Petrus Galestinus, sanctum Bona-

uenturam Fratrum qui antea capite aperto, capillisque promissis ac sparsim defluentibus, rituque pastorum incedebant, vestitui cuculliam

addidisse. Et Petrus Rodulphus testatur, ab eo formam habitus & cuculli traditam fratribus, quam nunc communiter vimur. & hoc, in Capitulo Narbonensi, anno salutis humanae millesimo, ducentesimo, sexagesimo. Attestatur Raphael Volaterranus

his verbis: Habitum quo nunc utitur instituit, cum prius pastoralis modo incederent. Propè à Senis in monasterio fratrum instituti de Observantia vidi habitum quo indutus fuit S. Bernardinus, eadè formà cum nostro, color similis, nec ipse valde vilis pannus. Ceterum de formà non laborandù,

cùm habitus non facit monachum, sed professio, siue potius observatio professionis, prorsus necesse est eam facere, quæ à monastica veste monemur.

Monet autem nos sanctioris & purioris vite supra vulgum. Nam auctore S. Basilio, velut pædagogus quis, est infirmioribus habitus iste religiosior: ut etiam inuitos eos ab opere inhonesto indecentique custodiat. Deinde & Apostolus Episcopum ordinatum esse designat, quæ res ad habitum magistri reuocatur. Sed & de

mulieribus dicit, in habitu ordinato eas esse debere. Ordinatus autem habitus Christiani esse dicitur is, qui secundum propositum ac professionem eius aptus intelligitur. Sicut enim est proprium aliquod militi in habitu vestimenti; & alius est habitus Senatoris; ex quo præcipue intelligitur, vel quod iste Senator est, vel quod ille miles est: ita etiam Christianus habere aliquid proprium, etiam ex ordinatione in-

dumenti

S. Bonas.  
hanc no-  
strum in-  
stituit.

Habitus  
cuius nos  
submo-  
nemur.

Cap. 9  
in vita  
S. Bona-  
uenturæ

Lib. 2.  
histor.  
ser. ph.  
religion.

Lib. 21  
Anthro.

Conc.  
Trid.  
Sess. 14.  
c. 6. de  
reform.

Reg.  
cap. 12.

1. Tim.  
2.9.

*Modestia  
& humili-  
tatis se-  
gnitudo  
vestis.*

ducenti ipsius debet. *Minores vocamur: conar-  
dum, ut cum aliorum existimatione, tum etiam ipsa  
re simus. Ipsa vestis exhortatur ad disciplinam Chri-  
sticapsendam, Discite à me, quia mitis sum, & Mat. 23.  
humilis corde. Et sepius docet nouissimos nos esse  
debere, & paruulos imitari. Hoc ergo etiam (in-  
quit Basl.) in obseruatione indumentorum cu- Regul.  
stodiendum puto. Si enim nobis studiū habend- cap. 12.  
um est, ut omnium simus nouissimi: certū est,  
in indumentis omnium nouissimos deputare  
nos debere. Nam si ij, qui gloriam sibi ex indu-  
mentorum splendore conquirunt, & satagunt  
quomodo pretiosis, & magnificis vestibus vi-  
deantur induti: ita consequens est, qui de vlti-  
mis & nouissimis, id est, per nimiam humilita-  
tem placere studet, eligere debere hoc, in quo  
omnium nouissimus, & vltimus appareat.*

2. *Tanquam infano & dementi insulta-  
bant.] Nihil est antiquius illis insanis & vanis,  
quàm pios & religiosos viros subsannare. Olim  
Prophetā Domini, & ipsi quoque sannabant prin-  
cipes non admodū sani: Quid venit infanus iste  
ad te? Nec mirum, quòd nunc quoque simili insa- 4. Reg. 9.  
niā in monachos arietant: cum & Paula, nobilissi- 11.  
ma Romanarum matronarum, antiquo Scipionum  
sanguine clara, etiam hoc opprobriorum luto aspersa  
fuerit. Et illa ut se purgauerit sine conuitiis, Chri-  
stiano more, nobis in exemplum, D. Hieronymus  
commemorat, in hec verba: Noui susurronem Epist. 17.  
quendam (quod genus hominum perniciosissi- c. 9. 10. 11.  
mum est) quasi beriuolum nunciasse, quòd  
pro nimio feruore virtutum, quibusdam vide-  
retur insana: & cerebrum illius dicerent con-  
fouendum. cui illa respondit; Theatrum facti  
sumus mundo, & Angelis, & hominibus. & 2.  
Nos*

*Monacho  
comitia  
constanter  
ferenda.*

Indid. Nos stulti propter Christum. Sed stultum Dei  
 3.2. sapientius est hominibus. vnde & Saluator lo-  
 quitur ad patrem, Tu scis insipientiam meam.  
 6. & iterum; Tamquam prodigium factus sum  
 7. 7. multis: & tu adiutor fortis. Vt iumentum fa-  
 7. 11. ctus sum apud te: & ego semper tecum. quem  
 Mar. 3. in Euangelio & propinqui quasi mentis impo-  
 26. tem ligare cupiebant, & aduersarij sugillabant,  
 1. Iean. 8. dicentes; Dæmonium habet. & Samaritanus  
 48. est. & In Beelzebub principe dæmoniorum  
 Mar. 12. eiicit dæmonia. Sed nos audiamus Apostolum  
 34. cohortantem: Hæc est gloria nostra, testimo-  
 1. Cor. 1. nium conscientia nostra: quoniam in sanctitate,  
 12. & sinceritate, & in gratia Dei conuersati su-  
 mus in mundo. *Bona conscientia iudicium, &  
 prorsus Christianum est; æquo animo conuicia fer-  
 re. Nam & Christus Saluator, cum malediceretur,  
 non maledicebat: cum pateretur, non com-  
 minabatur. Non magis dicteria sapientem offen-  
 dunt, quam canum latratus. Illos audimus, contem-  
 nimus: sic æquo animo audienda esse imperi-  
 torum conuicia, & ad honesta vadenti con-  
 temnendum istum contemptum disce. Qui  
 vestes flagris cadunt, non attingunt corpus: sic qui  
 loquuntur malè, minimè nocent. An verò tu ipso  
 habitu philosophiam Christianam professus, contra  
 sapientia præcepta, maledicta regeres? quid lucra-  
 ris? Sicut qui apprehendit auribus canem, sic  
 qui transit impatiens, & commiscetur rixæ al-  
 terius, à quâ sapiens cauebit. Vt in viâ si quis im-  
 prouidè præteriens luto te aspergat, non in illum re-  
 geras, sed potius te purges: ita & hîc facitò.*

Scimus

Istunc thesaurum stultis in linguâ situm,  
 Vt quæstui habeant malè loqui melioribus:

M

Melio-

Melior eris, si noueris tacere, & placidè ferre. Re-  
 tē & eleganter S. Ambrosius; Melior est qui <sup>Lib. 1.1</sup>  
 cōtemnit iniuriam, quàm qui dolet. Qui enim <sup>off. c. 6</sup>  
 contemnit, quasi non senserit, ita despicit: qui  
 autem dolet, quasi senserit torquetur.

Eadem uelle, nolle, parit amicitiam. Morum dis-  
 similitudo, maximè verò dissensus in religione &  
 fide, non dissuit solùm, sed discindit. Si de mundo <sup>Ioan. 15</sup>  
 fuissetis, inquit Christus, mundus quod suū erat <sup>18.</sup>  
 diligeret. Quia verò de mundo non estis, sed  
 ego vos elegi de mundo: propterea odit vos  
 mundus, cōtumeliam imponit, & inhumanè con-  
 uiscitur. Tu despice & contemne istū contemptum  
 (quod iam dixi) ueluti latratum canis. Si feras con-  
 stanter exemplo Dauidis, à Semei maledico conui-  
 tiatore lacessiti: animum te gerere significas supra  
 vulgi opinionem magnum, & laude dignum. simul  
 pro maledictis referes benedictionem Domini Dei.

Hoc nouerat frater Iuniperus, socius S. Francisci. <sup>Barpt.</sup>  
 qui opprobriis & iniuriis lacessitus, gremiū conui- <sup>Pisān.</sup>  
 tiatori adparare atque aperire solitus est, & dicere, <sup>Confor.</sup>  
 Amice proicias huc: imple gremium istis lapi- <sup>fruc. 8.</sup>  
 dibus pretiosis: contumelias & iniurias appellās  
 uniones. Christus inquit, Beati estis cum male- <sup>Mat. 5</sup>  
 dixerint uobis, & persecuti vos fuerint, & dixe- <sup>11.</sup>  
 rint omne malum aduersum uos mentientes  
 propter me: gaudete & exultate, quoniā mer-  
 ces uestra copiosa est in cælis. Contemnendum  
 illud maledictum, quod beatitudinē creat: imo ubi  
 Christus in causā est, optanda maledictio est.

§. 7. Peruenit ad locum, qui Portiuncula  
 dicitur. ] Barptolomæus Pisanus docet tractum re- <sup>Confor.</sup>  
 gionis illius in agro Asismate, sic appellatum. ubi <sup>fruc. 18.</sup>  
 parua Ecclesia Diuæ Virgini sacra, quam uocabant  
 S. Mariam de Angelis: quod Angelorum cantus  
 ibi

Portiun-  
 cula.

ibi saepe fuerint auditi. Videtur itaque nomen Portiuncule ad Ecclesiam & monasterium transisse. Ecclesiam hanc, fratrum numero crescēte, S. Franciscus prece impetrauit ab Abbate S. Benedicti ad montem Subasum, hoc pacto: ut Ordine aucto fratribus, Ordinis esset caput. Erat autem omnium quas Abbas habebat minima: quamobrem sanctus vir paupertatis Euāgelice perfectus amator, letabatur: Portiunculā terrenā exiguā contentus, uti cū Prophetā dicere posset, Portio mea in terrā viuentiū. *Barptolom. Pisanus*: Portiunculā pro se & suis, de mundo elegit: ex quo aliter Christo, nisi de mundo aliquid haberet, seruire non potuit. Non enim sine præsciētiā diuini oraculi, à diebus antiquis, Portiuncula dictus est locus, qui in illorum debebat cedere sortem, qui de mundo nihil penitus cupiebant habere. In eō Virginis matris Ecclesia constructa erat, quæ suā singulari humilitatem, eruit post Filium suum, caput esse omnium Sanctorū. In eā Minorum Ordo principium sumit: ibidem multiplici muro, velut supra stabile fundamentū, eorum nobis structura surrexit. Hunc locum S. Franciscus amauit præ omnibus, hunc præcepit fratres singulari reuerentiā venerari, hunc velut speculū Religionis, in humilitate & paupertate altissimā semper voluit custodiri.

Quamuis autem ille Abbas locum hunc S. Francisco cesserit: solum tamen vsum eius accepit vir beatus, non possessionem, atque eius rei ergo Abbati pendebat in singulos annos canistrū pisciculis plenum: nullius rei, ne dicam agri aut domus, proprietatem & dominium, sibi suisque vnquam se permissurum, hoc exemplo significans. idē ex suo Regula præscripto; Fratres nihil sibi adpropriet,



nec domum, nec locum, nec aliquam rem: sed tamquã peregrini & aduenã in hoc seculo, in paupertate & humilitate Dño famulantes, &c. 1 Pet. 2. 11.

8. Visionem viderat relatione condignam.]

*Peccata tenebræ sunt*: Dilexerunt magis homines tenebras quã lucem, inquit Christus. &c. Ioan. 1. 19. & 8. 12.  
 Qui sequitur me non ambulat in tenebris. Illuminari dicuntur, qui à peccatis liberantur. Eratis aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino. Itaque opinor tot bonorum riuulos ex hoc fonte manantes, simul etiam condonationes illas, siue Indulgentias Portiuncule, magnas in primis, Christo ipso auctore, quotannis verè pœnitentibus concessas, hoc viso præuisas fuisse. de quibus S. Antoni-

Indulgen-  
tia Por-  
tuncula.

nus: Anno Domini millesimo, ducentesimo, vigesimo tertio, mense Ianuario, B. Franciscus obtinuit primò à Deo, intercedente beatâ Dei genitrice Mariâ, & demum à suo vicario Honorio Tertio, indulgentiam plenariam peccatorũ, annis singulis, accedentibus ad ecclesiam S. Mariæ de Angelis, primâ die Augusti. & quòd durarent per diem naturalem, incipiendo à secũdis vesperis illius diei, vsque ad vespervas diei sequentis, includendo noctem. quo die illa ecclesia fuit à septem Episcopis, de mandato Domini Papæ sollemniter consecrata, & dicta indulgentia publicata. *Totam huius rei historiam complectitur Speculum vitæ S. Francisci cap. 88. & sequẽtib. Barpt. Pisan. item Confor. fruc. 14. Viua vocis oraculo (võ dicitur) ista datæ, sine diplomate Pontificio: sed promulgante Deo, tantâ frequentiã singulis annis, etiamnum celebrantur, vò aliquando confluant triginta millia hominum, eog. amplius, & sicuti magnus exercitus, circum locum, quasi castrametantur. Sed operæpretium fue-*

*rit adscribere litteras D. Alexandri Papæ Quarti ad confirmationem datas gratia prædictæ.*

Speculū  
vitæ S.  
Fran.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, Venerabilibus Fratribus, vniuersis Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis: ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archipresbyteris, Decanis, Archidiaconibus, Plebanis, & aliis Ecclesiarum Prælati & rectoribus, ad quos litteræ istæ peruenerint, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Quia longum esset nedum exarare per singula, verumetiam succinctâ relatione perstringere clara virtutis diuinæ prodigia, quæ tam in operationibus, quàm etiam in aliis sanctitatis argumentis, probauerunt D. Franciscum, alium Christi confessorem tenere cum sanctis solum gloriæ in excelsis, & in terris mirabilem prædicare: & indulgentiam S. Mariæ de Portiunculâ, de voluntate Patris cælestis, quam ipse sic denunciauit, vt quicumque venerit ad ipsam Ecclesiam, quæ S. Maria de Angelis vocatur, & ingressum habuerit, à primis vesperis primæ diei mensis Augusti, vsque ad vespas secundæ diei eiusdem mensis: remittitur ei omnia peccata, &c. *Speculum vitæ S. Francisci, cap. 89. ex quo loco plura videre licet.*

## IN CAPVT III.

De institutione Religionis. & adprobatione regulæ. ] *Erit forsitan hic meus sermo longior, quàm velit lector occupatus. Sed non abs re fuerit declarare, quâ causâ, & consilio Mendicantium Ordines sint instituti. Vt in militiâ cum desertores ad hostium castra transfugiunt, cohortes numero militum expleantur; & in prælio laborantibus ad-*

M 3

sunt

sunt subsidiarij & auxiliatores: sic in Ecclesie bello inualescentibus haeresibus, moribusq; deprauatis, Deo imperante Ordines isti adducti, qui illas teras pestes extinguant, illos corrigant. Duo mala

Duo ma-  
la saeculo  
S. Franc.

S. Francisci saeculo irroboraſſe animaduerto, quae orbem Christianum perniciosissime conturbauerunt: haereses, & diffidiu inter Romanos Pontifices & Imperatores. contra quae, sicuti infestissimos Ecclesie hostes, Deo auctore duo boni duces S. Franciscus, S. Dominicus ordines suos duxerunt, viceruntq;. Pro bono vtiliq; facturus videor, de vtrisque paullo dicere vberius. res ipsa hortatur. sed prius de haeresibus illius temporis. Anno Domini .m. c. lxx. Frederico primo Aenobarbo Imperatore, orta est haeresis Pauperum a Lugduno, auctore VValdone Lugdunensi ciue. hic diues erat & potens: qui, omnibus relictis, Paupertatem Euangelicam cepit profiteri, cum multis asseclis: sed errore, & prauo diuinarum litterarum intellectu, disuncti ab Ecclesia, per schisma in haereses prolapsi sunt. quas ex Nicolao Sanderò oportune commemorabo.

Haeresis  
VValdoniana  
siue  
Pauperum  
a Lugdu-  
no.

Lib. 7.  
de visib.  
Mon.  
Eccles.

1. Dicunt quod Romano Pontifici obedire non tenentur: imo totu Romanæ Ecclesie statum in capite ac membris damnant. Summorum item Pontificum canones & decreta nullius momenti esse.

2. Nullum omnino iudicium sanguinis, aut cuiuscunque iudicij corporalis supplicij feru, quia scriptum sit, Nolite iudicare.

\* Mat. 7.

3. Auctoritatem conficiendi corpus Christi dicunt data esse etiam laicis, modò iusti sint. Presbyteros autem qui grauius peccant, nec Eucharistiam cõficere, nec alios a peccatis absoluerè.

4. Potestatem confessiones audiendi & absoluedi, etiam laicis a solo Deo datam esse.

5. Semel

5. Semel tantum in anno, id est, in coena Domini, Missam celebrant. & illam absque forma verborum Christi; dicendo septies Pater noster, & benedicendo panem & vinum.

6. Irrident Indulgentias per Praelatos Ecclesiae datas.

7. Negant post hanc vitam esse purgatorium.

8. Dicunt tantum tres ordines in Ecclesia esse, Diaconatum, Presbyteratum, & Episcopatum.

9. Vera miracula in Ecclesia non fieri.

10. Sanctos in caelo nec audire, nec attendere preces nostras.

11. Dies festos contemnunt, & in illis operantur manibus.

12. Ieiunia Ecclesiae contemnunt: & in illis carnes comedunt.

13. Vrente carnis libidine, dicunt omnem carnalem commixtionem esse licitam.

14. Dicunt quod perfecti non debeant manibus laborare.

15. Contemnunt salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum.

16. Omne iuramentum prorsus illicitum esse dicunt. *Hac ad necessitudinem rei satis. plura si desideras, adi illos, qui ex proposito de his scribunt: ut Prateolus lib. de Vitiis & sectis hereticorum, Abfonsus Castrensis, &c. At non Galliam solum modo haereses infecere: sed etiam Italiam. Multas haereses fuisse eodem tempore in Longobardia scribit Casarius lib. 5. cap. 24. ubi inter alia refert Lucio Tertio Pontifice quorundam factionibus Romam pulso, Verone exsulante, haeresiarum quendam saepe in domo subterranea sermonem habuisse plenum blasphemiarum. (vtoz verbis eius) Deinde extincta candelam unusquisque sibi proximam inuasit:*

M 4 nullam

nullam habentes differētiā inter legitimā & solutam; inter viduam & virginem; inter dominā & ancillā; & quod horribilius est, inter sororē & filiam.

*Humiliū  
1120.*

*Eā tempestate grassabatur & secta Humilium: quorum quanta fuerit impietas Paullus Amelinus narrat. simul significans tum horum, tum VValdensium sectis damnatus, S. Dominici & S. Francisci Ordines adprobatos fuisse. Per idem tempus, (inquit) Ordines duo sacri exorti sunt, Prædicatorum, Minorumque: duoque abrogati, Humilium (ita se vocabant) & Pauperum à Lugduno, conditore huius superstitionis VValdone Lugdunensi. Illi humilitatis nomine munia, quibus Curatores animorū Sacerdotes iure funguntur, sibi arrogabant. confessiones arcanas audiebant: ac velut ipsi expiandi ius haberent, noxas soluebant. A liberalibus artibus cum abhorrent, concionabantur tamen. regimen animorum sibi vendicabant. Pauperes à Lugduno (ita enim vocitabantur) neque fundos sui iuris, neque certas sedes habere volebant; errabant: mulieres iidem professas secum circumducebāt. nec secubare dicebantur. Lucius Pótifex Maximus vtramque sectam damnauerat: tolli tamen non poterāt. Recepti Prædicatores fratres, qui litteris se excolerent, concionibus edocerent, ius alienum minimè vsurparent. Dominicus auctor exstitit, & doctus & sanctus vir, & acerrimus hæresum insectator. Minores fratres, conditore Ordinis D. Francisco, paupertatem professi sunt: Pauperes Minores vocitari cceptos, Auspergēsis temporum conditor, auctor est: postea sanctius visum omnino Minores dici. Hi saniores Ordines visi: illi*

prio-

Lib. 6.  
de reb.  
gestis  
Frang.

Vbi

Lib. 6.  
illust.  
mirac.  
11.2.

AD VITAM S. FRANCISCI. 185  
prios hoc remedio sublati. *hactenus Emilius. Philippo 11. Augus. ex Chron. Vrspergen. anno. 1212.*

*Ceterum excisis illis capitibus hydra, continuò aliud renatū, & quidem superioribus magis pestiferum, Albigenſium hæreſis. Sederat ea pestis* Albigenſium hæreſis orta apud Tolofata.  
*(inquit Paulus Emilius) in comitatu Tolofatum, cui Albij contribuebantur; & finitimas polluerant ciuitates: & Humilium, & Pauperū Lugdunenſium ſectæ adfingebant & ipſi præcipuam impietatem. Variè appellati, Albigenſes, Albigeſi, Albiani, Albij: Caſarius Heysterbachenſis, vocat Albienſes. & res poſtulat, uti ex eo ſectæ errores exſcribamus. ſic enim habet: Temporibus Innocentij Papæ prædeceſſoris huius, qui nunc Papatum tenet Honorij, durante adhuc ſchifmate, quod erat inter Philippum & Othonem reges Romanorum; diaboli inuidiâ hæreſes Albienſium cœperunt pullulare, vel ut veriùs dicam, matureſcere. Cuius vires erāt tam validæ; ut omne triticum fidei gentis illius, verſum videretur in lolium erroris. Miſſi ſunt Abbates noſtri Ordinis, cum quibuſdam Episcopis, qui zizania, raſtro Catholicæ prædicationis eradicarent: ſed obſiſtente homine inimico, qui illa ſeminauerat, modicum ibi profecerunt. Quædam, hæreſiarchæ eorum, collegerant puncta, ex dogmate Manichæi: quædam ex erroribus quæ in Periarchon ſcripiſſe fertur Origenes, plurima etiam quæ de ſuo corde finxerant, adiicientes.*

1. Duo credunt cum Manichæo principia, Deum bonum, & Deum malum, id eſt, diabolum; quem dicunt omnia creare corpora, ſicut Deum bonum omnes animas.

M 5

2. Quid-

Vbi ſup.

Lib 5.  
Iluſtr.  
mirac.  
11. 22.

2. Quidquid beneficij mortuis à viuis impenditur irridet.
3. Ire ad Ecclesias, vel in eis orare, nihil dicunt prodesse.
4. Baptismum abiiciunt.
5. Animam secundum meritum dicunt per diuersa transire corpora, etiam animalium atque serpentium.
6. Sacramentum corporis & sanguinis Christi blasphemant; dicentes non aliter esse corpus Christi in pane altaris, quam in alio pane, & in qualibet re.
7. Sic Deum locutum in Ouidio, sicut in Augustino.
8. Negabant resurrectionem corporum, dicentes nihil esse paradysum, neque infernum: sed qui haberent Dei cognitionem in se, quam ipsi habebant, haberent in se paradysum. Qui verò mortale peccatum: haberent infernum in se, sicut dentem putridum in ore.
9. Altaria Sanctis statui, & sacras imagines thurificari, idolatriam esse dicebant.
10. Eos qui ossa martyrum deosculabantur, subsannabant.
11. Maximam etiam blasphemiam ausi sunt dicere in Spiritum sanctum, à quo omnis iustitia est, & sanctitas. Si aliquis est in Spiritu sancto, aiebant, & faciat fornicationem, aut aliquam alià pollutione polluat: non est ei peccatum. Quia ille Spiritus qui est Deus, omnino separatus à carne, non potest peccare. & homo qui nihil est, non potest peccare, quamdiu ille spiritus qui est Deus, est in eo. Ille operatur omnia in omnibus. Vnde concedebat, quòd vnusquisque eorum esset Christus, & Spiritus Sanctus.

12. Pro-

12. Prophetabāt vnus eorū V Vilhelmus de Namantico, quōd infra quinque annos, istæ quatuor plagæ euenire deberent. Prima super populum: quia fame consumeretur. Secunda erit gladius, quo se principes interficient. Tertia, in qua terra aperietur, & deglutiet Burgenses. In quartâ descendet ignis super Prælatos Ecclesię, qui sunt membra Antichristi: dicebant enim quia Papa esset Antichristus, & Roma Babylon. &, Ipse sedet in monte Oliueti, id est, in pinguedine potestatis. *Collegi hac ex Casarij libro 5. Illustrium miraculorum & historiarum memorabilium cap. 21. & 22. Gilbertus Genebrar. etiam hac refert de illis; Catholicos miserè tractabant, eos illudentes, quōd Sanctos & Diuam Virginem venerarētur. Blasphemabant in Diuam Virginem, eam meretricem appellantes. Hac igitur pestifera hæresis, vt scribit Iacobus Bergomensis, tantam in populo Romano, cleroque, seditionem induxit, quātam nunquā antea. Quamobrem Pontifex multos cruce signatos impulit contra eos arma sumere. Belli initium breuiter commemorat Casarius loco citato, sic scribens: In tantum Albiensium error inualuit, vt breui interuallo temporis infecerit vsque ad mille ciuitates. & si non fuisset gladii fidelium repressus, puto quōd totam Europam corrupisset. Anno Domini millesimo ducentesimo decimo, prædicata est contra Albienses, in totā Germaniā & Franciā, Crux: & ascenderūt contra eos anno sequenti ad ciuitatem magnam, quæ Bidens vocatur, in quā plus quā centum millia hominum fuisse dicebantur; & obsederunt illam. In quorum aspectu, hæretici super volumen Euangelij mingentes, de muro illud*

*Blasphemiarum plena.*

Chron.  
4 ad an.  
Christi  
1199.

Supple.  
hist. l. 13.  
ad ann.  
Christi  
1215.

Lib. 5.  
c. 11.

Nota, nota.  
ta. mala  
cui nostris  
ad istis  
malis cor-  
na.



contra Christianos proicerunt, & sagittis post illud missis, clamauerunt; Ecce lex vestra miseri! *hæc eo loco, ubi quibusdam interpositus addit: Quidam ex potentibus Tolosanæ ciuitatis, quidam tam horrendum, in odium Christi, & ad confusionem nostræ fidei, egit, ut ipsos etiam Christi inimicos mouere meritò debeat. Iuxta altare maioris Ecclesiæ ventrem suum purgauit, & pallâ altaris ipsas immunditias deteriit. Ceteri verò furori furorè adiacentes, scortum super sacrum altare posuerunt, in aspectu crucifixi, eo ibi abutentes. Postea ipsam sacrâ imaginem detrahentes, brachia ei præciderunt, multo militibus Herodis deteriores, qui mortuo, ne eius crura frangerent, pepercerunt. Ceterum Albenses, antequam veniret contra eos exercitus Domini, Miramamolinum regem de Marroch, in auxilium sibi inuitauerant: qui de Africâ in Hispanias, cum tam incredibile multitudinem venit, ut totam Europam se obtinere posse speraret. Mandauit etiam Innocentio Papæ, quia equos suos in porticu Ecclesiæ B. Petri vellet stabulare, & super illam vexillû suum figere. quod ex parte impletum est, etsi secus quam ipse cogitasset. Et quia Deus frangit omnem superbum, eodem tempore, scilicet anno gratiæ millesimo ducentesimo duodecimo, decimo septimo Calendas Augusti, de exercitu eius, sexaginta millia pugnatorum ceciderunt. Ipse verò se in Siciliam transferens, ex dolore mortuus est. cuius vexillum principale in bello captum, Innocentio est transmissum, & in Ecclesiâ prædictâ, ad Christi gloriam erectû. *Hæc Cæsarius Heisterbachensis de Albigensibus, & initio sacri belli contra illos: cuius finem paucis absoluit**

*Miramamolinum in auxilium inuocauit. ut ait Albigenses.*

Lib. 17. Chron. ad annū Domini 1106. *solvit Christianus Massens, Vrbs Bituris incensa fuit: ciues ad septem circiter millia, qui in templum Mariæ Magdalena confugerunt, in eodem occisi sunt, ipso die festo eiusdem. Et*

*Albigenses cadunt in ipsa sacra Magdalena dia.*

Lib. 1. c. 21.

*quidem iuste tali die festoq; peremti: quia iam dudum impie blasphemauerant Magdalenam fuisse Christi concubinam. Casarius, qui eotempore vixit, testatur innumerabiles caesos fuisse.*

*Exposui haereses pestilentissimas, ferale istud malum prius, ortum auo S. Francisci: pergo nunc ad alterum reipublica Christiana haud minus exitiosum, videlicet, Turbulentum ac perniciosum diffidium Romanorum Pontificum & Imperatorum hoc natū obseruo Frederico Primo Eno-*

*Alterum malū auo S. Francisci, diffidū Pōntificum & Imperatorum.*

Vin Frederico Oenobarbo.

*barbo (qui & Barbarossa vulgò dictus est) Imperatore: maximè verò increuisse sub eius nepote Frederico Secundo. Baptista Egnatius, Pessimò iam pridem exemplo Pontificiæ cum Imperatoribus contentiones inoleuerant, vnde omnium malorum fons & origo: his inter se decertantibus, quorum ope ac concordia, res Christiana florere diutissimè potuisset. Id cum aliàs experti maiores nostri sunt, tum verò hoc tempore vtinam non extremâ cum nostrâ perniciè sentiamus. Ex illo malo fonte, qui riuuli ducti, paucis*

Lib. 12. Sup. hif. ad ann. 1113.

*complectitur, Iacobus Bergomensis; Fredericus, mortuo Adriano Pontifice, successori eius Alexandro admodū aduersari cœpit: vnde & quatuor Pontifices schismaticos contra eundem creati fecit, quorum seditionibus Ecclesia Romana ferè subuersa est. His iniuriis permotus Alexander, Fredericum, & schismaticos omnes Pōtifices anathematis vinculo colligauit: quâ obrem Fredericus omnem Ecclesiæ ditionem, pulso Alexandro occupauit, omnemque fere*

*Fredericus prim. hif. aduersus Rom. Pōntificem.*

Cisal-

Cisalpinam. *Haud aliter Chronicon Hirsaugien.* Apud  
 Fredericus Imperator totū Imperium Roma- Genebr.  
 num turbat, propter inobedientiam & rebel- 4. chron.  
 lionem contra Sedem Apostolicam. Excom- vbi de  
 municatus, Pontificem verbis, scriptis, & armis Alexan.  
 persequitur, cunctosque cum illo sentientes. III. 16.  
*Redit tandem Fredericus in gratiam cum Ponti-* vbi sup.  
*fice Alexandro: Egnatius testatur Pontificem Ve-* Freder.  
*netias ex diutino errore cōfugisse,* vbi victo etiam L. imp.  
 nauali proelio à Venetis Othone filio Frederi-  
 ci: (quod varia monumenta nobis adtestantur,  
 et si scriptorum variet fides) tandem pax Vene-  
 tiis sancita, Imperatorque ac Pontifex ex diu-  
 tinâ discordiâ amicissimi facti.

*Frederici  
 Secundi  
 Impera-  
 toris in  
 Ecclesiam  
 impietas.*

*At Fredericus Secundus, Henrici Sexti filius,* Supp.  
*Frederici Primi nepos, multo acerbius auo, exer-* hist. lib.  
*cuit cū Ecclesiâ inimicitias: (vt Bergomensis com-* 13. ad  
*memorat) à maioribus suis minimè degenerans,* an. 1113.  
 auo Frederico Barbarossâ immanior. vbi Im-  
 perator appellatus est, illicò in Romanam Ec-  
 clesiam insanire, omniaque lacerare ac rapere  
 cœpit: propter quod anathemate notatus, Im-  
 perij dignitate priuatus est. *In eandem sententiâ*  
*Chronicon Hirsaug.* O impietates Frederici Se- Apud  
 cundi, planè indigni nomine Cæsaris! Fauisse Genebr.  
 dicitur Saracenis; spoliator templorum, maxi- 4. chron.  
 mus persecutor Ecclesiasticorum: cuius occa- ad ann.  
 sione monasticæ conuersationis feruor, in cun- Christi  
 ctis fermè Germaniæ locis tepuit. 1217.  
*Sed & Raph. Antho-  
 Volaterranus sic de eo scribit,* Fredericum Secun- polog.  
 dum, Henrici Sexti filium, adolescentē, Otho-  
 ne deiecto, Innocentius Tertius apud Aquif-  
 granum iussit diademate redimiri. paulloque  
 post mortuâ Constantiâ matre, quæ eum in of-  
 ficio continebat, omnibus viribus infectatur  
 Ponti-

Pontifices tres, Honorium Tertium, Gregorium Nonum, & Innocentium Quartum; à quibus & successione, & sacris interdictus, & Imperio deiectus per sententias fuit. *De quo etiam tradit Onuphrius in Notis ad vitam Innocentij Quarti.* Hic [*Innocentius Quartus*] in vigiliâ natalis Domini anno millesimo ducentesimo, quinquagesimo quarto, Lugduni in Concilio Generali, duodecim Cardinalibus viris excellentissimis creatis, eius ordinis hominibus proprium insignie, pileum rubeum dedit. Auctor Martinus, qui eo tempore vixit, in huius Pontificis vitâ, quo significabatur, eos etiâ caput suum, si opus esset, pro Ecclesiasticâ libertate tuendâ, gladio offerre debere: & præsertim eo tempore, quo Romana Ecclesia à Frederico Secundo Imperatore vehementer oppugnabatur. Reliqua eius ordinis insignia posteriores Pontifices excogitarunt. *De impietate Frederici huius plusculis agendum: & sunt mihi causa. Refert Bapt. Platina in vitâ Gregorij Noni, quod is civitates Italie in duas factiones tum primùm diuisit. Nam qui Pontifici fauebant, Guelfi, qui vero Imperatori, Ghibellini appellati sunt. Originem pulchrè exponit Paulus Æmilius, inquit, factionibus Italiam impleuit, nominibus longo temporis intervallo repetitis. Auctorem memoriâ Siculus rex Rogerius veritus, ne si Conradus Tertius Augustus in Italiam veniret, regno ab eo pelleretur, Cæsarum armis Siculorum dominatui semper infestis; missis in Germaniam Oratoribus, hostem Guelfonem Bauariæ Ducem in Cæsarem concitavit: belloq; ibi conflato, ex Italiâ Duci & suo, & vt viribus sanctitatis speciem adderet, Pontificis Maximi, cuius se beneficiariû profitebatur.*

Cardinales S. R. E. quamobrem rubeo pileo insigniti.

Guelforum & Ghibellinorum factiones.

Lib. 7. de rebus gest. Fr. cor. in vita Lud. dou. IX.

tebatur, nomine ingentia misit auxilia. Cum his signa contulit Henricus Cæsaris filius in opido Gibellino natus: quo etiã memoriã natalium velut gentilitio cognomine gaudebat.

*Origines  
antiqua.*

In hac igitur acie, Io Gibelline, in alterã Io Guelfo, clamabatur. Cæsar victor etiã victum Ducem in gratiam positis armis recepit: nomina tamen mansêre. ac ex ea die seruatum, vt Guelfi Pontificum, Gibellini Cæsarum partes dicantur. Sed iam memoria propè exoleuerat, Fredericus Sicus restituit, ac immortales pestes eas effecit, quibus Italia & vniuersa, & singulæ propè ciuitates laborarent. *Ceterum quã ratione, quo loco Fredericus has pestes induxerit, iam commemorabo ex Sabellico, qui historia huic*

*Medulla à  
Frederico  
Secundo.*

*lucem dabit maximam, inquit:* Erat per id tempus Fredericus Imperator Pisis. qui cùm nõ satis exploratum haberet, qui hominum suis fauerent partibus, omnes Italię ciuitates, velut in duas diuisit factiones: vt qui Pontifici faueret, Guelfi nuncuparentur; qui Imperatoris partibus, Gibellini. nomina ad Italiã exitiũ reperta, quamquam & alias geminæ illæ pestes attigerint. Apud Pistorienses in Etruriã primum res orta est. Enimuerò cùm Cancellarij Pinzaticos ex eã vrbe deiecissent, factum est, vt duo Germani sanguinis fratres, quorum hic Guelf nomen ferret, ille verò Gibel, in diuersas factiones suum fauorem inclinauerint, nomenque vterque suum dederit his, vnde stetit, partibus; Pinzati, Gibellini dicti; diuersę factionis, Guelfi. Serpsit inde latius pestis, breuiq; vniuersam corripuit Italiam. Hinc bella non tantum inter eiues orta, sed inter propinquos & fratres. Multæ Italiã vrbes hoc motu à Pontifice defecerunt.

*Enne. 7  
lib. 6.*

<sup>Lib. 8. Saxon. cap. 8.</sup> runt. Sic (*ut Krantzius tradit*) de imo tartaro  
 natâ diffensione, Italicae ciuitates tumultuâtes, <sup>Sauitia istarum partium et feratit di.</sup>  
 miris circiuectionibus, & vertiginoso circuitu  
 implicitæ, implacabili odio læuiūt in inuicem,  
 nescientes quidnam eâ in se insequantur. Non  
 modò enim signa bellica habent aduersa; sed  
 colores, terræ fructus, habitus corporum, ipse  
 hominum incessus, digitorum concrepitus, &  
 oris hiatus, suam habuere partium significatio-  
 nem. Brixiani, Bergomensesque allium, (cuius  
 apud eorū plebem frequens est vsus) quo scin-  
 das modo, plurimum à ratione partium existi-  
 mant interesse. auditumq; aliquando est, fuisse  
 in Bergomensium montibus, qui aduenas ex  
 Calabria, Apulise, aut Etruscis viatores hospiti-  
 o receptos, allium (quod suo ipsius hospitis  
 iudicio, in nucleos naturâ distinctos, diuidi  
 oportuit) gladio seindentes, tamquam diuersa-  
 rum partium, interfecerint. *Abbas Vrspergen-  
 sis Frederico equalis, historias suas claudit laudi-  
 bus Frederici huius nominis Secundi Imperatoris,  
 insectationeq; Pontificum: eum scribit pie sacrum  
 bellum gessisse; nullaq; virtute, obseruantia, obse-  
 cratione placare execrabile odium Pontificum po-  
 tuisse, quo minùs in eum indignè, nec ullo eius me-  
 rito, euertendum incumberent. Fama frequētior,  
 & sensus propè omnium conspirans ( *ut scribit  
 loco supra citato Emilius*) eum damnant. Palme-  
 rius testatur Fredericum sub graui censurâ Pon-  
 tificis in Apuliâ apud opidum Tarentinum mor-  
 tuum esse. Hæc cum ita se habeant, equidem mihi  
 videtur Ioannes Trithemius hoc nomine immeritò  
 reprobare Abbatē Ioachim, & prædictiones illius:  
 eas affirmans non habere auctoritatem, quasi falso  
 prædixisset Frederici hostilitatem aduersus Ecclē-*

N

siaz.

siam. Nam vt de ceteris interim taceam, inquit, Fredericum imperatorem hostem Ecclesiæ futurum somniauit: quem omnes nouimus vsq; ad mortem, pacificum, & Romano Pontifici subiectum, & fidelem perseuerasse. *Ostensum est Fredericum Primum Imperatorem ab Alexandro Tertio Pontifice excommunicatū; hostilitatem acerbè cum eo exercuisse: quatuor pseudopapas contra Alexandrum creasse. Itaq; non errauit hic Ioa-achim, si hunc signauit, prædices hostem Ecclesiæ futurum. Si autem huius nepotem Fredericum Secundum intelligit: profectò non somniauit, cùm eius impietatem prædixit, quâ afflixit grauissimè Rom. Pontifices, & Ecclesiam uniuersam, maximè in Italiâ. Vt ex solo c. Ad Apostolica dignitatē. 6. Decretal. De Sent. & re iudicata, constat impiū fuisse, perfidiā & periurio Romanam Ecclesiam violasse, ac tandem merito excommunicatum ab Innocen. 4. Pont. & imperio exutum. historici omnes scelera eius non dissimulant: solus Vrspergensis laudare videtur. cuius opinio, siue potius error, tum Trubemio, tum aliis potuit occasio esse errandi. Sed ad propositum redeo. Guelfi & Gibellini nomina, primū audita, Frederico primo Imperatore, & Alexandro Tertio Pontifice, dissentientibus, circa annum Domini millesimum, centesimum, sexagesimum; si re. 7è computat annos Gil. Genebrardus. Pace inter eos in ita fere exoleuerant: postea verò Frederici Secundi odio in Ecclesiam & Pontifices Romanos, hæc teterrima factionum nomina, ad perniciem humani generis restituta sunt. & quod scripsit Krätz in hodiernum vsque durant.*

*Distoris  
re. ollicitio*

*Christiana reipublica geminas pestes, hæreses truculentissimas, & dissidium exitiale Imperatorum cum Ecclesiâ Romanâ, seculo D. Francisci, penè*

*ipse sal-  
sus aliu  
deist occa  
sionem et  
1974.*

*Pauli  
Aemil.  
in Ludue  
1 X.*

*Lib. 8.  
Sax. c. 8.*

penè uniuerso orbe grassantes, exposui pluribus  
 verbis. Vides quo loco res illius temporis. ut è senti-  
 nâ malorum omnium, mores eui illius corruptissi-  
 mi, & peccandi impunitas, à duobus istis malis.  
 Quamobrem, suffragantibus nobis historiis Eccle-  
 siasticis, Deus Opt. Maximus grauissimè commo-  
 tus, humano generi extrema supplicia comminatus,  
 sumisset etiam, nisi intercessione D. Mariæ Virgi-  
 nis placatus fuisset: cuius auspiciis & ductu, nobile  
 par amicorum S. Dominicus, & S. Franciscus in-  
 teruenère, qui contra duo illa exitia orbis Christia-  
 ni, & propter ea orbi imminentiâ pericula, se obii-  
 cerent & liberarent. Itaque ut in turbulento præ-  
 lio, præfecti in hostes immittunt bello meliores: sic  
 imperante Deo contra illas Reipub. Christianæ pes-  
 tes, S. Dominicus & S. Franciscus, suos Ordines  
 duxerunt velut pratorias cohortes contra hostes:  
 quorum operâ & auxilio illa extinctæ; Ecclesia fe-  
 re collapsa, stabilita fuit & confirmata. In Elogiis  
 in D. Frânciscum positus ante historiam vitæ ipsius,  
 habes visum S. Dominici: adi, & lege; facilius  
 hæc intelliges.

Cùm de sectâ Humilium agerem suprâ, memo-  
 rauit ex Aemilio paucis, duabus sectis Humilium  
 & Pauperum à Lugduno ab Ecclesiâ reprobatis,  
 Ordines duos S. Dominici, & S. Francisci Eccle-  
 siæ ad probationem subrogatos: ut intelligas, quâ caus-  
 sâ, quo auctore, cui fini; Mendicantium ordinum  
 instituta prodierint, & recepta sint. Iam suprâ ea  
 commemorare libet, & multo illustriora ad propo-  
 sitam rem amplificandam. Audi Iacobum Bergo-  
 mensem, & quæ dicit nota. sic habet: Increbuerat  
 tunc ex hæreticorum multitudine, & Impera-  
 torum temeritate, tanta Clericorum & impro-  
 borum virorum licentia, ut nulla religionis fa-

Lib. 6.  
 de reb. us.  
 ges. Frâ-  
 cor. Pbi-  
 lip. 11.  
 Auguf.

Lib. 13.  
 Supp.  
 ad ann.  
 1117.

Mendican-  
 tum de di-  
 nescor in-  
 dultis &  
 adpro. 11



cies in Ecclesia Dei cognosceretur. Dixisses tunc omnes non modò laicos Christianos, sed etiam clericos & monachos in Italiâ, aut inquilinos fuisse, aut ex extrema omnium nationum fece eò commigrasse. Christianorum itaq; Dominus Iesus Christus, turpitudine & calamitate commotus, hunc potissimùm Ordinē Prædicatorum & Minorum excitauit: vt collabentem Christianam Religionem erigeret. *In eandem sententiam scribit S. Antoninus:* Equidem diuina prouidentia, quæ perpetuâ mundum ratione gubernans, minùs in necessariis deficiens quàm natura; sed omnia suauiter disponens, vnicuique oportuna tempore suo concedens; animaduertens Pontifices loca tenentes Apostolorum, Parochialesque Sacerdotes successores septuaginta duorum discipulorum, quos ad prædicandum Dominus Iesus Christus eligens destinarat per orbem, ab officio prædicationis quasi cessare, & multo magis ab hæresum extirpatione, & in zelo animarum tepescere: Ecclesiæ suæ sacrosanctæ affluenter prouidit, suscitando tempore illo Ordinem mendicantium, qui his tam solerter, quàm ardentèr insisterent. Hic Ordo bifariâ distinctus inuenitur, in Prædicatores videlicet & Minores: quibus tamen adiuncti sunt ex priuilegio Eremitani & Carmelita. *Visus est olim S. Franciscus Ecclesiam Lateranensem, iam ruentem subiectis humeris sustentasse. quod etiam de S. Dominico graues auctores commemorant. Nam illa ætas tam barbara, tam corrupta, quâ Ordines eorum prodire, horum auxilio stabilita fuit: & posteriora sæcula in hodiernũ vsq; diem fulciunt & confirmant. Hac laus cum familia nostra non falso, nec temerè, ab æquis iudicibus tribua-*

*Vi Eccle-  
sia labor-  
anti sub-  
sidentur.*

Histot.  
Tert.  
part.  
tit. 23.  
c. 1.

Bonau.  
c. 3. §. 8.

Theod.  
ab Apol.  
Lib. 1.  
S. Dom.  
c. 12. &  
Iac. Ber-  
gom.  
lib. 13.  
Supp.

Mat. 20. tribuatur, etiā aliis ordinibus, quos deinceps, tan-  
quam variis horis, operarios Dominus in vineam  
suam misit, iure contribuenda venit.

Igitur illi Ordines, fulcra sunt & sustentacula  
Ecclesie: & velut copie auxiliares, quae sociis defa-  
tigatis, cassis, cedentibus, subsidiantur. expediti in  
primā acie laborantibus succurrunt. ac velut pasto-  
rii canes, qui ante omnes latratu abarcent lupos,  
dente petunt, dentes luporum primi excipiunt. quo-  
rum utilitatem, ne dicam necessitudinem, qui non  
agnoscit, profectō ignorat, aut certē dissimulat.  
Mirum non est eos apud istos nouatores, Ecclesie  
hostes malē audire: sed pro nihilo putari, imō con-  
temni etiam ab aliis (acerbius nihil dicam) valdē  
mirum. quinimo non mirum: quia indicium boni-  
tatis, displicere malis. An tu putas impunē luros,  
qui cum eis hostilitatem exercent? haud arbitror.

Ordinum  
regulariū  
utilitas  
magna.

Lib. 1. Audi fabulam non fabulam, quam ex Hieronymo  
de bono Plato ascribere visum est. Prælati quidā, ne scio  
stat. re- quo spiritu inducti, de Franciscano Ordine ab-  
lig. c. 33. olendo, consilia inter se contulerunt: & ad eam  
rem perficiendam quoddam aliquot Episco-  
porum conuenticulum coegerunt. Erat autem  
in eādē vrbe Ecclesia præcipua, & in Ecclesie  
fenestris vitreis duę imagines pictæ: vna S. Pau-  
li, qui ensē; altera S. Francisci, qui crucē ma-  
nibus tenebat. Noctē Ædituus visus est sibi  
Paullum audire hæc dicentem; Quid agis Fran-  
ciscie? cur tuam non defendis familiam? cui il-  
le, Quid faciam? nihil habeo præter crucem: &  
hæc ipsa me admonet de patientiā seruandā.  
Tum Apostolus hortari, ne tantam ferret iniu-  
riam, suumque ei offerre gladium. Territus  
Ædituus, simul ac illuxit, accurrit in templum;  
certoque vidit vtramque imaginem insignia

Cum iniuria mul-  
torum.

inter se cominutasse: ac in Paulli dextrâ crucem adhuc esse; Franciscum verò gladium habere cruore stillantem. quod dum secum tacitus miraretur, increbuit rumor, Episcopum illum, qui eius consilij auctor fuerat, repertū esse mortuum præcisâ cervicibus. Ac ipse quoque nocturnum visum narrare cœpit: ac pro eius fide ipsas imagines omnibus ostentare. *Sub uno exemplo, causam ago omnium Ordinum, & institutorum Ecclesiasticorum. omnes invidentiæ & iniuriæ expositi. Et quia iniuriæ oportuno nos; magis adpetimur, quieti, placido ingenio, metuentes magis quàm metuendi: iniuriam acceptam ignoscere malumus, quàm persequi. Deus ipse aliquando causam nostram, imo suam ager: qui in nostra iniuriâ despicitur, vlciscetur eos qui nobis nocere conantur.*

Qui vitia obser-  
vant, non  
merita.

*Verùm ne causæ deesse videantur suæ, vitiligatores illi vitia nostra nobis obijciunt, ex aliorum lapsu facientes lucrum, sicut ex vlcere muscæ. Sed & vitis Christi palmites habuit vitiosos. Non continuo profectò extirpat vititor expertus vitem vitiosam: sed curiosè prius purgat eam, ut fructum plus adferat. Nimum oculati vos, ubi non videre oportet, vel saltem humanam miseriam commiserari, cum accidit aliquid humanum. Perit aliqua navis in portu: sed tu quid accidere in medio mari credis? Quanto huic periculum paratius foret multa agenti, molienti quæ, cui ne otium quidem tutum est! Pereunt aliquando innocentes, quis negat? nocentes tamen sapius. Sed claudite mihi paulisper sinistrum illum oculum, & dextrum aperite cum ambabus auribus. Audite olim dictum, in vos torquendum: Quid scavitis? quid excacamini studio partium? quid tanti erroris longâ*

Ioan. 11.

Sen. epist. 14.

Aug. de moribus Eccles. Cartho. 3, 10, 1.

longâ

longâ defensione implicamini? fruges in agro, frumenta in arêa quærite : apparebunt facilè, seseq; offerent ipsa quærentibus. Quid nimis in purgamenta oculos intenditis? quid ab optimi horti vbertate imperitos homines sepium asperitate terretis? *Ceterum ut ipsi naturâ malisic ipsa mala non in nobis, sed in aliis curiosius obseruamus.* cum ita naturâ comparatum sit, vt altiùs iniuriæ quàm merita descendant. & illa citò defluât, has tenax memoria custodiat. *Pergo nunc ad reliqua propositi exsequenda.*

*Dixi quæ facies Ecclesiæ D. Francisci sæculo, quanta deformatio ab hæresi, & pernicioso illo dissidio: contra quæ, sicuti hostes infestissimos, S. Dominici & S. Francisci ordines deducti sunt. Et quidem omnium iudicio, in hæresi conuincendâ S. Dominicus primas tenuit, quas nos quoque ei libenter deferimus, ipsi, meritis eius & virtute singulari concessas. Enimuerò obortam apud Tolozates Albigensum hæresin, Innocentio Tertio procurante, (quod Platina scribit) mirâ celeritate com-*

*pescuit. Teste Ioanne Garzone Bononiensi, annos decem Galliam Narbonensem peragravit, prædicando, populos docendo, eosq; ab hæresi reuocando. Nemo vniquâ inuentus est, qui cum hæreticis tam forti, & tam constanti animo arma contulerit. Tradit Iacobus Bergom. quòd Ordo S. Dominici cõtra hæreticos extinguendos impetuosissimus, audacissimusq; habitus sit. Itaq; à predicatione, quam S. Dominicus orsus est contra hæreticos, familiæ suæ noue nomen indidit, (vt testatur Polidor. Virgil.) vti longè latèque omnibus terris Euangelium diuulgando, diceretur Fratres Predicatores. Nullus namque ordo (ante Thomæ Thoma Boz.) certus fuerat, cui propositum*

Sen. r.  
de ben.  
cap. 7.

Inno-  
cent. III.  
In vita  
S. Domi-  
nici a-  
pod A-  
loisium.

Lib. 13.  
Supp.  
hisor.  
ad annũ  
1117.

Lib. 7. de  
In. tet. 4

Lib. 9. de  
fig. Ec-  
cl. 10.

S. Domi-  
nici vir-  
tus in re-  
lenda hæ-  
resi. Albi-  
gensum.

foret, in primis, hæreticos profligare: quocirca Dominicus aduersus hos, Ordinem suum constituit, cui foret hæc præcipua cura, illos retundere & perdere. Illi ergo primari in hoc sacro bello milites: Secundari fuere fratres Minores. Quantum laborauerit S. Antonius à Paduâ Ordinis Minorum, ut Albigensium reliquias, tum Italiâ, tum Galliâ, maxime verò Tolosâ depelleret & profligaret, quantâ concionû frequentiâ & fructu, quantis miraculorum prodigiis, hæresiarchas conuinceret, cognosces, si te non pigeat historiam uitæ eius legere, præsertim capite septimo & quartodecimo. Scribit S. Antoninus anno salutis millesimo ducentesimo quadragesimo secundo, fratres Prædicatores simul & Minores missas ad partes Tolosanas, qui in hæreticos inquirerent: qui ab ipsis hæreticis martyrio coronati, à Deo miraculorum gloriâ decorati sunt. ut rectè memoria tradiderit Platina, Inuère Innocentij Tertij Pontificis virtutem & doctrinam, beati Dominici, vnde Prædicatorum; & Francisci Assisianis sanctitas, vnde Minorum Ordo tum originem habuit.

Vides quâ ratione priori malo, hæresi illius temporis obuiam iuerit diuina providentia. Dicâ nunc quâ alterum, dissidium scilicet cum Ecclesia, medicari conata sit: nempe operâ & adiutorio B. Francisci. Is vidit ætate suâ, (certè intellegere potuit, paullo ante se) à Frederico Primo, inductum schisma. Vidit postcâ Frederici Secundi hostilitatē aduersum Romanos Pontifices, à quibus diris petitus & excommunicatus fuit; in cuius aulâ aliquando versatus pro illius bono, cuius imperij anno quindécimo ex hac vitâ migravit. Prauidit etiam (teste Barptolom. Pisano) diuturnum illud schisma Urbano Sexto Pontifice subortum, quod durauit tri-

Apud  
Sutrium  
1. l. 11.

Histor.  
Ter. par.  
tit. 14. c.  
9. §. 1.

Inno-  
cen. III.

S. Fran-  
cisus vi-  
dit schis-  
matam  
Ecclesia.  
alis pra-  
uidit.

Câfor.  
fruct. 18

ginta nouem annis, adusque Martinum quintum,  
 Constantiæ sublatâ dissensione delectum. Vidit pe-  
 riculum, remediū adhibuit in instinctu diuino. Nam  
 cum nulla sit reliqua spes salutis, si hæresis discin-  
 dat, si schisma inconsutilem Domini tunicam dila-  
 ceret: (dissensum generant tum à fide, tum à Sede  
 Apostolicâ; vnde certa mors, certa perditio.) totum  
 se contulit ad Romanam Ecclesiam purâ & solidâ,  
 indiuiduâ & stabili fide, cum obseruantia summâ  
 colendam, quod facere debent, qui volent esse Chri-  
 stiani & salui. Itaque fratres suos ex voto viuere  
 voluit obediētes Ecclesiæ Romanæ, vti ceteros om-  
 nes in fide illius & obseruantia studiosius confir-  
 marent. In initio prioris Regule, quam Innocentius  
 Tertius adprobauit, votum præformauit hac for-  
 mulâ; Frater Franciscus, & quicumque erit ca-  
 put istius Religionis, promittit obedientiam &  
 reuerentiam domino Innocentio Papæ, & eius  
 successoribus obedire. Item in initio regule poste-  
 rioris, quam Honorius Tertius confirmauit: Fra-  
 ter Franciscus promittit obedientiam & reue-  
 rentiam domino Papæ Honorio, & successori-  
 bus eius canonicè intrantibus, & Ecclesiæ Ro-  
 manæ. Signatè inquit, canonicè intrantibus,  
 Schisma cautè vitandum subindicans. Vides, si  
 animaduertis, istiusmodi votum obedientiæ, Ponti-  
 fici Romano, & Ecclesiæ Romanæ, à se, à toto Ordi-  
 ne suo seruandæ, in suâ Regulâ, ante omnes insti-  
 tuisse. Et profectò nobilis sponso: cuius obseruatiâ,  
 sicuti certo signo discernuntur oues & lupi, hæreti-  
 ci & Christiani. Quapropter teste S. Bonauentu-  
 râ, Docuit fratres honorare præcipuâ reueren-  
 tiâ Sacerdotes: fidei quoque veritatem, secun-  
 dum quod sancta Romana tenet & docet Ec-  
 clesia, & firmiter credere, & simpliciter confi-

Contra  
 que regu-  
 lam præ-  
 formauit  
 sua.

Cap. 1.

Cap. 4.

§ 1.

Pro fide  
 Rom. Ec-  
 clesiæ  
 tenendâ.

teri. Vnde etiam in laudibus S. Francisci canimus, Franciscus vir Catholicus, & totus Apostolicus Ecclesie teneri fidem Romanæ docuit: presbyterosque monuit præ cunctis reuereri. Nota, quamobrem Seraphicus Ordo in odio sit: Romanus est, & Romanae fidei acerrimus propugnator. Merito sanè: quia Romanum esse, est Catholicum esse, & Christianum. & soli Catholici Christiani. id verum esse, qui priscos illos Christianos vel à limine salutauit, negare non potest. Acutè Tertullianus suo more, sic nostram confirmat sententiam: Si hæretici sunt, Christiani esse non possunt: non à Christo habendo, quod à suâ electione sectari, hæreticorum nomine admittunt. Christum ore quidem præferunt: sed fidem Christianam impietate violarunt. Verè B. August. Nominatenus inuenitur Christus apud quoslibet hæreticos, qui se Christianos vocari volunt: re verò ipsam non est apud eos. Sed, o Deum immortalem, ubi Christus, ubi Christi fides, si non Romæ de qua Tertullian. Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt! ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur; ubi Paullus Ioannis exitu coronatur! ubi Apostolus Ioannes posteaquam in oleum igneum immersus, nihil passus est, in insulam relegatur. Signatè inquit, statu felix: ut, (quod scribit grauissimus auctor Episcopus, & martyr Cyprianus;) cogites eos esse Romanos, ad quos perfidia habere non possit accessum. Ibi pietas semper stetit, nunquam succubuit. A Christo defecere aliorum Apostolorum Ecclesia, non Petri. & certum est illud Beati Hieronymi; Profligato à sobole malâ patrimonio, apud illos solos incorrupta patrum seruetur hereditas. Soliditas enim illius fidei, quæ in Apo-

Qua sola  
Ecclesia  
Christi.

Adquam  
perfidia  
non potest  
habere  
accessum.

\*De piq  
script.  
cap. 17.

Enchy.  
c. 6.

\*De piq  
script.  
c. 16.

Epist. 51

\*Epist. 17  
ad Da-  
mas. 104  
† Leo 1.  
Ser. 2. in  
annuet.  
suæ 25.

Leo 1.  
adu. p.  
sum.  
Ma.  
Luc.  
11.

Deu.  
9.

\*Leo  
1. de  
tali  
& P.

Apostolorum Principe est laudata, perpetua est: & sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit. *Sape quidem à Tyrannis, ab hæreticis vehementissimos est perpeffa insultus: Semper tamen illa quamvis afflictæ & pressæ, fortiùs respiravit, emerfit. neque ullis fluctibus tempestatum, aut procellis, Petri nauicula submergi vel opprimi potuit. Infelix miselle*

Niteris in cassum Petri submergere nauem: Fluctuat, ast numquam desinet esse ratis.

*Fluctuat illa nauis, non mergitur.*

Leo 1 X. Nam Romanæ Ecclesiæ fides per Petrum super terram ædificata, nec hæctenus defecit, nec deficit in sæcula, Christo eius domino rogante pro eâ, ceu testatur sub ipsâ passione suâ, Ego rogavi pro te Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Quo dicto demonstraui, fidem fratrum vario defectu periclitandam: sed inconcussâ & indeficiente fide Petri, velut firmæ ancoræ subsidio figendam, & in fundamento vniuersalis Ecclesiæ confirmandam. quod nemo negat, nisi qui euidenter hæc ipsa verba veritatis impugnat.

O felix Roma, quæ tantorum principum Es purpurata pretioso sanguine! Non laude tuâ, sed ipsorum meritis, Excellis omnem mundi pulchritudinem.

Deut. 17 Tu ille locus, quem elegit Dominus Deus. in te iudex, qui iudicat iudicij veritatem: cuius sequenda sententia est, nec declinandum ad dextram, neque ad sinistram. Quondam orbis domina: & nunc latius præfides religione diuinâ, quàm tunc dominatione terrena. Quamuis enim multis aucta victoriis ius imperij tui, terrâ, mariq; protuleris: minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit,

*Romæ orbis domina, religione diuina.*



didit, quàm quod pax Christiana subiecit. *Et quidē sic sentiunt de Ecclesiā Romanā prisce Christiani omnes: ut atate priores, ita fide & doctrinā Christi puriores. ac valde mirarer, castra Ecclesiæ deserere, qui iniecto animo legit veterimorum monumenta patrum: nisi scriptum esset, Excæcauit illos malitia eorum. Inuidia cæca plus valet apud plerosq̄, quàm gratia beneficiorum.*

*Mitto hæc. causse iugulum peto: paucis commemorabo, cur pro gratiā, Romana Ecclesia tantam inuenerit inuidiam, apud nimis multos. Vocant Antichristi sedem, Babylonia regnum, meretricem magnam, illam qua sedes Christi, ciuitas Dei, & sponsa agni est. Sed antiquum obtinent: & consuetum bonos ab improbis referre conuitia, quorū lingua moribus consonat: & impurus ipse sermo satis arguit illorum turpitudinē. Neg, tamen ignominia nobis est pati ab illis, qua à fratribus suis passus est Christus: nec illis est gloria aduersum nos facere, quod aduersum Christū fecere Iudæi. Illud notum est, Si patrem familias Bēelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius? Ceterū felix Romā, video in te, præter alia bene multa, qua meritò me in tuo gremio teneant, Sacerdotum continuam successionē, à Petro adusque nostra tempora, nullis persequutionibus tyrannorum, nullis impugnationibus hæreticorum interruptam: & supremam tibi à Christo datam iudicandi potestatem. Non potuit unquam, sed nec poterit contra te obtinere illud serpentis iam olim contritum, & deinceps semper à mulieris semine conterendū caput. Christus pro te rogauit, ne tua deficiat fides: nec aduersum te porta inferi praualeant. Fremit Leo rugiens, & venena diffundit callidus serpens: ira & inuidia impatientissimus, vires suas omnes, & machi-*

*In quam  
loquuntur  
multi  
currunt.*

*in machinas frustra esse videt: ferre debet, pati non potest. Audi & caue aspidis letifera sibilu & mortuum: Purior olim Romanensis Ecclesia: nunc facta desertrix, ab auita Apostolorum fide & pietate degenerauit. Apostolica illa Ecclesia, quae fuit omnium gentium, iam non est, periit. Hoc dicunt, qui in illa non sunt. O impudentem vocem! Illa non est, quia tu in illa non es? vide ne tu ideo non sis: nam illa erit, etsi tu non sis. Clamant tamen haec illi plenis buccis, & vociferantur: sed rumpantur licet, probabunt numquam. Vos rogo, boni viri, Quando igitur hanc fidem Roma perdidit? quo tempore? quo Pontifice? qua via? qua vi? quibus incrementis urbem & orbem religio peruasit aliena? Quas voces, quas turbas, quae lamenta progenuit? Omnes orbe reliquo sopiti sunt, dum Roma, Roma inquam, noua Sacramenta, nouum sacrificium, nouum religionis dogma procuderet? Nullus exstitit historicus, neque Latinus, neque Graecus, neque remotus, neque citimus, qui rem tantam vel obscure iaceret in Commentarios? Verba haec fortissimi martyris pondus habent. libra. & si potes, ad haec responde.*

*Pressius agam. & tangam vlcus, vt educam inuidie saniem, si fieri potest. Quis initio nascentis Ecclesiae hereses damnauit? quis Simonem magum omnium haereticorum patrem, & mali illius corui oua mala protriuit? Petrus Apostolus. Quis Montanum, Nouatum, Sabellium, Manetem? Petri successor, Romanus Pontifex. Quis Arrium, Aërium, Macedonium, Vigilantium, Eluidium, Pëlagium, rabidas pestes exstinxit? Pontifex Romanus. A qua Sede proscripti Orientales Nestoriani, Itonomachi, nisi à Romanâ? Illa caput draconis secat.*

Fidem nō  
mutauit.

Aug.  
con. 1. in  
Pfal. 101.

Edmon.  
Camp.  
tat. 7.

Hereses  
omnes  
perfidie  
damnant.

cat.

cat. Illa Berengarium, illa Pauperes Lugdunenses, illa Albigenſes, & cetera renaſcentia hydræ capita abſtulit enſe poteſtatis à Chriſto tradita. Iam verò Bohemos illos, Huſſitas, VVicleſiſtas, deniq; Memnonem, Lutherum, Calvinum, aſpidum ouis antiquarum incumbentes, & vomitus illorum canum reſorbentes: (nil noui adferre poſſunt, quod non antea inductum, ſimul & cōdemnatum fuit) quis hos hæreticos pronūciauit? Chriſti Vicarius, Petri ſucceſſor. eadem illa Sedes, ipſa met Roma: quæ ab omni auo hæreſes omnes condemnauit, proſtrauit, profligauit. An non hæc ipſa cauſa inuidiæ & hoſtili-

*In inuidiã tatis? Vera & præcipua. Faceſſat inuidia: & tandem aliquando in gratiam redite.* Quicumque Hieron. epist. 177. co. 11.

extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in arcã Noë non fuerit, peribit regnante diluuiò. Quicumque cum eã nõ colligit, ſpargit: hoc eſt, Qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. Ita ſentio: & in hoc ſenſu perpetuum ut me confirmet, in tanto errorum diſſenſu, Summum Deum ſupplex oro, cum animo meo ſæpe reputans B. Egedy tertij D. Franciſci ſocij diuinam ſententiam, O ſancta Romana Eccleſia! nos inſipientes & miſeri, non cognoviſimus te, neque bonitatem tuam: Tu nos doces viam ſalutis; tu paras eam: per quam ſi quis pergit, non offendit, ſed ad gloriam aſcendit. Huius rei gratiã ſtecto genua ad Deum Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & gratias ago, quòd è tot tantisq; Babiloniis erroribus, quibus inter ſe populi colliduntur, & tenebris diſſectarum ſectarum erutum, tranſulerit in Dei lumen & regnum. & quod ſuprà eſt, in eum ordinem adlegerit, cui pro fide & obſeruantia Eccleſiæ Romanæ, contra hæreſes omnes, aduerſum pernicioſa ſchiſmatum diſſidia, bellum facere, pugnare, S. Aug. Ter. pat. hiſt. ut. 14. ca. 7. §. 11.

gnare, & (sicuti multi nostrum fecere ut olim, ita etiam hac tempestate nostra) vitam profundere cum sanguine, in votis est.

§. 1. Perlectum est Euangelium illud.] In-  
ticipio capitis secundi ostensam, qui eius cultus & ve-  
stis, quâ usus biennio à conversione. Nunc audito  
Euangelio, ubi Christus in suis discipulos ire sine  
pecuniâ in zonis, absque perâ in viâ, calciamentis,  
& virgâ: posito eremitico habitu, induit fere eius  
forma vestem, qualis nunc à toto ordine usurpatur,

Confor.  
fruc. 8.

ut deserit scribit Barp. Pisanus. Itaq; anno Domi-  
ni millesimo ducentesimo nono, quod S. Antoninus  
testatur, secundum opinionem veriolem, in la-  
pide isto fundamentali, Ordo fratrum Mino-  
rum initium & fundamentum accepit.

Ordo Mi-  
noru quâ-  
do in cepto  
vit.

Hic par.  
ter. ut. 23  
77.

2. Cœperunt ipsius exemplo viri quidam ad  
pœnitentiam animari.] quorû primus Bernar-  
dus. hic quâ ratione à S. Francisco inductus, ut  
contemptis omnibus, nudus Christum sequeretur ex  
prescriptio Euangelij, docet S. Antoninus, verbis  
quidem non admodum compositis; sed in quibus se  
virtus ostendit, inquit: S. Franciscus cum sic à  
mundo abstractus, à multis reputatus infans,  
per duos annos in maximâ austeritate, pauper-  
tate, & patientiâ, soli Domino deseruiret, vir  
quidam venerabilis de nobilioribus pruden-  
tioribus, & ditioribus ciuitatis Assisij Bernardus  
nomine, cuius consilio tota ciuitas illa regeba-  
tur, prudenter considerans in B. Francisco tan-  
tum mundi contemptû: diuino instinctu ipsum  
ad secum cœnandum, & dormiendum deuotè  
inuitauit, ut eius sanctitatem, vel fatuitatè me-  
lius explorare valeret. Factâ cenâ dominus Ber-  
nardus fecit parari lectum pro B. Francisco in  
suâ camerâ, in quâ iugiter lampas ardebat. San-  
ctus

Indide.

Bernar. 2  
Quintâ  
uale pri-  
mus Mi-  
nerida.

S. Ant. 6.  
Ter. par.  
Hic. ut.  
4. ca. 7.  
11.

Etus autem Franciscus statim ut intrauit cameram, ut absconderet diuinam gratiam, proiecit se in lectum, velle dormire se ostendens. Dominus autem Bernardus posuit in corde suo; latenter eum obseruare de nocte: vnde tali vsus est cautela. Cum aliquantulum in suo lecto quieuisset, finxit se alte dormire, & profundissime stertere. Sanctus autem Franciscus secretorum Dei absconditor fidelis, cum crederet dominum Bernardum profundè dormire, in profundo noctis silentio surgit è lecto: & leuata facie in caelum, manibus & oculis ad Deum totus intentus, & feruenter ignitus, deuotissime orans dicebat,

DEVS MEVS, ET OMNIA.

Et haec verba cum tantis lacrymis geminabat ad Deum, & cum tam deuota morositate frequentabat, quod vsque ad mane aliud non dicebat, nisi Deus meus, & omnia. Bernardus autem lampade ibi accensa, cuncta haec videns, & verba diligenter intelligens, & Sancti deuotionem perpendens, tactus à Spiritu sancto in medullis cordis intrinsecus, mane facto, dixit ad B. Franciscum; Si quis à domino suo haberet multa vel pauca, & nollet ea amplius retinere; quid de ipsis agere posset quod melius est? Respondit B. Franciscus, quod ea domino suo reddere deberet, à quo eadem recepisset. Et dominus Bernardus; Ego frater Francisce, omnia mea bona temporalia volo erogare amore Domini mei, qui mihi ea contulit, prout tibi melius videbitur expedire: & te sequi, & facere quaecunque mandaueris. *Exscripsi ex S. Antonino. Ille ex Speculo vitae S. Francisci, & sociorum. siue Bartholomaeo Pisano Conform. fructus S. Atque deinceps factum*

*Trahitur  
p. 121  
Francisci*

*Bartholomaeo  
Pisano  
Conform.*

factum quod S. Bonau. hoc paragrapho commemo-  
rat. Inuat ponere verba Sanctorum: in quibus plus  
energie mihi videtur, quam ceteris. Secundum  
artem non scripserunt, sed secundum gratiam,  
quæ supra omnem artem est. Res etiam plus va-  
lent, quam verba. Ceterum qui Christi amore pa-  
rentes reliquisti, opes, sacerdotia: pro nihilo puta,  
aliquando relinquenda nolenti. Merces illa magna  
te soletur: quoniam teste B. Ambrosio, Sanctis om-  
nia Deus est. & contra. Omnis copia quæ Deus  
non est, egestas est.

Candore pectoris Bernardi aperiunt verbis. Ma-  
ruli. Ab oculis Bernardi à Quinta-valle (hoc  
illi nomē) veluti duabus lucidissimis stellis, miri  
splendoris radios promicare in visu conspexit  
F. Leo: quod nemine quodam intuitus fuerat,  
quem se meliore non iudicaret. Fertur enim, si  
quem vili veste tectum aspiceret, sibimet dice-  
re solitus; hic patientius paupertatem tolerat,  
quam tu Bernarde. & si quem pretiosius indu-  
tum; hic fortè sub veste delicatâ melior est,  
quam tu Bernarde. Merito igitur illi oculi ra-  
diarunt, quorum aciem nulla vniquam teme-  
rarij iudicij hebetauerat lippitudo, & semper  
integram, puramq; conseruarant veræ sanctæq;  
collyrium humilitatis.

Diligebatur Bernardus à S. Frãcisco præ ceteris:  
quia facile princeps ciuitatis Afsis, & magnarum  
opum, omnia pauperibus liberaliter dedisset, se Deo.  
vt merito S. Frãcisus dixerit, ipsum Ordinis Mi-  
norū fundamenta iecisse. Is moribundus inter alia  
fertur dixisse fratribus, Quo loco fui, vos nunc  
estis: & quo nunc ego, vos aliquando futuri. In-  
uenio in animâ meâ, quod pro mille mundis  
æqualib. isti, nollé nō seruisse Dño Iesu Christo.

O

3. Inter

Amb.  
ep. 63.Ep. 56.  
Lib. 11.  
Conf.  
c. 8.Lib. 1.  
dictor.  
factor.  
memor.  
cap. 1.Animi in  
eo puritas  
& candor.Barpt.  
Pisan.  
Confor.  
fruc. 8.

3. Inter quos tertium sortitus est locum sati-  
 Etus pater Ægidius.] *Laurent. Sur. 10. 7. ad diem*  
*Aprilis 23. copiosè historiã vitæ eius persequitur,*  
 è quibus nonnulla visum excerptere. Cum didicif-  
 set è ciuibus suis dominum Bernardum virum  
 urbis Afisij primarium, & dominum Petrum  
 summæ ædis ibidem Carionicum, rebus suis in  
 pauperes erogatis, sancti Francisci complexos  
 institutum: octiduo post, diuino instinctu per-  
 motus, venit ad S. Franciscum, modis omnibus,  
 ad eius viuendi rationem se accommodaturus.  
 Porrò S. Francisco cum Ægidio eunte Afisium,  
 vt compararet pannum, quo Ægidius vestire-  
 tur, obuiam ei venit mulier paupercula, stipem  
 ab eo petens. Sed cum nihil suppeteret, quod ei  
 daret, angelico vultu versus ad Ægidium, De-  
 mus, inquit, carissime, huic feminae propter  
 Deum, pallium, quo indutus es. Ille mox hila-  
 riter dedit pallium mulieri: simul autem vide-  
 batur ei, elemosyna illa caelos penetrare. sen-  
 sitque se ingenti quodam animi gaudio perfu-  
 tum: *his talibus inuis & incrementis maximarum*  
*virtutum, (vt scribit S. Bonau.) ad excelsæ con-*  
 templationis sublimatus est verticem, & sum-  
 mam Theologiam. & opera pretium mihi videtur,  
 eius nonnulla argumenta delibare, simul etiam sa-  
 lubria monita in gratiam candidatorũ Ordinis Se-  
 raphici: vt verum esse videas quod de eo scribit  
 S. Antoninus. Postquam Dei seruus Ægidius  
 in laboribus vitæ actiuæ viriliter defudauerat,  
 mortificando passiones sensitiuæ: à copulâ Liæ  
 oculis lippis, transiuit ad amplexus Rachelis  
 contemplatiuæ, quæ pulchrâ erat facie, & ve-  
 nusto adspectu, vt vir perfectissimus, ad magnâ  
 requiem mentis, & consolationem.

Primò

Ægidius  
 Tertius si-  
 lius S.  
 Fran.

Alta eius  
 Theologia

hæc lo-  
 co.

Histor.  
 Ter. pat.  
 tit. 24.  
 7. 8. 12.  
 Gen. 29.  
 & 30.

Ibe  
citaro.  
Ioan. i. i

Primò dicendum, quod S. Antoninus refert, de initio Euangelij secundum Ioannem, In principio erat Verbum, &c. Duo fratres Dominicani venerunt inuisum F. Egidium: cumq; inter se admodum diuina miscerent colloquia, & ex occasione alter diceret S. Ioannem Euangelistam in Euangelij exordio alta & sublimia dixisse de Deo: Egidius inquit, imò nihil dixit. At illi, Quid dicis pater? cum testetur S. Augustinus, si sublimius esset locutus, totum mundum non posse capere. Ille rursus, Nihil dixit de Deo, aut certè propè nihil. Commotis illis rem declarauit similitudine, ostendens victimum monte maximum. Is inquit, si totus ex milij semine cõstaret, & passerulus de eo quotidie comederet: quantam putas portionem eius consumeret centum annis? quib. respondentibus fere nihil comparatione reliqui montis: inquit B. Egidius, immensa est sempiterna Diuinitas, diuina maiestas, tam magnus est diuinæ mons perfectionis, vt B. Ioannes nihil, aut ferè nihil sicuti vnus passer, de eo nobis attulerit, dixeritq; de Deo, respectu magnitudinis illius.

De initio  
Euangelij  
secundum  
Ioannem.

De predestinatione, dignum quod animaduertas, vel eorũ gratiã, qui animi nimium anxij, dum considerant predestinationis decretum mutari non posse. Quod licet verum: tamen que supra nos, & à nobis sciri nequeunt, nec nos scire decet, animos nostros fatigare non debent. potiùs que ante nos, & in conspectu posita, consideranda esse. Destinatũ ad mortem, peruenire ad vitam non posse, fatemur: neque enim falli potest omnium rerum certissima diuina prouidentia. Sed verum est etiam quod tu hinc velim aduertas, vix vllum lignum tam nodosum esse, quin edolando vsui fiat. Exemplo esto F. Elias: quem ex præscito factum prædestina-

De ora-  
destina-  
tione.



tum precibus S. Francisci, scribit *Volaterranus*. <sup>Lib. 21</sup>  
*Docet etiam S. Antonin. Pœnituit eum malorum,* <sup>Anthro.</sup>  
*& saluatus est. Nouit Dominus mutare senten-* <sup>Histor.</sup>  
*tiam, si tu noueris emendare delictum. inquit* <sup>pat. 3-</sup>  
*S. Ambr. Itaq, considera non alta illa, sed qua ante* <sup>tit. 24.</sup>  
*te: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim* <sup>c. 9. §. 3.</sup>  
*regnum cœlorum. Item, Si vis ad vitam ingredi* <sup>In 1. cap.</sup>  
*ferua mandata. Hinc F. Aegidius opportunè cu-* <sup>Luc.</sup>  
*riosius de prædestinatione quærenti, in hunc modum* <sup>Mar. 14</sup>  
*fertur respondiſſe; Sufficit ripa maris ad lauan-* <sup>Ind. 19.</sup>  
*dum pedes, manus, & totum corpus. Stultus est* <sup>17.</sup>  
*qui altum profundumq; petit. Sufficit scientia*  
*ad bene viuendum: nimis alta non quærenda.*

De per-  
 petua B.  
 Maria  
 castitate.

*Dive Virginis Matris illibatam, & perpetuam*  
*virginitatem, illustri comprobauit miraculo. Du-*  
*bitanti cuidam, & ut confirmaretur à B. Aegidio,*  
*illum adeunt: ante omnia uerba, Aegidius præsciens*  
*dubitationis illius, terrâ baculo percutiens, inquit,*  
*Frater, S. Maria Virgo est ante partum. moxq;* <sup>Barp.</sup>  
*illic ortum est elegans lilium. Iterum humû ca-* <sup>Pisan.</sup>  
*dens, inquit, Frater, S. Maria Virgo est in partu.* <sup>Côfor.</sup>  
*& confestim alterû erupit. Tertio solum feriens,* <sup>fruct. 8.</sup>  
*ait, Frater, S. Maria Virgo est post partum. si-* <sup>cap. 23.</sup>  
*mulq; tertium lilium enatum est. quo prodigio ille* <sup>Sent. 5.</sup>  
*confirmatus, ad se discessit.* <sup>Aegid.</sup>

De obe-  
 dientia.

*Votorum monasticorum fuit obseruantissimus,*  
*& seuerus assertor. nec sine fructu de tribus votis*  
*principalibus salubria eius monita in medium pro-*  
*ducam. primum de obedientiâ. Frater quidam que-*  
*rebatur mitti se mēdicatum panem, cum tamen ipsi*  
*videretur meliùs orationi vacare. cui B. Aegidius,*  
*Signum est superbiæ nolle caput subdere iu-* <sup>Barp. Pl.</sup>  
*go obediētia, & inde extrahere: ut uiam ingre-* <sup>fan. vbi</sup>  
*diatur, quæ sibi videtur perfectior. Quamdiu* <sup>sup.</sup>  
*vos tenet sub iugo caput, implet horrea fru-*  
*mento.*

mento. Si tantâ esset deuotione homo, & gratiâ eleuatus, vt loqueretur cum Angelis; & à suo Prælato vocaretur: statim debet colloquium Angelorum dimittere, & Prælato protinus obedire.

*De paupertate. Oſtentabant B. Aegidio quondam* De paupertate.  
*fratres magnificum illud monasterium Aſiſij: at il-*  
 le omnibus diligenter inſpectus, inquit, Fratres, nihil vobis deest, nisi vxores. Quibus commotis rursus ait, Scitis tam illicitum esse, dispensare in paupertate, quàm in castitate. Postquàm verò paupertatem reieciſtis, facile reicere poteritis & castitatem.

Indidé. *De castitate. S. Antoninus. Interrogauit Aegid-* De castitate.  
*dium vir quidam, quo modo cauere poſſimus vitia*  
Hist. par. ter. tit. 24. c. 7. §. 12 *carnis. reſpondit, Qui vult transferre magna saxa,*  
 vel ligna, studet id efficere ingenio potiùs, quàm viribus. Ita hîc quoque. Omne vitium lædit castitatem: est enim sicut speculû clarum, quod per solum halitum obscuratur. Impossibile est venire ad gratiam Dei, dum placet delectari in carne. Volue igitur, & reuolue, desuper & infra, hinc & inde: & non est aliud nisi pugnare contra carnẽ, quæ vult te prodere die ac nocte. quam qui vincit, omnes inimicos vincit, & venit ad omne bonum. Inter omnes ergo virtutes, prædiligere castitatem. Cui quidam, Nonne maior virtus est caritas? at ille, Et quid est castius caritate? Frequenter canebat, O sancta castitas, qualis es? qualis es? Tu talis es & tanta, qualem & quantâ fatui non cognoscunt. Dixit ei quidam, Quid tu vocas castitatem? ait, Castitatem voco omnes sensus custodire gratiâ Dei. *Sepultus Perusia multis claruit miraculis.* Castitas quid.  
*S. Bonauentura de eo dicere solebat, præstitum*

O 3 illi

illi à Deo, efficaciter optulari posse eis, qui ad anima suæ salutem eum inuocant. idemq. S. Bonaventura gratias agebat Deo, se in ea incidisse tempora, quibus hunc virum alloqui & videre potuit.

§. 4. Cuidam Sacerdoti, nomine Siluestro. Is fuit primus omnium in Ordine Franciscano Sacerdos. vt habet S. Antonin. Ter. par. histor. tit. 24. initio cap. 7.

5. In magnam multitudinē faciet nos Deus crescere. J Hieron. Plat. Tenue quidem & debile eius Ordinis principium: sed qui tam celeriter, quasi miraculo, excreuerit, vt paullo pōst in Generali conuentu Afifinate numerata sint quinque millia capita. atque eo ipso tempore quingenta simul adiuncta. Barptol. Pisan. eā de re scribens, testatur in illo primo Generali conuentu (Capitulum generale vocamus), qui Afisi agita-

Ordinis  
Asinorū  
incremētia

Lib. 2. de  
hō. stat.  
relig.  
c. 12.

Quinque  
millia, eo-  
que am-  
plius in pri-  
mo conuen-  
tu. quin-  
genti no-  
uiss.

Corfot.  
Euc. 19.  
& 24.

batur in campis, fuisse plures quinque milibus. & recipiendos ad Ordinem quingentos nouissos: quos S. Franciscus luculentā & vtili oratione, proposito hoc themate, in ordinem suum pertraxit:

Magna promissus: maiora promissa sunt  
Seruemus hæc: adspiremus ad illa. (nobis,

Voluptas breuis: pœna perpetua.

Modicā passio: gloria infinita.

Addunt hæc plerique,

Multorum vocatio: paucorum electio.

Omnium retributio.

Et illi intenti modò pietati & orationi, nullam curam gesserunt corporis, aut ciborū: cum nutu Dei, cui cura est de nobis; liberaliter à vicinis ciuitatibus omnes habitū sunt. Fusè hæc Barptolom. Pisan.

Raphael Volater. Auctus exinde paullatim Ordo: vt cunctis postea multitudine virorum præfuerit, & Sacerdotio, & doctrinâ, & sanctitate

Lib. 2.  
Antho.  
pol.

præ-

En. 9.  
lib. 6.

præcellentium. *In eandem sententiam Sabell. sic memorat.* Rarò, ac nescio, an vnquam veriùs dixerim; vllum humanæ pietatis institutum maiora sensit incrementa. totum orbem terrarum vna hæc impleuit familia. Franciscus Austracinus Theologicæ professionis homo, in iis cõmentariis, quos ad me de huiusmodi re dedit, sæpiùs testatur, difficile sibi videri, locorum numerum posse ab vlllo inueniri, sed multo difficiliùs initiatorum: qui vt idem ille, ceteriq; de eadem re à me appellati, coniecturâ adsequuntur, sint ad sexaginta millia numero. Sape & hoc fando auditum, Magistrum vniuersi Ordinis polliceri quandoque ausum Pio Pontifici Maximo, expeditionem in Turcos paranti, ex Seraphici Fracisci familiâ, triginta bellatorum millia, qui bellica munera nauiter obire possent, nihil sacrorû cultu interpellato. *Vixit Sabellicus anno Dom. 1494. De Samsonè Ordinis generati Ministro id scribit Pet. Radulph. lib. 1. bist. Seraphicæ Religionis. Iam verò nostro seculo, quot fuerint illius instituti professores, Romanus scriptor Thomas Bozius Cõgregationis Oratorij Presbyterorum, extremâ etate Gregorij Tertiodecimi, memoriæ tradidit, his verbis; Annus agitur propè quadringentesimus, ex quo S. Franciscus fuit. Obseruantium (vt vocant) Capucinatorum, & Discalceatorum fratrum, qui illius instituta sequuntur, numerantur etate nostrâ centum viginti millia. Feminarum dicunt esse duplum. Atque hi in summâ paupertate, castimoniâ, & obedientiâ, quam suis præfectis exhibent, innocentissimè degunt. Neque vlla fuit etas ferè, quæ non tot millia propè eorundem dederit. Alibi plures recenset; E solâ S. Francisci familiâ*

Numerus  
initiatorum  
superiorum  
huius familiaelib. 6.  
de signis  
Ecc. c. 31Et nostrâ  
etate.lib. 8.  
de signis  
Ecc. c. 6.

milliã numerantur virorum centum triginta millia: virginum verò duplo plura. His si adnumeremus patres Conuentuales, quorum multa cœnobia in Germaniã, Bohemiã, Poloniã, Graciã, sed maximè in Italiã; eruditione & magnis viris florentes. item tertia regule S. Francisci professores, quorum mihi in plerisq; locis monasteria si non plura, certè paria nostris visa sunt: tecum reputa, Ordo Seraphicus quanta acceperit incrementa.

Sed hæc de multitudine initiatorum cuiusq; instituti Seraphici, sexus viriusque communiter: dicam paucis speciatim de frequentia fratrum instituti nostri, quod vocant, de Observantiã. Sexto quoque anno agitur Capitulum Generale: ibi recensentur fratres mortui huius instituti tantum proximè elapso sexennio. Memoriã nostrã, minus numquam bina, sepe terna, quaterna millia, cog. amplius recensita. In Capitulo Vallisoleitano, quod anno Domini millesimo, quingentesimo, nonagesimo tertio celebratum fuit, relatum est, mortuos sexennio proximè præterito, septem millia, trecentos, quinquaginta sex, ex quo elicimus opinionem hominum plures esse.

Quo præstat ceteru.

ut rectè scripserit Ludouicus Granatensis, Ordinem D. Francisci vnicum plura fortassè intra se cœnobia, quàm reliqui omnes omnium aliorum ordinum, continere. Item rursus, Monachorum, monasteriorum, prouinciarum numero & multitudine, longissimo interuallo omnes alios ordines superare.

6. Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet. ] *Mar. Marulus*: Nudos ad prædicandum Apostolos miserat Dominus: & interrogati, an missis sine sacculo, & perã, & calceamentis, aliquid defuisset; responderunt, Nihil. Quid enim deesse potest iis, quibus adest ille, per

Ser. 1. de S. Franc.

Ser. 4. de S. Fr.

1. 4. c. 2. Mat. 10.

7. Luc. 11. 35.

per quem facta sunt omnia? *Talis spe & fiducia fretos, B. vir fratres suos misit in Domini messem.*

Ad duodenarium numerum excreuerunt.] *Christus Dominus habuit Apostolos duodecim, atque inter eos reprobum unum Iudam. Sic Beatus Franciscus duodecim habuit socios primos, quorum vnus laqueo se suspendit. ceteri sanctitate, & miraculis claruerunt in vita & morte. ut scribit Bartholom. Pisan. Conform. fruc. 8. & S. Antoninus Tert. pari histor. tit. 24. cap. 7.*

7. Videbat inter pedes suos palmam paullatim succrescere.] *Aull. Gellius. Rem mirandam Aristoteles in septimo Problematum, & Plutarchus in septimo Symposiacorum dicit. Si supra palmæ arboris lignum magna pondera imponas; ac tam grauiter virgeas, oneresque, ut magnitudo oneris sustineri non queat; non deorsum palma cedit, nec intra flectitur, sed aduersus pòdus resurgit, & sursum nititur, recuraturque. Propterea, inquit Plutarchus, in certaminibus palmam lignum esse placuit victoriæ: quoniam ingenium eiusmodi ligni est, ut vrgentibus, opprimentibusque non cedit. Palma Innocentio Tertio visa, Ordinem Seraphicum signabat, cui grauita multa imposta quondam, & nunc quoque imponuntur: sed palma quãuis pressa, tamen vincit semper, vincetq; iuuante Deo, Seraphicus Ordo armis suis. de quibus S. Ambrosius, Hæc sunt arma iusti, ut cedendo vincat, sicut periti iaculandi cedentes solent vincere, & fugietes grauioribus sequentē ictibus vulnerare.*

8. Videbat in somnis Lateranensem basilicam proximam ruinae, quam quidã homo pauperulus sustentabat.] *Hieron. Platus. Quod vilius, cum paulo post Franciscus ad Innocentium*

O 5 tium

<sup>a</sup> Noct.  
Att. 1. 3.  
c. 6.

<sup>Palma</sup>  
ingenium

Lib. 1.  
Off. 5.

<sup>a</sup> Lib. 2.  
de bono  
stat. re.  
lig. c. 30.

tium Tertium vnà cum suis adisset, nouam vitæ regulam adprobendam deferens; eo conspecto, eaque regulâ accuratiùs expensâ, nihil dubitauit Pontifex, quin ad ipsum, ipsi usq; familiam pertineret. idque exitus ipse demonstrauit. Nam non modò ætas illa, quâ primùm hic Ordo prodiit, mirabiliter eius operâ adiuta, & illuminata est: sed totis trecentis his, & septuaginta sex annis, quibus deinceps stetit, hoc semper egit, vt Dei Ecclesiam quasi fulciret.

*S. Franc.  
uentem  
sustentat  
Ecclesiam*

*Pro bono, vtiliq; mihi facturus videor, si de magnis illis viris paullo vberius dixerò, qui ex hoc ordine visi sunt columna Ecclesie fuisse. vt Summi Pontifices; multi Cardinales; Episcopi multo plures, Reges & Principes; & viri doctissimi, celeberrimiq;, optimè meriti de Republ. Christiana.*

*De Nicolao III.  
Pont.  
Maximo ex ordine Minorum.*

*Summorum Pontificum primus Nicolaus Quartus fuit, antè vocatus F. Hieronymus ab Asculonazione Picens: Philosophus, et Theologus insignis, ingenio subtilis, clarus eloquio: nec minus probitate vitæ quàm moribus conspicuus. Minister prouincie Dalmatie à Gregorio Decimo legatus missus est è Concilio Lugdunensi, cum tribus aliis eiusdem instituti Patribus, inter quos S. Bonaventura fuit; ad Michaelem Paleologum Græcorum Imperatorem, quem vnà cum Græcis ad abedientiam reduxit Romane Ecclesie. Quadraginta Græcorum Prælates subscripsisse dicuntur Pontifici Romano. Deinde eligitur in totius Ordinis Ministrum Generale. Tunc à Nicolao Tertio Cardinalis factus, paullo post Reate Pontifex renuntiat. Opimè (quod Hieron. Platus attestatur) de vniuersâ Christianâ re meritis, ob diligentiam, & vigilantiam in exsequendis omnibus officij sui partibus. Inter alia verò illud etiam insigne in eo existit, quòd*

*Græci ad Ecclesiam rediit: opera scripta Anno ram in Cons. Lugdunensi.*

*Lib. 4.  
de bono  
Statu  
lig. 6. 16.*

in

<sup>o</sup> Nicol.  
1111.

in cognatos & affines ita semper adfectus fuit, ut iis nihilo plus se debere diceret, quam cuius bono. Virtutes & vitia (quod scribit Platinus) Faciebant, ut in hunc magis quam in illum inclinaret. Itaque, eò facilius omnes suas curas in communibus Ecclesie commodis curandis, defixebat. Nam & multas discordias inter Christianos Principes auctoritate sua sustulit, eosque sacro fœdere vinxit. Aliquot Ecclesie civitates iniuste ab aliis occupatas, armis repetuit, & in potestatem iterum redegit. Quo autem animo illos honores sustineret, iam tum ostendit, cum dicere solitus esset, Multò se malle fratrum coquum esse, quam Cardinalem. Mortuus est anno Christi 1292. cum sedisset in Pontificatu annis quatuor, & aliquot diebus, sepultus Romæ ad S. Mariam Maiorem. Petrus Radulph. lib. 2. histor. Seraphica religionis hac etiam commemorat.

Eius modestia.

Alexander Quintus, alter ex hoc ordine Pontifex Maximus, dictus antea Petrus Philaretus, Cretensis nominatione, non natione: Bonomensis fuit: in Cretâ diu habitavit, unde Cretensis vocatus est. Vir in omni vitâ & ætate præstans, qui Ordinem Minorum ingressus, Parisiis operam dedit studiis liberalibus & Theologia: adeò ut breui publicam scholam habuerit. Scripsit etiam doctè & accuratè in libros sententiarum. Magnus Orator, magnus Concionator fuit. Creatur Episcopus Vicetinus, deinde Nouariensis, postremò Mediolanensis. Ab Innocentio Septimo adlectus in numerum purpuratorum Patrum, salutatur Cardinalis basilica duodecim Apostolorum. Hoc gradu Pontificatum adeptus, merito Alexandri nomen obtinuit: quippe qui liberalitate & animi magnitudine cum quocumque optimo principe cõferri posset. Munificus erat in pauperes, & suâ benignitate dignos, ut breui sibi nihil servauerit.

Alexander Quintus Pont. Max. alter.

Munificè in civ.

Lib. 1.  
de bono  
Statute  
lig. 1111.



uerit. Vnde per iocum interdum dicere solebat, se diuitem Episcopum fuisse, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem. in quo nulla pecunie cupiditas, maxima omnium perniciēs mortaliū. Mortuus est Pontificatus mense octauo. sepultus Bononię in Ecclesia fratrum Minorum. ex Platinā, & Petro Radulp. ubi supra hęc adnotauit.

Sixtus  
Quartus  
Pont. Ma-  
ximus  
Tertius.

A matre  
præuius  
Ordinis  
uestimen-  
tu.

Bessarion  
nu. necesse  
sarius.

Sixtus Papa Quartus nostri fuit Ordinis, vir æternā memoriā dignissimus. Natus est an. 1414. ad vada Sabatia, quam nunc Saonam vocamus, è gente Ruuere, quod Latine Roboream significat, ab insigni gentilitio clypeo, quod est quercu aurea expressum. Videre per somnium visa est mater, ante partum, editum infantem, à beatis Francisco & Antonio cucullum & cingulum indui, quibus Minores vtuntur: idcirco nomen Francisci illi impositum. Nutrix dum puerum in balneo lauaret, ibique puerum deficientem, ac penè mortuum, ad matrem detulisset: illa somnii memor, vouit se puerum induturum habitu S. Francisci, quem ipse sex mensibus gestaret. Conualuit puer voto matris: sed exacto trimestri, & habitu Franciscano posito, rursum incidit in grauem morbum, iam annū natus & paullo amplius. At mater repetito voto pro filij salute, incolumem recepit, quem nouennem obtulit cœnobio S. Francisci. Et mirum quantum profecerit in liberalibus studiis, Magistro fratre Ioanne Pinorale, eiusdem Ordinis professore. Papię vsus fuit præceptoribus Ioanne Textore, & Andrea Nolano viris doctissimis. ibiq. operam dedit Philosophiæ & Theologiæ. Patauij Philosophiā, deinde Theologiam publicè, maximā cum laude professus est. & in plerisque alijs Italię Academijs. Bessarion Cardinalis Nicenus docentem frequenter audiuit: eius familiaritate ad eò delectatus, vt frequenter vsi eodem fuerint

fuerint contubernio. Conciones eius ubique cele-  
 berrima & gratissima in totâ Italia. Creatur Mi-  
 nister prouinciae Liguria: deinde Procurator ordi-  
 nis in Romanâ Curiâ. Tunc Vicarius Generalis  
 Italia; postremum Minister Generalis Papiæ salu-  
 tatus est Cardinalis, qui Romam veniens ab omni-  
 bus humaniter est acceptus. Nihil eum curarum auo-  
 care potuit à consuetis studiis litterarum: illis adeò  
 affixus, ut in illo honore multos libros composuerit.  
 Tantâ doctrinâ fuit, ut huic vni ex cætu Cardi-  
 naliū, ad fidem spectantia potissimum committe-  
 rentur. Itaque meritis his & virtutibus, electus est  
 in summum Pontificem absens, adnitentibus ma-  
 ximè Bessarione Niceno, & Francisco Mantua-  
 no Cardinalibus. & mox ad rem Christianâ com-  
 ponendam animum adiecit. Tyrannos exegit: pacem  
 inter principes confederavit. Venetos iuuuit in ex-  
 peditione contra Turcos. & pleraque talia confecit  
 summo digna Pontifice. Nemo ad eam diem Potifi-  
 cum animo ad munificentiam liberalitatemq; pro-  
 pensior, nec in dando hilarior, nec in promerendis  
 hominibus promtior fuisse memoratur. Nihil um-  
 quam, quod Urbis decori & commoditati esse cense-  
 ret, quin perfecit. à situ & cæno vindicauit, viis  
 Urbis primū munitis, & lateribus stratis, disie-  
 ctis, quæ de formem reddebant. Xenodochium San-  
 cti Spiritus ab Innocentio Tertio peregrinis, agro-  
 tis, & vulgò conceptis, alendis exstructum, sed iam  
 penè collapsum, diruit, & pulcherrimis ædificiis,  
 formâ meliori instaurauit. Expositis pueris oportu-  
 num locum cum nutricibus adsignauit. Sed &  
 nobilium calamitate & aegritudine motus, seorsum  
 à plebe & vulgo, loca decenter ornata, adtribuit.  
 Magnus B. Maria Virginis cultor, nobile tem-  
 plum cum amplissimo cœnobio S. Maria de populo  
 Ordinis

Urbis Ro-  
 mæ in-  
 staurator.

Ordinis Augustinianorū à fundamentis exadificavit: & plerasque basilicas Urbis Romæ vetustate penè collapsas, repurgatas, confirmavit, condecoravit. Aqua ductus in urbem intulit. Pontem super Tyberim, miro artificio, maximis impensis, suspendit, qui ab eo Sixti pons vocatur. His talibus bene multis officiis in urbem collatus, merito Romulus alter appellatus est. Ad hæc Bibliothecā Palatinam in Vaticano toto terrarum orbe celeberrimam, Platina Bibliothecario, aduectis ex omni Europā libris, construxit: certos prouentus adhibens, quibus custodes, librarij Græci, Latini, & Hebraei aderentur, & varij libri parari possent. opus clarissimum, & Pontifice Maximo longè dignissimum. Nec his contentus, reliquis Cardinalibus auctor fuit, ut plerasque bibliothecas suo exemplo compararint. Obiit ætatis anno septuagesimo, Pontificatus supra diem quartum anno decimo tertio; Christi Saluatoris 1484. sepultus in basilicā S. Petri in Vaticano. hæc summam ex Onuphrio Panuino, & nonnullis qui de Vitis Pontificum scripsere.

Bibliotheca  
Vati-  
cana au-  
tor.

Platina  
Sixto  
Quarto

Sixtus  
Quintus  
Pontifex  
Maximus,  
quartus  
ex ordine  
Seraphico

Postremus ex ordine S. Francisci Pontificum, Sixtus Quintus, cui antè nomen, Felix Perettus, ex opido Montis Alti in Piceno oriundus. ab ineunte ætate susceptus in Ordinem Conuentualium, bonitate nature, & indefesso studio, Theologus summus, & celeberrimus concionator. Oratio eius tam flexanima fuit, efficax, & in animos influens, ut ferè semper meretricos aliquot reducerit ad meliorem frugem. Venetiis hereticæ prauitatis Inquisitor, Romæ fuit Procurator Ordinis Generalis. A Pio Quarto in Hispaniam missus cum Cardinale S. Sixti Legato Apostolico. A Pio Quinto creatus Vicarius generalis, mox Episcopus S. Agatha, tum Presbyter Cardinalis S. Hieronymi Illyricorum.

Nico-

Nicolao Quarto populari suo in aede S. Mariae Majoris, egregium monumentum posuit. Opera S. Ambrosij magno labore castigata, & ordine commodo distributa, meliora nobis edidit. Anno salutis 1585. summus Pontifex salutatur. Sicariis tota Italia mirra dexteritate exactis, restituit publicam tranquillitatem. Annonam leuauit summam prouidentiam. Haereticorum acerrimus hostis, doctorum virorum amator. Sanctorum Patrum operibus pure & emendate cudendis Typographiam, in Vaticano ad bibliothecam Sixti Quarti, tamquam armamentarium propugnanda Catholicae veritati, magnifice extruxit. Ex illa cotidie multa praeclara patrum monumenta prodeunt: nuperrime verò A. M. D. LXXXVIII. S. Bonaventurae S. R. E. Cardinalis opera omnia, eius iussu edita, à situ mendisq; vindicata, octo magnis tomis comprehensa. Urbem Romam multis ornamentis, pulcherrimis aedificiis, publicis viis, magnam salubrium copia aquarum, meliorem fecit & elegantiore. Romam adeò sibi astrinxit, ut non iniuria ipsius alter, cum suo cognomine, vocandus sit Romulus. Haec talia tanto viro digna, in quo etià locum habeat illud historici Romani, Post gloriam sequitur inuidia. Nimirum, Veritas odiū parit. & in illo nō erat misericordia, casura in perniciem: ne ignoscendo malis, bonos proditum iret. Discessit anno Christi 1590 sepultus ad S. Mariam Maiorem, in Sacello Praesepe Domini, quod magnificentissime exaedificauerat.

Cardinales ex familiā Franciscanā à R. P. Gonzaga triginta quatuor recessentur, praeter illos quatuor qui ad summum Pontificatum venerunt. Hieron. Platus se tres & quadraginta comperisse scribit lib. 2. de bono status Relig. cap. 29.

De Archiepiscoporum & Episcoporum numero illud

Typogra-  
phus Va-  
ticanae im-  
plantator.

Cardina-  
lium nu-  
merus.

Episco-  
porum nu-  
merus.

illud ibidem refert Platus, quod mirum fortasse videri potest: His proximis septuaginta annis, quorum plenior potuit esse memoria, plures quam centum & octoginta numeratos. Hieronymus Platus obiit Roma circiter annum Domini nonagesimum tertium, supra millesimum, quingentesimum.

Reges &  
Principes  
in Ordine  
Seraphico

Firmamentum trium Ordinum (hic libri titulus) in recensu virorum illustrium trium Ordinum S. Francisci, memoria mandauit, Ordinem hunc nostrum duobus Imperatoribus Constantinopolitanis, Ioanne & Xere; duodecim Regibus; multis regum filiis auctum fuisse. De quibus fusiùs Barp. Pisan. Conform. fruct. octau. ubi singulos nominatim enumerat. Vix fuit vlla prouincia, qua non aliquot principibus viris, velut quibusdam gemis fuerit ornata. Habuit nostra haec prouincia inferioris Germania illustres viros è familia Dominorũ de Croy; Comitum de Horne; Comitum de Aenhol: <sup>Vinea S. Franc.</sup> vt interim de ceteris taceam. Nec nunc desunt Ducum filij, & Imperij principes in Ordine Seraphico. Sed non est propositum, nomina familiae nostrae longo ordine velut in atrio collocare: cum molesta futura sit iniquis auribus haec magna laudatio. quãuis (quod Minoride nobiliores ipsi quoque fatentur) hoc ordine sint ornati magis, quam ipsum ornarint. Sed tamen paucioribus dicere non potui, quod obiter commemorari oportuit. A magnis illis viris quaerebatur regula, non formosa, sed qua recta esset. Vnam illam D. Francisci prendiderunt, ad quam viuerent: ad hanc, vitam suam exequantes, boni beatique facti sunt.

Affano  
peragra-  
tus Fran-  
ciscan  
euangeli-  
zarum.

Nimis longum est explicare, quantas messes in Ecclesia horrea conuexerit ordo Seraphicus: tamen lubes praecipua vel attingere. Paulò post mortem S. Francisci, anno salutis 1234. Gregorij Noni Pontificis

Lib. 14.  
hist.

Pontificatus anno septimo, fratres Minores Asiam peragrarunt, Saracenis & Georgianis, (qui, ut scribit Paullus Iouius, hodie sunt Hyberi) ceterisque impiis nationibus Christum euangelizantes. quos idem Pontifex litteris suis cohortatus est, ut in agro Dominico à sentibus expurgando, operarios strenuos se exhiberent. Refert Pet. Radulph. lib. 2. hist. Seraph. relig.

Lib. 4.  
chronol.  
ex catha  
Episco-  
pium  
Orbit.  
ad ann.  
1195.

Ad Tartaros non semel adierunt, omnium primum missi ab Innocentio Quarto anno Domini 1245. quo tempore cum magnus hominum numerus Christi Euangelium recepisset, paullo post plures illuc operarij destinati, monasteria multa exstructa, res Christiana feliciter administrari cœpta est. Scribit & hæc Genebrardus, Urbanū Quintum creasse Archiepiscopum Cambalientem in dominio Tartarorum, Iohannem de Monte Ordinis Minorum, & ad eum Pallium misisse pro successoribus, ob loci interuallum. Octo item alios fratres eiusdem ordinis consecrasset in Episcopos: quos misit ad Orientales partes, ut eius essent suffraganei & adiutores. hæc ille. B. Odorici Minoride nota nobis historia. hic postquã ferè totam peragrasset Europam, per pontum Euxinum venit Trapezuntem veterem Græcorum urbem: vnde se contulit ad Persas & Medos, vicinasque regiones, quibus fidem Christi magno feruore & fructu annunciauit. Deinde venit ad Cansaiam, & Cathaium, & opidum Cambelech, vbi Magnus ille Cham, (quo nomine Tartarorum Imperator vocatur) regiã habet, de quã mira scribit Pet. Radul. lib. 1. hist. Seraph. Relig. in vita B. Odorici, & alij complures.

Et Tartaroru  
Christum  
predica-  
uerunt.B. Odorici  
labor in  
Asia.

Græcos cum Ecclesia Romana dissentientes, operã & studio fratrum Minorum in Concilio Lugdunensi ad consensum, & communionem cum Ec-

Græci ad  
unionem  
Rom. Eccl.  
reducentur.P  
clesiã

clesiâ Catholicâ reductos, suprâ cōmemorauî, cūm de Nicolao Quarto Pontifice Maximo primo ex Ordine Minorum, agerem.

Armenios  
quos  
docuerunt.

Ad Armeniam quoque fratres nostri missi sunt anno Domini 1332. Ioanne XXII. Pontifice: inter quos (vt Hieron. Platus testatur) præcipuum fuisse ferunt Gonzalum Sauratum, virum doctissimum: qui tum concionibus, tum pluribus libris in illam linguam conuersis, multum profecit. his addo, quæ scribit Petrus Radulphius de fratre Alberto à Sartiano Mediolanensi, Latine & Græcè iuxta peritissimo. Hunc Eugenius Quartus misit ad Pretum Ioannem in Partes Orientales: suisque prædicationibus multos traxit ad fidem Christi. Multa construxit cœnobîa in Candiâ, in Capha, Constantinopoli & Hierusalem. Peragrauit totam Syriam, Græciâ, Ægyptum. ac tandem deduxit Armenios ad obedientiam Ecclesiæ, tempore Eugenij Quarti in Concilio Florentino.

Lib. 1. de  
bono  
statu re-  
lig. c. 10.

Lib. 1.  
hilt. Ser.  
Relig.

Bulgarios  
ab heresi  
reduxerunt.

Bulgari labe hereseos infecti, circiter annū Domini 1366. vt S. Antoninus scribit; operâ fratrum Minorum, conuersi sunt, & in Ouilæ Christi inducti. Eo ipso tempore Rex Hungariæ (quæ Bulgariæ est affinis) cūm quasdam finitimas prouincias subegisset, destinatis eò octo Franciscanis, non pluribus quàm quinquaginta diebus ducenta millia hominum Christo lucrifecerunt. In Lituaniâ, Poloniâ, & vicinis Sarmatiæ regionibus, strenuè operati sunt fratres nostri in vineâ Domini: verùm singula persequi, non est propositum. Illud tamen non est prætereundum quod Petrus Radulphus scribit, de Lituaniâ conterminâ Poloniæ. Vidit nostra ætas Vlatislaum V Vitoldum, qui à principio cūm esset Paganus & idololatra, operâ fratrum

Hilt.  
Tit. 14.  
cap. 10.  
§. 20.

Affines  
Sarmatiæ  
regiones  
Christo  
sibi ga-  
ruunt.

trum Minorum suscepit sacrum baptismum, & multa cœnobia extruxit. *Lib. 2. historiarum Seraphica Religionis.*

*Hæc quidem magna & gloriosa sunt: sed tamen nihil gloriosius quam totius noui orbis conuersio, quæ profectò potissima est fratrum Minorum. Certè ipsi omnium primi prouinciã hanc aggressi sunt, alij secuti. Illi viam omnibus primi aperuerunt, siue*

1. Cor.  
16.9.

*ut Apostolus loquitur ostium magnum, ad magnam illam messem, manus operantium postulantes. In insulas Fortunatas septem, quæ nunc à fertilitate cannarum saccarum gignentium, appellantur Cannaria; circiter annum Domini 1450. fratres*

*Cannarias insulas fide Christiana inuenerunt.*

*Eò missus S. Didacus Guardianus, & multos ibi impios animaduertens, multos Christo lucrifecit. hunc propter eximiam sanctitatem Sixtus Quintus Pontifex Max. maximis clarum miraculis in Sanctorum numerum adscripsit.*

Rom. 15.  
41.

*Cum autem ex Cannariis insulis nauigatio sit ad occiduos Indos, etiam hinc dirigenda est nostra oratio ad nouum illum orbem: ad quem inueniendum, cum antè ne de nomine quidem cognitus esset, patres Franciscani plurimum contulerunt: inuentum Christi fide primi illustrarunt. Neg enim hactenus ibi Christus nominatus fuit: nec super alienum fundamentum edificarunt: sed sicut scriptum est, Quibus non est annunciatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent. Paucis absoluiam de fidei Catholica propagatione apud Indos Occidentales, & Orientales.*

*Christophorus Columbus nautica rei peritissimus cum de nauigatione ad Indos Occiduos instituendã, apud Ferdinandum Hispanie Regem ageret; nec ei, ut in re nouã atque incertã, multũ fidei*

*Orbis noui Occidui opera fratrum Minorum inuenit.*



tribueretur: Duos fratres Frāciscanos valde eū iu-  
 nisse, refert R. P. <sup>1</sup>Franciscus Gonzaga. Colum- <sup>1</sup> *Hist. de*  
 bo, *inquit*, cum rem aperuisset Regi, fuere ma- <sup>2</sup> *orig. Se-*  
 ximo adiumento commendatitiæ litteræ à fra- <sup>3</sup> *raph. re-*  
 tre Ioanne Piretio Franciscano prouinciæ Be- <sup>4</sup> *lig. pat.*  
 ricæ, ad patrem F. Ferdinandum à Talabricâ,  
 Regis & Reginae Confessarium datæ. Quibus  
 perlectis P. Ferdinandus, cum R. Petro Gon-  
 saluo à Médoza Archiepiscopo Toletano, qui  
 plurimum apud præfatos Reges valebat, serid  
 egit. amboq; simul, præfati Columbi propo-  
 situm vtrique Regi pro viribus commendarunt.  
 Tunc Columbus instructis tribus speculatoriis  
 nauibus, milite & comineatu, quartâ Augusti,  
 anno Christi 1492. soluens, ad insulam nomi-  
 ne Haiti appulit, quam in potestatem redactam,  
 Hispaniolam appellatam voluit. Mox inde, orbi  
 nostro allatis quibusdā rebus inuisis, ad Hispaniam  
 reuertit, letissimæ rei nuncius latissimus. Post pau-  
 lulum expugnatâ insulâ, F. Ioannes Piretius, de  
 quo supra commemorauimus, cum aliquot familie no-  
 stræ patribus, ad eas partes nauigauit. atque illi om-  
 nium primi ad vicina regna Mexicana tentanda,  
 fuere auctores. Dictum de his in Elogiis in diuum  
 Franciscum ex Hieron. Plato.

Et filii  
 Christiani  
 sub-  
 altus, pri-  
 mū a Bel-  
 gu Fran-  
 ciscanus.

Carolus Quintus Imperator, à quo nouum il-  
 lum orbem Carolinum vocant, circiter annū Do-  
 mini 1523. è nostro conuentu Brugensi in Comi-  
 tatu Flandria, tres insignes fratres natione Bel-  
 gas, ablegari ad regna Mexicana curauit, quorū hæc  
 nomina, F. Ioannes de Tecto, quōdam Guardianus  
 Gandensis; F. Ioannes de Aora; & tertius laicus,  
 horum socius, F. Petrus de Murâ, dictus de Gant,  
 quod Gandani in Flandriâ natus esset. hæc ipsa  
 commemorat R. P. Franciscus Gonzaga initio de-  
 scriptio.

<sup>1</sup> Lib. 1.  
 de bono  
 stat. 10.  
 lig. c. 10.

*scriptionis prouincia S. Euangelij, qua cœpit in re-  
gno Mexicano. Sed dignum prorsus fuerit verba  
ipsius fratris Petri Gandensis hic adscribere, ex  
eius epistola, quam habemus, ab illo scriptam ad  
Belgas anno Domini 1529. hæc eius verba:*

Nati in hac regione, sunt homines optimæ cõ-  
plexionis, & naturæ: ad quiduis agendũ parati,  
& maximè ad fidem nostrã recipiendam. Ve-  
rũ hoc habent mali, quòd seruilis sunt condi-  
tionis, nihil agentes nisi coacti: amore autẽ aut  
bonitate nihil. quod tamen non tam ex natu-  
rã, quàm consuetudine procedere videtur: vi-  
delicet quia numquã assueuerunt aliquid age-  
re amore virtutis, sed solũ metu & timore.  
Nam vniuersa eorum sacrificia, quæ erant oc-  
cidere proprios filios, aut eos mutilare, ex ma-  
ximo timore fiebant, non deorum amore. Dæ-  
mones enim huius regionis, qui Dij ab eis re-  
putabantur, tam multi & varij erant, vt ipsimet  
eorum numerũ ignorarent. Singulis rebus sin-  
gulos deos constitutos esse credebant: vnum  
huic rei, alium alij præpositum existimantes.  
vnum appellant deum ignis, alium deum aëris,  
alium deum terre. Alium appellant colubrum,  
alium vxorem colubri: alium septem colubros,  
aliũ quinque cuniculos. & ita de aliis sine nu-  
mero. Maxima autem deorum pars, nomina  
habet colubrorum atque serpentium. Et alij qui-  
dem dij sunt virorum, alij mulierum, alij pue-  
rorum, alij totius mundi. Et eorum vni corda  
hominum sacrificabant; alteri humanum san-  
guinẽ; aliis filios suos: aliis coturnices, aliis pas-  
seres, aliis thus, papyrum, cereuisiam, & alias  
huiusmodi materias plurimas, iuxta varios ri-  
tus, & modos sacrificiorum, quos ipsi dæmones

*Epistola  
F. Petri  
à Gãdano  
à Mexico.*

*Mexicani  
morei.*

*Dij illoũ  
multi  
quibus  
homines  
immola-  
bant.*

exigebant. Quòd si ea quæ ab illis exigebântur, illi non obtulissent: interficiebantur ab eis, & deuorabantur corpore simul & animâ. Atque ideo diis suis, qui veri sunt dæmones, non ex amore, sed solo timore sacrificabant: certabântque hac ratione alter alterum superare donis ac sacrificiis, vt mortem possent euadere. Habebant etiam dij isti magnum numerum religiosorum vel sacerdotum, solâ puerorum carne vescentium, & sanguinem eorûdem bibentium, qui sancti habebântur. Alij deorum sacerdotes vxores non habebant, sed earû loco pueros, quibus abutebantur. quod quidem peccatum vsque adeò erat vulgare in his regionibus, vt tam pueri, quàm senes eo vitio essent dediti. imò pueri sex annorum huiusmodi interdum labe erant infecti. Sed (benedictus Deus) aliam viam multi nunc cœperunt ingredi, sese ad Christianismum conuertentes: & maximâ deuotione baptisma postulant, cõfidentes peccata sua. Et baptizauimus ego cû socio fratre meo, in hac prouinciâ Mexico, vltra bis cõtina millia: imò adeò multos, vt mihi de numero constare non possit. Frequenter vna die baptizauimus quatuordecim millia hominû, interdum decem millia, interdum octo. Singulæ autem prouinciæ, loca, & parochiæ modò habent sua tẽpla & sacella, tabulas pictas, cruces, & vexilla, maximum erga Deum amorẽ & deuotionem attestantia. *quibusdam interiectis.* Sic laboramus in istorum infidelium conuersione ad fidem vnusquisque pro viribus, & spiritu suo. Et mihi est officium docere, & predicare noctes atque dies. In die, legere & scribere, simul & cantare doceo: nocte verò doctrinam Christianam,

*Puerorũ  
carnes &  
sanguinẽ  
eiebant.*

*In masculu  
lã venerẽ  
proclues.*

*Multi ba  
ptizantur.*

*P. Petrus  
& Gãlano  
pueros  
erudit.*

nam, & sermones. Et quoniam terra ista est admodum magna, & populus infinitus, & fratres euangelizantes pauci ad docendam tantam multitudinem: nos fratres collegimus in domibus nostris filios principum & magnatum huius regionis, ad erudiendum eos in fide Catholicam, qui postmodum parentes suos instituunt. No- uerunt autem hi pueri legere, scribere, cantare, concionari, & diuinum officium more Sacerdotum peragere, quorum puerorum ego in hac ciuitate Mexico curam gero. suntque quingenti aut plures: eod quod hęc ciuitas sit caput regionis. Ex quibus pueris circiter quinquaginta excellentioris ingenij segregauimus, quos singulis hebdomadibus doceo singulatim, quid dicendum erit & predicandum Dominica sequenti. Singulis autem diebus Dominicis hi pueri exeunt ciuitatem, & totam terram predicando percurrunt, interdum ad quatuor, nonnumquam ad octo vel decem, subinde ad viginti & triginta milliaria, annunciantes fidem Catholicam, & per doctrinam suam populum preparantes ad baptismum. Et nos cum ipsis circueunt idola destruimus, & templa eorum diruimus ex parte vnâ, & ipsi similiter faciunt ex parte alterâ: & templa Dei veri construimus. Hoc modo, & in hac occupatione tempus nostrum transigimus, quemuis laborem nocte ac die sustinentes: ut populum istum infidelem tandem ad fidem Christi inducamus. &c. *Data est epistola hæc F. Petri Gant. Mexico, ex cœnobio S. Francisci, an. Domini 1529. mensis Iunij vicesima septima die.*

*Et quidẽ anno salutis 1524. post tres illos Franciscanos Brugis missos, missus est etiam V. P. frater Martinus à Valentia cum undecim sociis instituti*

*Quorum  
schola &  
collegia  
nunc  
Fran-  
scani cœ-  
nobii.*

*Docti pue-  
ri à fra-  
tribus,  
aliis Chri-  
stum an-  
nunciant.*

*Magno  
fructu &  
seruore.*

*F. Marti-  
nus à Va-  
lentiã illic  
mittitur  
cũ undecim  
sociis Frã-  
ciscanis.*

Franciscanè, tamquam Vicarius Summi Pontificis (ut scribit Surius) à Carolo Cesare, eius nominis Quinto destinatus ad magnā illam messem Mexicanā provinciam; qui cum suis magnos fecit progressus, magnos fructus retulit. Idola omnia ex templis exturbabantur, Crucis Christi, B. Maria, & Duorum imagines in templis statuebantur. Euchariſtia Sacrosancta mysteria docebantur & credebantur. Miſſa offerebatur quotidie: reliqua Sacramenta adminiſtrabantur Catholico more: piè & purè S. Euangelium annunciabatur. Sed operæ pretium fuerit nonnulla exſcribere, ex illius P. Martini epiſtola, quam ex illis locis miſit ad P. F. Matthiam Wenſſen, Commiſſarium Generalem Ciſmōtanum Ordinis Seraphici, data anno Domini 1531. ſic habet; Nos quidem conſtituti ſumus in extremis mundi partibus, vbi Chriſti Euangelium à filiis & ſubditis veſtris primū cœpit prædicari, & noua fidei ſemina pullulare in arenis antea fulcis: quia riuos eius inebrians gratia Saluatoris, in ſtillicidiis eorū multiplicauit genimina eius. Nam (verè loquor, non hyperbolicè) plus quàm decies cētena millia Indorum ſunt à filiis veſtris baptizata: quorum quiſque, præfertim illi duodecim, qui miſſi ſunt vnà mecum, plus quàm centum millia baptizauit. Et omnes præter me didicerunt linguam Indorum: imò varias linguas eorundem. Et prædicant eis, & inſtruunt innumerabilem multitudinem eorū, Et inter eos infantuli & pueri magnatū, & nobilium filij, largam nobis ſpem præbent: qui à fratribus noſtris inſtruuntur: in vitâ & moribus religioſè nutriuntur in noſtris cœnobiis, quæ iam ferè viginti condidimus, & indies multiplicantur, & conſtruuntur ab ipsis met Indis feruidâ

Epistola  
eiusdem.

En ut fi-  
des ibi  
mox in-  
creuerit.

Psal. 69  
11.

uidâ deuotione. Et in quolibet habemus, in habitaculis contiguis nostris conuentibus plusquam quingentos pueros, in quibusdâ aliquanto pauciores, in quibusdâ verò plures; qui iam in doctrinâ Christianâ sunt instructi. & prædicant filij patribus suis, & in ambone publicè concionantur miro modo. Et multi ex eis docent alios pueros, qui simul canunt horas Domine nostræ quotidie. & surgunt eâdem illâ horâ quâ fratres: & in suâ ecclesiâ seorsum canunt matutinas. & canunt solemniter Missas. Sunt enim tenacis memoriæ, valde dociles & perspicaces. sunt pacifici: inter eos nūquam est rixa, nec iurgiū. Loquūtur submissâ voce, oculis depressis. Mulieres fulgēt incredibili honestate, & verecūdia feminea naturaliter inest eis. Confessiones eorū, maximè feminarū, sunt incomparabilis puritatis, & inauditæ claritatis. Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum abundanti lacrymarum effusione suscipiunt. Religiosos, præcipuè fratres Minores pro magno ducunt: quia primò eos cognouerūt, & per Dei gratiam, bonum exemplum ab eis suscipiunt. *Data est hæc epistola ex conuentu fratrum Minorum Tlalmanalci, prope magnam ciuitatem Mexico. die 12. Iunij, anno 1531.*

*Pater Martinus à Valentia obiit anno millesimo quingentesimo tricesimo quarto, cum diem mortis prædixisset; positus genibus in nuda humo in morem supplicantis, & in contemplatione celestium defixus, Corpus eius amplius triginta annis incorruptum permansit, cuius videndi copia pluribus facta est. Multa miracula quotidie ex illo fiebant. At verò post annum millesimum quingentesimum sexagesimum septimum, cum capsâ, in quâ corpus eius conditum*

*Inuēto a  
fratribus  
accuratè  
instituitur.*

*Mulieres  
ibi pudice*

*P. Martini à Valentia, sancta morte.*

*Eius corpus incorruptum aliquandiu, postea nō corruit.*

*hæc.*

ditum fuerat, aperiretur, nihil eius in illa repertum est. quaesitum accuratè, ne esset subreptum: sed nihil potuit inueniri. quamuis Apostolica littera huic fini data fuerint anno octogesimo supra mille quingentos.

*Indorum  
Apostolu-  
lus.*

Indi illum habent in maximo honore, velut Apostolum suum. & quacumque eius aliquando fuerant, curiosè conquisita, vti caelestes reliquias adseruant, & colunt. Vbi morbis, peste corripiuntur, illa admovent corporibus, & plerumq. potiùtur

*Miracula  
viris.*

optatà valetudine. Hæc copiosè commemorat R. P. F. Franciscus Gonzaga in descriptione prouinciæ S. Euangelij: vbi vitas, non præmemoratorum duntaxat enarrat duodecim, verùm etiam aliorum, qui primi ex Ordine Seraphico barbaras regiones Christi doctrinà imbuerunt. Breuiter cõprehendit scriptor Romanus Thomas Bozius lib. 12. de signis Ecclesiæ Dei. cap. 21. Ceterùm notatu dignum quod P. Gonzaga refert, P. Martinũ hunc, nouitiũ cum esset, & quidem laicus, diligentissimè librum Con-

*Conformi-  
tatis liber  
vtilis ad  
pietatem.*

formitatum S. Francisci legisse, quo inflàmabatur ad amorem virtutis, & studiũ pietatis; vt ad summam perfectionem tãdem peruenerit. Et, heu scilicet! qui librum illum contemnunt! vt qui in rebus alienis oculatuli, in propriis bruti & stolidi. Miselli, inuertite cognoscendi studium: & istam curiositatem ab externis ad domestica reuocate. Nempe plus habes in proprio hortulo quod colas, & vsui sit, quã quod in alieno videas, nec profit.

Visum etiam adscribere, quæ legimus in epistolâ primi Archiepiscopi magnæ vrbis Mexico, quam Abrahamus Ortelius omnium Noui orbis vrbiũ reginam vocat. Est enim eiusdem argumētũ cum præmissâ, cui adiuncta erat, & eodem anno destinata ad prædictum P. Commissarium Generalem, & ceteros patres in Capitulo Generali Tolozæ

*Mexico  
omnium or-  
bis vrbiũ  
regina.*

anno

anno Domini 1532. congregatos. Reuerendi patres, notum vobis facimus, nos in magnis & assiduis laboribus in infidelium conuersione esse occupatos. Ex quibus præuiâ Dei gratiâ, per manus fratrum nostrorum Ordinis S. Francisci de regulari obseruantia, baptizata sunt plusquâ decies centena millia hominû, quingenta Deorum templa sunt destructa; & plus quàm vicefies mille figuræ dæmonum, quas adorabant, fractæ & combustæ. In multis enim locis structa sunt sacella & oratoria: in pluribus arma decora & fulgida S. Crucis sunt eleuata, quæ ab Indis adorantur. Et quod horrendû dictu, olim solitum erat in illâ magnâ ciuitate Tenustlitar, Diis annuatim vltra viginti millia puerorum puellarumq; corda sacrificare: iam illa humana corda, non dæmonibus, sed altissimo Deo, per doctrinam & bonum exemplum fratrum, innumeras laudis hostias offerunt. Soli Deo fit honor & gloria, qui in illis locis à filiis Indorû, quos apud nos habemus, reuerenter adoratur. Multa ieiunia, & alia opera penitentialia, multiplicatæ orationes, lacrymæ, & suspiria ab ipsis fiunt, & emittuntur. Multi istorum puerorum bene legere, scribere, & canere sciunt. Assiduè confitentur, & deuotissimè sanctû Sacramentum suscipiunt. Parentibus suis Dei verbum facundè proponunt, prout à fratribus didicerunt. Ad Matutinas horas nocte cum fratribus surgunt: & Virginis matris Dei, ad quam specialem deuotionem habent, integrum officiû dicunt. Idola parentum suorum accuratissimè explorant, & ad fratres fideliter adferunt: cuius causâ aliqui à parentibus sunt occisi; sed viuunt laudati cum Deo. Vnaquæque domus S. Francisci habet

*Archiepiscopi primi Mexicani Alonzo Cortes epistola.*

*Ibi viginti millia cordium puerorum dæmonibus immolabantur annis singulis.*

*Nunc vita alia coru, & mores.*



Franciscus  
natus cetero  
bia habet  
admiranda  
collegia  
promuen-  
tibus insti-  
tutione.

habet aliam domum sibi coniunctam, pro docendis pueris. habet scholam, dormitorium, refectorium, & deuotum Sacellum. Sunt valde humiles, & fratribus obtemperantes: & eos plus quàm patres diligunt. Benedictus Deus per omnia. Inter fratres istos in linguâ Indicâ eruditos, est vnus laicus Petrus de Gante nomine, linguâ illâ facundissimè vtens, sexcentorū puerorum, & ampliùs diligentissimam curam habens.

Haecenus ex epistola Archiepiscopi Mexicani, qui vocabatur F. Ioannes à Zummarraga. Is uenit in nouum orbem post omnes supra dictos, missus à Carolo Quinto Imperatore, anno Domini 1528. Inde rediens in Hispanias, omnium primus consecratus Archiepiscopus Mexicanus, reuertit Mexico anno 1534. Eius vitam & sanctitatem magnam, Franciscus Gonzaga in descriptione prouinciae S. Euangelij enarrans, inter cetera adfert illud cuiusdam in eum elogium, O felicem urbem quæ talem Præsulem habere meruisti! In opido Texelanz

Vna die  
quatuor  
decies  
millia cō-  
firmatio-  
nu Sacra-  
mentis si-  
gnauit.

lanz hoc non admodum procul à Mexico, vnâ die confirmauit quatuordecim Indorum millia. Præscius sua mortis, sanctè mortuus est octogenarius, an. 1548. apud Clerū vniuersum, proceres, plebem magno sui relicto desiderio. Tantus omnium luctus, quasi orbis adfuisset excidiū. Corpus eius etiā nūc integrum & incorruptum habetur. Hic in epistolâ dilaudat fratrem Petrum à Gant, propter indefes-

F. Petri  
à Gadauo  
encomiu.

sum laborem in vineâ Domini. Nec immerito: Nam successor præfati Archiepiscopi, dicere solebat in F. Petrum, Non ego Mexici Archiepiscopus sum, sed frater Petrus à Gadauo laicus S. Francisci. Quinquaginta ferè annis strenuam operam præstitit in fide Catholicâ Indos erudiendo. Illuc uenit an. 1523. vixit vsque ad annum 72. A primo tempore

tempore quo illuc fratres nostri missi sunt, sola illa  
 prouincia S. Euangely aucta est sexaginta septem  
 monasteriis fratrum Minorum: Deinde alie post  
 alias in variis regionibus prouincia constituta, cre-  
 scente in dies fide Indorum & pietate. Si quis plu-  
 ra desiderat, adeat P. Gonzaga, quem saepe citani.  
 item Thomam Bozum lib. 12. de signis Ecclesie  
 Dei cap. 21. referunt, quanta pietate, quot prodigiis  
 & miraculis in vita pariter & in morte primi illi  
 fratres Minores apud Indos inclaruerunt.

Ab his, initia hec Christiana religionis nouus  
 orbis habuit. Inde verò, quod Surius tradit, pau-  
 cis annis tot baptizabantur; vt alij septies dena  
 centena millia, alij quater decies dena centena  
 millia in solo illo Mexicano regno, Christo  
 nomen dedisse retulerint. & post pauca. In ar-  
 chiuus Caroli Cæsaris lectum est, vnum quen-  
 dam sacerdotem septies centena millia homi-  
 num baptizasse. alium ter cētum millia. alium  
 centum millia. alios plures, alios pauciores. In  
 solo Mexico referūt multi summā fide dignif-  
 simi viri, triginta fuisse dynastas, quorum qui-  
 libet habuerit sub se centū milia hominum,  
 aut circiter. Et ex eā vrbe non licebat recedere  
 ad suas prouincias nisi regis permisso, ac relictis  
 siue filiis, siue fratribus in ciuitate obsidū loco.  
 Et quod dictu horrendū est, mille plerumque  
 homines vno die in ciuitate Mexicana immo-  
 labantur. Ad hec facit quod ante Surium scripsit  
 Amandus Zurichseus in fine Chronici, vbi de Ca-  
 rolo Quinto; circiter annum Domini 1519. in  
 quo fuit: Vsq̄eadeo ibi propagatur indies &  
 confirmatur per Catholicos viros fides Catho-  
 lica, vt ferè cū Ecclesiā Latinā comparari possit  
 Ecclesia illa Indiana. Et o diuinam prouidentiam!

Septi-

Ad ann.  
 Christi  
 1518.

Quam  
 valde fides  
 Christiana  
 augetur  
 apud  
 Indos Oc-  
 cidentales.

Illius Ec-  
 clesie La-  
 tina na-  
 stra potest  
 equari.

Septimo anno post natum in Germaniâ dogma Lutheranum à Martino inductum, in nouo orbe frater Martinus à Valentia vitæ sanctitate & miraculis illustris, eandem illam fidem, & fidei doctrinam prædicauit, & stabiluit, quam nouatores Europæi nostri nimis fastidiosè repellunt. Sed summus Deus spreto illis contemptoribus, barbaris illis ac bardis gentibus suam gratiam offert. Et, (ut magis gemat inuidia), quo illi plus perditum eunt exterminatūq; fidem & obseruantiam Catholice Romanæ Ecclesie, hoc ipsa apud exteros augetur magis. Non frustra scriptum est; Ipsi me irritauerunt in vanitatibus suis: & ego prouocabo eos, in eo qui non est populus, & in gente stultâ irritabo illos. *Deut. 32. 21.* Et lucem solis domo excludere possumus, ostiis occlusis; nec tamen ipsam lucem, vel minimū ne aliis splendat, obscurare: sic gratiam Dei repudiare in libertate est arbitrij; ipsam verò, quin aliis luceat, non possumus impedire. Potens est Deus de lapidibus *Mat. 23. 19.* istis suscitare filios Abrahamæ.

Itaque isti sunt viri, per quos tibi Euangelium Christi; Mexico, resplenduit, noui orbis regina, ut prius errore, sic nunc religione diuinâ: & quæ eras discipula superstitionis, facta es magistra veritatis. Ab isto fonte ceteri pietatis riuuli per totum illum orbem deriuati. Suffragatur R. P. Franciscus Gonzaga in descriptione prouinciæ S. Euangelij, his verbis: Ab hoc loco Aquilonem versus magnæ quotidie regiones inueniuntur: quò semel iam atque iterum Hispani cum instituti nostri fratribus profecti sunt: prius anno Christi 1580. cum tres patres Franciscani ob fidei Catholicæ prædicationem sunt à barbaris interfecti. Iterum anno D. 1582. F. Bernardinus Beltran cum exploratoribus eò concessit: qui inde reuersus, multa-

Cum in  
Europa  
fons gra-  
tie diuina  
obtura-  
tur for-  
tus eri-  
pit in In-  
dia.

Nouara-  
gine & ge-  
tes à fra-  
tribus no-  
stris inue-  
niuntur  
versus  
Boream in  
America

multarum & magnarum habitationum, quæ in eâ sunt, enarrationem nobis transmissit. Homines illi usque ad eam religionis nostræ appetentes, ut nostris eò profectis significarent facturos se vberem sementem, quo multis Hispanis (quos Castillas ipsi vocat, & ingenti numero ad se venire optant) toto itinere alimenta suppeditent. Venit Antuerpiam venerandus pater Hispanus anno 1590. qui amplius quadraginta annis inhabitavit Mexico. hic inter cetera nobis retulit, in eodem illo tractu, novas regiones, diversos populos, ingentes vrbes, studio Hispanorū & fratrum nostrorum de-  
tegit, quæ cū maximis urbibus comparari queant.

Hæc pars America septentrionalior est: de meridionaliore nunc pauca dicenda, in quâ Peruvia. illuc etiam propagatum Euangelium à fratribus ex Mexico, testatur R. P. Gonzaga in Descriptione provincie duodecim Apostolorum in Peru constituta. Illius regionis vrbs primaria est Lima, quod significat, Regum ciuitas: illic sedes regia, & Cancellaria totius regni, estq; Archiepiscopalis sedes, cui subest prima Episcopalis Quito, à quâ, provincia fratrum Minorum nomen inditum sub nomine S. Francisci de Quito. Mirum est quod de eâ scribit R. P. Gonzaga in descriptione illius provincie. Ea ciuitas sub linea æquinotiali constituta, præter antiquorum opinionem frigidâ potius quàm calidâ aurâ gaudens, temperatissima, amœnissima, omnium armentorū, auium, & fructuum feracissima est. Ibi edificatū est Franciscanis cœnobium, an. Domini 1534. quod omnium primus habitatum venit Franciscanus Belga Mechliniensis, F. Iodocus de Rijcke, patre Iodoco de Rycke, matre Ioanna de Marzelaër editus. Is dedit ex Quito epistolam ad suos anno 1556. cuius exemplū nobis

Peruvia  
meridia-  
naliore pars  
orbis veteri  
stiam à  
Franciscano  
Christo  
subiecta.

Quæ sub  
torrida  
zona tem-  
peratissi-  
ma est.

com-

communicauit nobilis vir Georgius T'fweert & dominus de Myerbeek, cui F. Iudocus auunculus fuit, ex qua visum nonnulla exscribere, vel ad confirmationem eorum quæ dixi. sic scribit ad P. Guardianum Gandensem: Noscat tua Reuerentia me

*Epistola  
F. Iudoci  
de Rycke,  
qui ibi pri-  
mis ex  
Francisca-  
nis.*

*Peruis  
107179  
10876.*

*De religio.*

refedisse in ciuitate diui patris nostri Francisci de Quito, viginti duobus annis. in his partibus messis magna: messorum non habentur, cum tamen omnes fidem sitiant. Ciuitas hæc de Quito participat de æquinoctio, & aliquando de Austro. per anni circulum temperata hæc prouincia: quemadmodum finis Aprilis, ibidem sic per anni circulū. Longum foret hominum illorum cōditiones & mores enarrare. Quamuis barbari & sine litteris, tamen naturā habent optimas consuetudines. Inter ipsos pauper non inuenitur: quanquam pauperes omnes in victu & vestitu. Apud hos tanta iustitia, & rectitudo viuendi, vt superent illos qui legibus, & libris, & litteris abundant. Facile in fide instituuntur. Omnium rerum creatorem affirmant, quæ venerantur quidem, sed Soli summam venerationem exhibent. Diuinationes, superstitiones, & similia abundant inter eos. Sunt ingeniosi, & facile litteras addiscunt: canere item & ludere instrumentis musicis. Oremus Deum, vt mittat operarios in hanc Domini nouam vineam: & nos conseruet in salute animæ & corporis, & tandem Domino annuente cęlestibus perfruemur. Tantæ sunt nostræ occupationes, vt hanc epistolam sine impedimēto scribere nequierim. & paullo post. Ego fui primus Franciscanorum qui hanc ciuitatem diui patris Francisci incolui. & hinc reliqui omnes Conuentus & Custodię principium habuerunt. Consodalem habeo

*Melca  
Franci-  
scani pri-  
mi omnium  
missi in  
Luzo.*

habeo F. Petrum Gosseal à Louanio, profef-  
sum Brugis in prouincia Flandriæ: qui in hunc  
vsque diem comes indiuiduus extitit. hic apud  
omnes in veneratione est, &c. Data ex Con-  
uentu de Quito an. 1556. 12. Ianuarij.

Consilium non est, accuratè omnia persequi: teti-  
gisse suffecerit, Franciscanos esse primos illos car-  
dines, super quos Dominus poluit orbem illum  
nouum & magnum. R. P. Franciscus Gonzaga, de-  
scribens prouincias in Mexico & Peru, esse in illis  
regionibus recenset non minus decem prouincias  
fratrum Minorum, præter eam quæ in Cannariis  
est insulis. demtis etiam Custodiis: quæ etsi aliquot  
habeant monasteria, tamen prouinciarum numero  
non censentur. atq; in illis inueniri amplius duceta  
cœnobia Franciscanorum, multa monasteria soro-  
rum S. Clare, & professorum Tertiæ regula sancti  
Francisci. Sed neque illas fratrum nostrorum man-  
siones computat inter monasteria, ubi manent pau-  
ci fratres, ad docendam iuuentutem; (vnde vocat il-  
las Domos scholares.) nã quia iusto fratrum numero  
non sunt, Conuētus appellare non cōsueuimus. Sed  
Conuentus qui dicuntur, tam frequentes ibi sunt,  
vt faciliè nostros superent. Sunt, ubi septuaginta  
fratres commodè viuant. Itaque pietas, & cultus  
Dei, talibus initiis, apud occiduos populos breui  
temporis intervallo propagata est.

De Orientalibus etiam paucis dicendum: quia in  
Elogiis dictum satis. Nam eodem penè tempore, quo  
orbis Occidui regna, feliciter inuenta sunt, auspiciis  
Emanuelis Lusitania regis, ad Indiam Orientale,  
in Asia, anno salutis millesimo quingentesimo, octo  
familia nostræ fratres missi sunt, doctrinâ & pie-  
tate præstantes. Ab his initiis Ordo D. Francisci  
per eas regiones diffusus, multiplicatis breui tem-  
pore

Fratrum  
Minorum  
magna in  
orbis nouo  
frequentia.

Indi Oriē-  
tales pri-  
mum à  
Franci-  
scano  
Christi fi-  
de imbuiti

Q

pore

pore monasteriis, aliis viam aperuit, & scidit glaciem, ut ad vicina regna facilius penetrarent; ubi multi alterius instituti operarij, Dominicani, Augustiniani, Patres societatis Iesu, vnde timã horã post omnes in vineã Domini vocati, postremi quidem, sed (etiamsi gemat inuidia) fortasse plus omnibus laborantes, nobiscum vnã magnam operam nauare non desinunt. De insulis Philippinis & aliis prætereo. quando etiam ad regnũ Chinarum fratres nostri peruenierint: ut multis ostendit R. P. Gonzaga in descriptione prouincie S. Gregorij. Sat est, hac obiter significasse: ut scias benignam materiam que scripturo crescit potius, quã deficiat. Verũ nostris (cũ in Dei iudicio nõ tam verborũ, quã gestorum habebitur ratio, & omnia manifestabuntur.) hæcenus cordi fuit, eritq; Deo bene iuuante semper, plurimum facere, minimũ de se loqui.

Et quidẽ seminarunt illi Euangelicos illos agros semine verbi Diuini: sed ut cresceret melius, etiam sanguine suo abunde rigarunt. Habuit iste Minoridarum hortulus iam inde ab initio flores suos, & nunc etiam habet. numquam albicantia lilia defuere, numquam purpureæ rosæ. In castis operibus candidus, in martyrum cruore purpureus. Principes in acie nostrã fuere quinque fratres S. Berardus cum socijs: quorum pugna & triumphus, simul etiam historia reliquorum Sanctorum Ordinis nostri, vitã comitẽ, Dei munere, aliquando audebunt aspicere lucem. Hi septimo anno ante mortem D. Francisci, Marrochij in Africã pro fide Christianã certantes, de Saracenis triumpharunt. Rursum anno post obitum sancti patris Francisci, alij septem fratres S. Daniel cum sodalibus sex, Septia, item in Africã, & ipsi Volones, contra Saracenos pro Christo mortem oppetentes, illustrem deportauerunt victo-

victoriam, cruento prælio, magno triumpho. Et hi  
 duodecim primores nostri milites, inter Divos re-  
 lati sunt. Anno Christi trigesimo supra millesimū  
 ducentessimū duo fratres Minores Hispaniam suo <sup>In Hispani-</sup>  
 sanguine purpurarunt: de quibus Petrus Radulph. <sup>niā.</sup>  
 hæc scribit. Frater Ioannes sacerdos, & frater Pe-  
 trus, viri sanctitate clari, in Hispaniam progres-  
 si, venerunt in regnum Arragoniæ, cui præerat  
 Azotus Christianorum hostis. Hi zelo fidei in-  
 censi, & desiderio martyrij, Valentiam urbē in-  
 gressi, verbum Dei prædicant, falsitatem Ma-  
 humetis damnantes. quos comprehensos, &  
 incarceratos, conatur Azotus blanditiis à fide  
 Christi auertere, sed frustra: quare in forum ad-  
 ductos, decollari iussit Azotus à Iacobo Arago-  
 num rege pulsus Valentiam, cū ad se paullum  
 redisset, diuino illustratus lumine, per fratres  
 Minores conuersus est ad Christū. & de morte  
 fratrum dolens, Palatium suum in celeberrimū  
 cœnobium Minorum construxit.

Cū Fredericus Secundus Imperator ab Inno-  
 centio Quarto excommunicatus, persequeretur Ec-  
 clesiam Romanam, & quotquot cum eā faciebant, <sup>In Italia.</sup>  
 maximè verò Franciscanos ex voto & regulâ, fidei  
 & obseruantie Romanæ Ecclesiæ acerrimos propu-  
 gnatores: duos illorum litteras Pontificias deferen-  
 tes, suspendio necari iussit. quod etiam memorat Pe-  
 trus Radulph. & non ita multo post, omnes fratres  
 Minores idē Fredericus expulit Apuliā: quòd po-  
 pulū hortarentur ad mandata Pontificis exsequēda.  
 Multi fratrum passim occisi à Saracenis in Palestina,  
 Babyloniâ, & Agypto. plures in Tartaria locis va-  
 riis: item in Wakachiâ, Russiâ, Bulgariâ. de quibus <sup>Et vultis  
Asia locis</sup>  
 Bartholomæus Pisanus agens, sic scripsit ante cir-  
 citer ducentos annos: Ultra trecentos fratres ha-  
 buit



buit hic ordo, per quos Deus signa est operatus  
& miracula. & ultra octoginta quinque sunt  
martyrio coronati. *Petrus Radulphius lib. 2. hist.*  
*In Litua- Seraph. Relig. cum agit de Custodiâ Lituania, te-*  
*nia. statur, Vilna sepultos esse triginta sex Franciscanos*  
*martyres: quorum opem implorans R. D. Ioan-*  
*nes Anchusseus Electus Kyouuiensis, acutissimâ*  
*febre correptus, facto etiam pio voto, conualuit, an-*  
*no Domini 1543. sed quo anno illi sint passi, non*  
*commemorat. quorum neque Bartholom. Pisanus*  
*mentionem facit. opinor post eius aetatem illos vi-*  
*xisse. Quatuordecim illorum Vilna sunt trucidati,*  
*de quibus prædictus Ioannes Kyouuiensis in carmi-*  
*nibus suis, pro recuperata valetudine gratulans,*  
*cecinit in hunc modum:*

E quibus eximios manib<sup>9</sup> post terga reuinctis,  
Tres crucis horrendæ composuere neci.  
Et cruce cõfossos (heu quâ miserabile dictu!)  
Immersere vndis Velia magne tuis.  
Tum cædût gladiis reliquos, flâmisq; perurût:  
Funditus vt perimât nomina, Christe, tua.

*Apud In-*  
*dos veros-*  
*que.*

*Apud Indos Occidentales in Christi fide propa-*  
*gandâ, non pauci Franciscani trucidati sunt, tum*  
*etiam apud Orientales, circiter triginta. in quos*  
*Hieron. Badesius composuit hoc carmen:*

Vos, ô, qui primùm extremos properastis ad  
Indos:

Vt nossent verum pectora cæca Deum:  
Quâm bene pro tali vestrum pietate cruorẽ  
Fudistis! maior se feret inde seges.  
Nequicquâ ferro proscinderet arua colonis,  
Semine ni grauidos spargeret imber agros.  
Cernitis vt magno crescat iâ fcenore messis:  
Et vestrà vberior sit labor ille nece.

*Exscripsi ex Thom. Bozy lib. 12. de signis Ecclesiæ*  
*Dei,*

Dei, cap. 22. ubi nominatim recēset plurimos mar-  
tyres Ordinis nostri, qui pro Catholicā Religione  
hoc saeculo mortem fortiter obierunt. In Angliā &  
Hiberniā triginta sex: In Galliarū prouinciis nu-  
merantur ferè sexaginta. Et si messem Guesiani  
temporis recordemur, opinione plures nobis abstulit  
in istā Belgicā. Habuit prouincia Flandria, item  
prouincia Coloniensis fortes Agonistas, & pugiles  
inuictos. Deniq; nostrae prouincia inferioris Ger-  
mania recensentur viginti duo, qui diuersis in lo-  
cis, ferro, laqueis, igne, alijsq; tormentis, diuturnis  
etiam & productioribus pœnis intereuntes glorio-  
sissimum viuendi finem acceperunt. de quibus cum  
alijs scripserint, alijs etiam nonnulla nobis promittāt,  
pluribus non ago: obiter memorasse satis est.

Martyres  
huic sa-  
cul. in An-  
gla &  
Gallia.

Item in  
Belgia.

Theologi  
in Ordine  
S. Franc.

De Ale-  
xandro ab  
Ales,  
cuiusque  
libra.

\*Par. 1.  
vbi de  
illust.  
vir. ttiū  
Ordin.  
S. Fran.

\*Cant. 3  
7.

\*Lib. 3.  
Histor.  
Seraph.  
reliq.

Ad Theologos & Doctores propero, qui in Or-  
dine Seraphico inclaruerunt. Auctor firmamenti  
trium Ordinum D. Francisci testatum reliquit,  
ante annos circiter centum, se recensuisse nonagin-  
ta celebres Theologos, qui Magistrū Sententiarum  
scriptis, & editis libris vtiliter explicarunt, &  
commentando illustrarunt. Numerantur sexagin-  
ta, velut qui lectulū Salomonis ambiunt for-  
tes ex fortissimis Israël: omnes tenentes gladios  
& ad bella doctissimi. Principem locum tenet  
Alexander ab Hales, Doctor doctorum appellatus  
à doctis: Doctor ipse Theologiae & Iuris vtriusq;  
In philosophiā nemini secundus. Totā Scripturam  
sacram doctè exposuit. Edidit (teste Petro Radul-  
pho) in Psalmos Davidis doctissimos commenta-  
rios, qui falsò ascribuntur Hugoni à S. Theo-  
dorico. Item egregium tractatum de Conceptione  
B. Mariae Virginis: in quo docet, & defendit libe-  
ram fuisse ab originali peccato. Inter omnia opera  
eius, Theologia Summa excellit, quam iussu Inno-

Ille feni  
Sci elasti-  
cerium.

centij Quarti Pontificis conscripsit. Methodum  
talem nemo ante illum v'surpauit: ipse inuenit, &  
artem hanc omnibus scholasticis Theologis tradidit.

Distinxit in quatuor partes Summam Theologia:  
quã (scribit Petrus Radulph.) Alexander Quar-  
tus adprobauit per bullam à septuaginta Do-  
ctoribus subscriptam, atque appësis sigillis sub-  
signatam. Auditores eius fuëre S. Thomas Aqui-  
nas, & S. Bonauentura. Addit & hoc auctoꝝ fir-  
mamenti trium Ordinũ D. Francisci: Licet om-  
nes Doctores scribentes super sententias, com-  
muniter hunc Alexandrum sequantur: tamen  
singulariter S. Thomas ab Aquino ipsum in  
omnibus suis scriptis sequitur, tamquam disci-  
pulus Magistrum. multaquẽ ab eo piẽ furatur,  
maximẽ in Secundã Secundã. vt dicit Magi-  
ster Ioannes Gerzon, & Stephanus Brulifer.

Fons vitæ  
dicitur.

Propter raram eruditionem Alexander ab erudi-  
tissimis temporis sui, Fons vitæ meruit appellari.  
Multa alia composuit opuscula, quæ hinc non recen-  
seo. Si lubet adi Trithemium, Sixtum Senensem,  
firmamenti auctoꝝ: illi colligunt, & hac ego  
ex illis.

De S. Bo-  
nauent.  
operibus.

S. Bonauentura S. R. E. Cardinalis, Episcopus  
Albanësis, Alexandro preceptore tantum profecit,  
vti Doctoz Ecclesiæ Seraphicus & verè sit, & me-  
ritò vocetur. De quo plura non dico, nisi quæ tradit  
auctoꝝ firmamenti trium Ordinũ, sæpẽ citatus,  
his verbis: Scripsit super quatuor Sententiarum  
libros valdè egregiẽ, præsertim super secũdum.  
Item pulchram postillam super Lucam. Item  
aliam egregiam super Ioannem. Scripsit etiam  
Sermones super Euangeliis & Epistolis Domi-  
nicalibus per totum annum. Scripsit & super  
Genesim. Item super Ecclesiasten. Item Com-  
pendium

Ind d.  
vbi de  
Alexin.  
ab Hales

Par. r.  
vbi de ill  
Iustib.  
viri. Qr.  
Seraph.

pendium Theologiæ. item plurima Quotlibeta. Præter hæc autem scripsit circiter trecenta parua opuscula. Hunc Doctorem Magister Iohannes Gerzon super omnes alios Doctores, in plerisque locis extollit: & in quodam loco dicit, "Nescio si vnquam talem doctorem, sicuti Bonauenturam, habuerit studium Parisiense. *Trecenta eius opuscula præter maiora.* Super eâ re plura verba hic non pono: plura testimonia in Elogiis in D. Bonauenturam producturus, ante historiam vitæ eius, de illius sanctitate & eruditione.

Richardus à Mediâ-villâ in Scripturis diuinis exercitissimus, sicuti in Iure Pontificio, & Philosophiâ seculari. Multa scripsit, quorum præstantissima, quæ in libros Sententiarum. Refertur auctor Firmamenti, sententiâ esse multorum, Omnes alios doctores excellere in Quartum Sententiarum. Obiit anno Domini 1280. *De Richardo à Mediâ-villâ.*

Ioannes Scotus ab ingenij acumine & præstanti eruditione dictus Doctor Subtilis: quem, vt opiner non Scottum natione fuisse, sed Anglum, facit Petrus Radulphius ita scribens; Ex catalogo illustrium scriptorû maioris Britanniæ, colligit humili loco natum in villâ Emylden, quæ in Angliâ est. quod Oxonij constare dicunt ex antiquis codicibus Marsonensis collegij, vbi ille multos prælegit annos. vtcunque sit, fuit vir admirandæ eruditionis & subtilitatis: vt in grauissimis studiis nullus vel acrior, vel subtilior fuerit vnquam. cui, ob excellentis ingenij subtilitatem, & subobscuram differendi profunditatem, Græcè Σκόρος nomen inhæsit verius, quàm à Regione. Quomodo (Sen. scribit) Heraclito cognomen Scoti non fecit orationis obscuritas. Ad eò profundus (inquit Trithemius)

¶ Vide  
inf. in  
cap. 11.  
§. 1. vbi  
locus ei  
satur.

vbi sup.  
par. 1.

¶ Lib. 3.  
hist. Sc.  
raph. ec.  
lig.

¶ Ep. 12.  
De Scri.  
ptor. Ec.  
clesiast.

vt eius scripta paucis sint penetrabilia, & ob id quoque minus vsitata. *Vixit anno Christi millesimo tercentesimo.*

*D. Franciscus Maronius.*

Franciscus Maronius Ioannis Scoti auditor, in Theologia Scholastica suo tempore omnium calculis praestantissimus habitus. Magistri subtilitates auxit: & teste Petro Radulphio, Actum Sorbonicum Parisiis prior instituit. in cuius rei memoriã actus ipse à Franciscano incipitur, finitur à Dominicano. Scripsit multa subtilissimè, maximè in Quatuor libros Sententiarum. Abiit è vitã anno Domini 1324.

Lib. 3.  
Hist. Sc.  
raph.  
telig.

Non est propositum Theologos omnes ceterarum aetatum commemorare: multo plures inclaruerunt per scripta, ante tempora illius nostri recensoris, quos tamen omittit: & post illius aetatem non pauci exstiterunt, quos ille nesciuit. Non meminit Nicolai Orbely, non Nicolai Nisseni, neque Stephani Bruliferi: qui tamè in manus versantur Scoticae Theologiae candidatorum, quibus (tam candidè scribit Thomas Bozius de his talibus) si linguarum, historiarumque cognitio fuisset: illos ego, inquit, non in terrã natos, sed cælo delapsos dicerem. Quod verò hac parte nos abundemus, aetatis est felicitas ac temporum, non ingenij praestantia. Hodierni scriptores (liberè dico: sed verè) priscos eruditione non praestant: sed vt est facile inuentis addere, Diuã illi cultum quendam ornatiorem adhibent, sicuti pictores noui, antiquis imaginibus novos colores, vel vt cupediarij propter delicatiores, cibus per se bonis condimenta adiiciunt ad saporem. Quoniam (quod scribit D. August.) inter se habent nonnullam similitudinem, vescentes atque dicentes: propter fastidia plurimorum, etiam sicut ipsa, sine quibus viui non potest

Lib. 6.  
de figur.  
Eccle.  
Dei. 6. 4.

*Noui isti  
aetatis  
no doctis  
rei, sed ele  
gantiores.*

Lib. 4.  
de  
Doct.  
Christ.  
6. 11.

Lib.  
Bibli.  
Sanct.

potest alimēta condienda sunt. Itaq; ut in tabernis alij interdū atq; alij præficiūtur inſtitores mercibus vēdendis; merces quidem eadem manent, ſed alij alius eas oculis gratiūs proſtituere norūt: ſic eadem doctrina noſtrorum cum veterum documentis; ſed noui noſtri, methodi & cultioris ſermonis elegantiam addunt & ornatum.

Hæc de Scholaſticis Theologis. nunc de his qui ſacras litteras interpretati ſunt, magno fructu, paucis abſoluam. Communiter omnes Theologia Scholaſtica, ſacra Scriptura ſtudio adiunxerunt: ſed de his mihi ſermo, qui in hac parte illuſtiores fuerunt. Nicolaus Liranus contemnitur à contemnendis, qui calumniari didicerunt, imitari non poſſunt.

De Nicolao Lirano.

Quid de eo ſentias, docet Abbas Trithemius, his verbis: Vir in Scripturis ſanctis ſtudioſiſſimus, & lōgâ exercitatione peritus. Hebraicâ linguâ ad perfectū inſtructus. ingenio promptus, ſermone ſcholaſticus: nec minūs conuerſatione, quàm ſcientia venerandus. Scripſit in ſacris voluminibus multa præclara opuscula, quibus nomen ſuum ad notitiam poſteritatis deuēnit, quæ quàm vtilia, quàmque neceſſaria ſint omnibus ſacram Scripturam diſcere cupientibus, nemo meliūs nouit, quàm qui ſe in eorum lectione exercitauit. Sunt autē qui eum ob eloquij ſimplicitatem æſtiment contemnendum, qui mihi videntur vani & imperiti, ac ſacræ ſcientiæ ſalutari philoſophiâ indigni: quoniam & ſimplicitatem Eccleſiaſticam vituperant, & verba non res amplectuntur. Audi alterum doctum virum, non etiam domeſticum teſtem Sixtum Senenſem, Liranum magnopere commendantē. inquit: Nicolaus Liranus Scholaſticæ Theologiæ profeſſor, & Sententiarum eius expoſitor

Q 5

non

de ſcrip.  
Eccle.  
ſialt.

Lib. 4.  
Bibliot.  
ſanct.

non ignobilis: tantâ quoque diuinarû Scripturarum verâ, purâ, ac germanâ intelligentiâ, præditus, vt in eis exponendis, nullum eruditissimorum Theologorum sui temporis habuerit parem. Edidit in singula tam veteris, quàm noui testamenti volumina, Scholasticæ Postillæ libros octoginta quinque; studiosis sanctarum Scripturarum, ac præcipuè tironibus ad maiora properantibus nō vtilis solū, sed valde etiam necessarios. & c. *Et multa eximie ab eo scripta: sed nonnullus nimium sibi saperda & illum contemnit, & omnem veterem litteraturam, noctua similis: hunc odit solem, amans suarū tenebrarum, in quibus utcumque solus volare cupit.*

*De Petro Aureolo.*

*Nec mihi praterendum Petrus Aureolus Archiepiscopus Aquensis, S. R. E. Cardinalis; inter cetera scripsit Compendium omnium librorum sacre Scripturæ, quo Georgius Ederus in Oeconomiam suâ Bibliorum valde se adiutum non dissimulat, sed liberè fatetur his verbis, Cœpi de sacrorum Bibliorum artificio summatim explicando diligentius inquirere. In quâ cogitatione, cum vt par erat, diu multumq; versatus essem, en mihi non fortuitò, sed quod constanter credo, non absq; Dei quodam nutu, in manus venit libellus verè aureus; conscriptus primū à probatissimæ eruditionis & sanctitatis viro Petro Aureolo, postcà verò à doctissimo viro Iacobo Wimphelingo, magno Germaniæ Theologo, D. Ioanni Eckio dicatus. qui quod toties mihi euenire optaueram, primâ statim fronte pollicebatur, Compendium videlicet Bibliorum; hoc est, vtriusque Testamenti, atque adeò totius sacre Scripturæ epitomen. Quo semel atque iterum perlecto, magnâ cum voluptate cogno-*

*Aureus eius libellus Compendium Bibliorū.*

cognoui, diuinum hunc virum, illud prorsus ipsum, quod olim apud Ciceronem Crassus de ipsâ Iuris prudentiâ proposuit, in hac nostrâ Theologiâ Christianâ, non tantum pari dexterritate conatum, sed maiori etiam laude affectum fuisse, quam ab vilo ferè potuerit expectari. Nam sacrosanctum illud diuinæ Scripturæ corpus ferè totum in suas primùm partes; ipsas deinde partes in certos libros; hos in capita siue genera; capita verò in versiculos, tanquam generum species; & tandem versiculos in singula sæpè paullo grauioris ponderis verba, tanquam specierum differentias, tanto artificio partitus est, vt tam huius terrene, quam illius æternæ & immortalis Ecclesiæ formam, atque ad eò Bibliorum, non summam tantum comprehendisse, sed etiam artem quandam tradidisse videretur. Mirabar profectò vehementer, vtilissimum hoc opus ad eò nostris hominibus esse incognitum: quòd fere nullam antea audiuissem, neque auctoris, neque libelli tam excellentis fieri mentionem. qui dignissimus erat, meo quidem iudicio, vt eum exercitatissimus aliquis Theologus, quasi postliminio reductum, in perfectiorem paullo restitueret formam, & summis illustraret eloquentiæ viribus, &c.

*Artem  
Theologiæ  
cõplectens*

*Hactenus nobilis scriptor Georgius Ederus initio Oeconomiae Bibliorum ad lectorem studiosum. At, quod Ederus optauit, Cle. Steph. Nouelletius Theologus Parisiensis præstitit: repurgauit, tabulis analyticis illustrauit. Lege, relege, qui sacra Biblia voluis; proficies.*

Franciscus Ximenes S. Rom. Eccles. presbyter De Fron-  
Cardinalis, Archiepiscopus Toletanus, edidit ad cisco X.  
Leonem Decimum Pontificem vetus & nouum mens.  
Testa.



Testamentum, linguâ Hebraicâ, Chaldaicâ, Græcâ, & Latinâ, magnis sumptibus, sed non penitendis. quod opus multis laboribus, maximâ diligentia Compluti impressum in Hispaniâ, accitis undique terrarum linguarum peritissimis; ex Vaticanâ, & Mediceâ, Venetorumq; Bibliothecis castigatissimis exemplaribus, undecumq; etiam aliis conquisitis, nullâ sumptuum aut laborum habitâ ratione. Adiecit vltimo loco in fine operis, Dictionarium copiosissimum Hebraeorum, Chaldaeorum, & Græcorum vocabulorum. Complutensia Biblia vulgò

*Compluten-  
sia Biblia  
ps. ieronymi  
linguarum  
in easdem.*

dicuntur. Hæc toto orbe Christiano vulgata, fecere, ut ad illorū exemplaria codices multi Hebraei, Græci, Latini castigati, & in integrum restituti sint.

Plura si de his voles, adi<sup>o</sup> Bibliothecam Sixti Senensis, ex quâ hæc libavi. Instituit Academiâ Complutensem; collegiis, gymnasiis, opibus multis auxit, veltigali & annuâ pecuniâ instruxit. Inter cetera collegia, vnum est arte & magnificentia omnibus aliis facile antecellens. ibi sepultus est, ante summam aram. Sarcophago inscripto, hoc Epitaphio:

*Compluten-  
sem Aca-  
demiam  
instituit.*

*Lib. 4.  
vbi de  
Scrip.  
Ecclesi.*

Condiderâ Musis Franciscus grande Lyceû:  
Condor in exiguo nunc ego sarcophago.  
Prætextam iunxi sacco, galeamq; galero:  
Frater, Dux, Præsul, Cardineusq; pater.  
Quin virtute mea iuctû est diadema cucullo:  
Cum mihi regnanti paruit Hesperia.  
Obiit Romæ A. ∞. 15. XVII.

Denique infinita opera Franciscanorum in S. scripturam videbis, si vel obiter inspexeris, qui de Scriptoribus Ecclesiasticis memorie tradiderunt.

Leuiter quoque transibo, ac tantummodo perstringam auctores nostros, qui tractauerunt de Casibus conscientie. Auctor firmamenti trium Ordinum S. Francisci enumerat octo patres Iuris viriusque peri-

*Qui de  
Casibus  
conscientie  
114.*

*Par. 1.  
vbi de  
illustr.  
vir. Ord.  
Scrip.*

peritissimos, qui Summulas Iuris, & de Casibus  
conscientie composuerunt. è quibus P. Monaldus,  
P. Durandus, P. Petrus à Saxoniâ, P. Astexanus ab  
Astâ, auctor summae Astexanae, fuerunt celebriores.  
Sed plures nostrâ tempestate emerferunt: de qui-  
bus ego Minoridâ meis præ ceteris commendo duos,  
Alexandrum ab Ariostis, & Iosephi Angles Va-  
lentini Flores Theologicarum quaestionum in  
Quartum Sententiarum. Alexander Enchiri-  
dion scripsit, & Minorica Elucidatiua casuum  
conscientie, quæ potissimum spectant ad Minores.  
Iosephus tam dexterè conciliat dissensus Scholasti-  
corum, & difficiles casus ad eò manifestè explicat,  
& exponit, ut nihil amplius desideres. Legite vos  
Franciscani. gratiam mihi aliquis habebit, certè  
debebit pro iudicio.

Habet sanè hoc saeculum nostrum suas gemma-  
las, quæ Seraphicū Ordinem nobiliter illustrarunt.  
nec omnes recensere, sed qui notiores. ut Frânciscus  
Titelmannus, Alfonsus Castrensis, Adamus  
Sasboldus, Michaël à Medina: & qui ceteris an-  
tecellere videtur Andreas Vega. Hic magnū the-  
saurum nobis reliquit, nempe De Iustificatione  
doctrinam vniuersam, libris quindecim abso-  
lutè traditam, & contra omnes omnium erro-  
res, iuxta germanam sententiâ orthodoxæ ve-  
ritatis, & sacri Concilij Tridentini præclare de-  
fensam. Sic liber inscribitur. Et quidem S. Fran-  
ciscus sub signis suis Andream semper habuit; nec  
ille vquam sui ducis signa reliquit: attamen vi-  
deo Coloniae impressum anno salutis septuagesimo  
secundo supra millesimum quingentesimum, Mi-  
noridæ nomine suppresso. quam ignominiam etiam  
passus est noster Henricus Harphius, item Colo-  
niae excusus anno sexagesimo quarto. Boni viri,  
apud

Doffi duo  
nostro Mâ  
noridæ.

Henricus  
Harphius  
Franci-  
scanus.

apud vos ignominiosum Minoritarum nomen? an hoc solum apud hostes malè audit? Et vos audite. Carthusiani, Dominicani, Patres Societatis Iesu, Franciscani, & reliqui Ordines instructi, in festis signis in hostes incurrunt: nec quisquam inuidiosior hereticis, nisi bello melior. Nomen in fronte libri lectorem non alluciet, sed neque deterrebit, cui veritatem querere cordi est, & tenere. Quid igitur: inquis, factum inuidiosum interpretaris? absit à candido pectore: sed tamen videri potest non nimis candido. De Harphio benè habet: velut postliminio receptus in castra Minorum, editus Romæ anno octogesimo sexto, Sixto Quinto Summo Pontifici, eiusdem Ordinis dedicatus. Et Andream Vegam huius esse instituti, non incelebris scriptor. Michaël à Medina, & ipse frater Minor, testatur reliquit. Andreas Vega Minorita libris quindécim, contra Calvinum & quosdam alios hereticos, decretum Concilij Tridentini de Iustificatione, tam dextrè defendit, & hæreticas insanias tam potèter fundit, ut non immeritò eius immaturam mortem Catholici doleant. Ad illum recenset multos celebres doctosque viros ex Ordine Minorum: quorum memoriam ob singularem eruditionem, & opera præclara, omnes excipient anni consequentes.

Ceterum, ut paulisper animum advertas & aures, te oro benigne Lector. Doctrinam de Iustificatione composuit Cornelius Mussus: Doctrinam de Iustificatione exposuit Andreas Vega, uterque Franciscanus, uterque in Concilio Tridentino Theologus summus. De Cornelio Musso sic scribit Michaël ab Isselt, Cornelius Mussus, Episcopus Bontinus, à Paulo Tertio ad Concilium Tridentinum missus, Doctrinam de Iustificatione

in

Et Andreas Vega.

Lib. 1.  
de iudic.  
in Drum  
hds. 64.

Cornelius  
Mussus  
Franciscanus  
doctrinam de  
Iustificatione  
composuit in  
Concilio  
Tridentino.

In vita  
eius qui  
propo-  
nit to. 1.  
C. 5. 6.

In ordinem redegit, defendit, & determinauit, tantâ cum omniû admiratione, vt Prælati reliqui dicerent, Spiritum sanctum mirabili modo in illo fuisse operatum. *Nec frustra addam, quæ ibi subiunguntur ex Bernardino Tomitano in laudem ingenij, eruditionis, & eloquentiæ illius viri. hæc eius verba:* Est fons præceptorum, Scholæ sententiarum, Ærarium disciplinarum, Occanus legum, rituum, consuetudinum, & nominum priorum, quæ in sacris Scripturis celebrantur. *Et paullo post ita de linguâ Cornelianâ.* Testes mihi in hac re erunt (procul enim à me sit omnis adulatio) animæ illæ sanctæ, mundo nuper tam charæ, nunc cæli ornamenta, felicitis memoriæ magnificus D. Caspar Contarenus, qui postea in Cardinaliû collegium est coopertus; & Reuerendissimus Bembus: duo lumina clarissima, vnus philosophiæ, alter linguarum; qui Cornelium nostrum audientes, dicere solebant, ipsum sibi nec Philosophum videri, nec Oratorem, sed Angelum, dicendo cuncta mundo persuadentem. (*rursus in fine.*) cuius incredibilem industriam numquam tacere poterit Tridentum; cuius claritudinem numquã tempus, aut memoria hominum delebit; cuius excellentiam numquam extinguet inuidia.

*Iam verò de Andrea Vega, vir magnus Petrus Canisius, Societatis Iesu, honorificè scribit in epistolâ, quâ Ernesto Bauaro Principi Electori, Leodiensi Episcopo dedicat libros Andrea de Iustificatione, cum ita præfatur:* Nihil est dubium, variis modis de Iustificatione iam pridem disputari; & hoc quæstionis genus, in Ecclesiâ, vt grauissimum, sic & amplissimû esse: in quo viri sapientes & docti per sæpe soleant desudare. Nam hic præ-

Musica  
comisa.

Andrea  
Vega do-  
ctissimus  
Cont. Tri-  
dent. de  
iustifica-  
tione ex-  
posuit.

præcipuus doctrinæ Christianæ locus existit, qui in verbo Dei se nobis passim offert, & scriptis apostolicis sedulò inculcatur, quiq̃ à piis pro dignitate numquam potest expendi atque pertractari. *Deinde multis interpositis subiungit:* Etsi verò multi multorum Catholicorum de Iustificatione commentarij circūferuntur, qui & cum laude scripti sint, & vtiliter euoluantur: attamen operæ me præciū in primis facturum speravi, si ex Theologis omnibus deligerem vnum, nec cum quidem vulgarem, de Iustificatione, tum dextrè, tum eruditè, tū copiosè scribentem; qui vno volumine comprehensus, in lectorum gratiam euulgetur. Prodest enim vehementer, de hoc trito quidem, sed difficili & amplo argumento selecta quædam exstare, quæ & studiosis satisfaciant, & pios commonefaciāt sæpe: & bonam quidem hominum partem aduersus eos, qui latè & perniciosè grassantur errores, salutaribus velut antidotis possint præmunire. *Ac paullo post:* Illud dicam, per magni sanè referre, vt ad manum habeamus quorundam testimonia scripta, qui velut oculati testes Actionum Tridentini Concilij, coràm adfuerunt: vt horum etiam sententiâ & interpretatione, nobis & posteris explicatiora reddatur, quæ sunt in eadem Synodo constituta. Eoq̃; charior in hoc opere nobis Vega esse debet, qui Tridenti doctissimos Theologos, & sapientissimos Patres tunc differentes audiuit, cum de Iustificatione multis est mēsis acerrimè disputatum: ipseq̃; cum disputantibus aliis sua sensa studiosissimè contulit. Ex cuius viri scriptis, docti facillè deprehendent, quàm fuerit idem in eruenda confirmandaq̃; veritate laboriosus; quàm præter-

*Ipsel' heo-  
logus in  
Conc.  
Trident.*

præterea solers & exercitatus in quæstionibus obscurissimis atque grauiissimis examinandis, quas ille quidem ad normam verbi Dei libenter reuocare consuevit; sed ita, vt simul exponat, quid & antiquiores, & recentiores Theologi de re proposita iudicarent. *hæc Canisius: qui bonam operam præstitit, vt V'ega noster correctior, tutiorq; in nomine Principis magni appareret. Sed, quia publicè interest, visum mihi tantum virum asserere & vindicare instituto D. Francisci, cuius ille professor & vixit & obiit. Nam vt nemo preciosos vniones deripi sinit sua corolla: sic quidē nec nos hortulo nostro excerpere tales flores.*

Concionatorum quoque frequentia & eloquentia nūquam defuit instituto D. Francisci. In quibus etsi non eadem omnibus vis dicendi, plurimos tamen fuisse, & esse constat, qui auditores trahant, teneant, & quò volunt moueant, & inflectant: à superbîa ad modestiam; ab illecebris illis ad castitatem; à pecuniarum siti ad diuitiarum contemptum; denique ab amore mundi, ad Christi & verū æternarum desiderium. Qualis lingua S. Francisci? *unicâ concione ad ordinem trahens quingentos no- uitios eog; amplius: scilicet Spiritu sancto plena, medullas cordis penetrans, & in magnam admirationem audientes conuertens. Quid de Antonio à Paduâ? Tanta hominum multitudo ad eum confluebat, vt templa non caperent, in campis illum dicere oportuit: nec minùs triginta hominum millibus summo etiam silentio virum sanctum audientibus. Et quod valde mirū, cum iussu Pontificis Summi, Romæ concionaretur diuersis gētibus populisq;, qui ad Indulgentias illas conuenerant promerendas: visum est prodigium Spiritus sancti in illo renouari, quo olim Apostolos in Pētecoste illustrauit.*

R Nam

De Con-  
cionatori-  
bus.

S. Fran-  
cisci in di-  
cendo effi-  
sacia.

De S. An-  
tonio à  
Paduâ:  
quæ con-  
cionati-  
ones in-  
bellaxerit.

9Vitz  
c. 11.

Ib. c. 15.

Ad. 1. 11

Nam singuli audierunt, & intellexerunt idioma gentis & regionis suae, cunctis ad tantum miraculum stupentibus. Sanctum etiam Bernardinum à S. Bernar-  
 dani orat  
 tio: Senis, sic concionando valuisse narrat historia, ut quocumque loco ac tempore dicturus esset, non otiosi dumtaxat, sed opifices etiam, & omnes aly tabernis & domibus occlusis, ad eum concurrerent. Factum aliquando, ut Graeci interessent cuidam Concilio, quos ille cupiebat in fide confirmare Catholicam, sed non poterat lingua illius imperitus. Supplex orat Spiritum sanctum, ut qui Apostolis dedisset omnium linguarum notitiam, largiretur Graecis intelligentiam eorum quae esset dicturus. Spiritu fervens, multaq; in Deum fiduciam fretus, suggestum conscendit; concionatur de Catholicam fide, tam eruditè, ut admirabilitatem sui magnam omnibus faceret Graecanicus sermo, quo usus fuerat, nec tamen callebat.

A Graecis  
 intellecta

Bertholdus  
 dicit concio-  
 nante au-  
 dit sexa-  
 ginta he-  
 mionem  
 millia.

Omnibus exemplis illustris, & nescio an unquam auditum, quale de F. Bertholdo Germano scriptum reliquit Ioannes Aventinus, in hac verba; Bertholdus Franciscanus, Reginoburgio ortus, clarus integritate vitae; atque Christianae eloquentiae orator insignis fuit: sexaginta amplius millia hominum eius conciones frequentasse litteris proditur. Eius sepulchrum adhuc, non solum incolis, sed & Vgris venerabile, Reginoburgij in templo Franciscanorum ostenditur. Transscripsi ad verbum ex epistola taciti scriptoris ad Antonium Vellerum Societatis Iesu presbyterum, cui formula novitiorum fratris Davidis ab Augustam Ordinis Minorum, scripta ante annos amplius trecentos, dedicatur. quam vir doctus & pius mirifice commendans Medullam Evangelicae perfectionis appellavit. Sed & Petrus Radulphus de illo viro hac memoria tradidit.

Ber-

Lib. 1.  
 list. 5c.  
 raph. 6c.  
 118.

Bertholdus prædicator insignis, in ciuitate Ratisponâ superioris Alemanix viguit. dum ibidem sacras ad populû conciones haberet, quædam mulier spiculo veritatis profiliète percussa, tanto dolore compuncta est, vt subito spiritum efflauerit. Populo tumultuâte B. Bertholdus silentium indixit, & eo, ceterisq; iussu eius orantibus, à morte liberata est.

*Illud quoque, cum de concionatoribus est sermo, S. Antonio non omittam, quod de S. Antonio à Paduâ tradit historia. Sub concione eius (quam in agro habuit ob frequentiam populi) immanis orta tempestas, fulgura & tonitrua, & pluuie ad fugam populû compellebant. quod ille cernens, inquit, Sitis bono animo, nec vos loco moueatis: ne gutta quidè pluuix quemquam vestrum continget. Atque ita illis manentibus euenit. pluuia, grâdo copiosè profusa è celo, omnes illos intactos reliquit, nec quidem locum vbi erat concio madefaciens. cum tamen*

*aque ad instar muri circum stagnarent. Simile scribitur fecisse B. Ioannes ab Aluernâ. pluuia descendens vniuersam terram irrigauit, suggesto intacto & loco, vbi vir sanctus concionem*

*habebat ad populum. Sed & S. Bernardinus Senensis aliquando sub Dio concionans, labentem imbrem, qui populum frequentem abigebat, crucis signo continuit, repressitq; tantisper dum verba faceret. Finitâ concione, cum populus domum redisset, tanta vis imbrium proruit, vt putasses velut urnis effusos.*

*De Iohanne Capistrano, camite & socio sancti Bernardini hæc Krantzius: Iohannes in Germaniam descendit, prædicans magno zelo verbum Dei in Austriâ, Bauariâ, Sueuiâ, Turingiâ, & Saxoniâ. Nam in ciuitate Magdeburgensi,*



in iuduo foro, maximâ ad illum cōfluente multitudi-  
ne, cū esset Germanicæ linguæ nō gnarus, Latino sermone prædicabat Latinis, in tertiam horam: populo solis gestibus eius, quos antè non viderat, satis vehementer permoto. Aderat ex Germanis sui Ordinis fratribus vir æquè doctus, qui post illum non minore tēpore dicens, interpretabatur populo quæ ille dixisset. Moti sunt omnes, & vsque adeo permoti, vt feminæ ab usum in ornatu; viri ludos, quibus tempora perdunt, schacorum, alearumque, in vnum contulerint, & in eodem loco igne subdito concremarint. *Hertmannus Scheydel scribit se, Capistranum* pusillum corpore Nurmbergæ vidisse, ætate senectâ, annos quinque & sexaginta natum. siccum, aridum, exhaustum. solâ cutè neruūq; & ossibus compactum: latum tamen, & in laborem fortem, sine intermissione singulis diebus prædicatē, altas ac profundas materias absoluentem. *Hieron. Platus*, annū circiter ∞. CCCCL. vnâ excursionē duodecim infidelium millia, & multos præterea schismaticos Ecclesiæ aggregauisse.

*Masde-  
burgus quid  
egit.*

*Bernardus Fel-  
trensus.  
Montis  
pietatis  
auctor.*

*Plures  
Angeli  
visi in  
aëre, quā  
homines  
conuocari  
tē audire.*

*Auorum memoria celeberrimū concionatores floruerunt: inter quos Bernardinus Feltrensis facile principem locum tenet. Patauij instituit Montem pietatis anno 1491. siue potius (inquit Radulphus) Mare pietatis, & Mammam pauperū Christi. Bernardinus à Bustris illi æqualis, tum doctrinâ & dicendi præstatiâ similis, scribit, Bernardino Feltrensi Vincentiæ concionante, in aëre visos Angelos plures, quàm essent homines in terrâ, qui attentè audiebant verbū Dei. Quātus fuerit Bernardinus à Bustris, norunt qui legunt sermones eius, quibus Rosarij nomen præscripsit.*

*Sextū  
mundi  
ætatē.*

*Lib. 1.  
de bono  
stat. re-  
lig. c. 10.*

*Lib. 1.  
Hist. Sc-  
raph. re-  
lig.  
Rosarij  
par. 1.  
Serm. 1.  
par. 3.*

<sup>Lib. 1.</sup> <sup>Hist.</sup> <sup>Scraph.</sup> <sup>celig.</sup> scripsit. Paulo post inclaruit Bernardinus Aquilanus Concionator Apostolicus: qui (testatur Petrus Radulph.) Fragrantem omnium virtutum odorem spirans, rosamq; & liliū, imò florum omnium odoramēta excellens, miraculis cum vitæ sanctitate fulgens, multa opera ad Concionatores maximè spectantia, Latinè ac Italicè scripsit. inter ea Peregrinum, in Saluatoris nostri memoriā, qui ei in peregrini formā apparuerat. Obiit An. 1503. ætatis 83.

Bernardinus Aquilanus  
Christum  
vicit.

Sed etiam nostro ævo sanè quàm præclara lumina inclaruerunt. Prior tempore Franciscus Vice-

Franciscus  
Vicedominus  
cithara  
suis  
aut.

<sup>vbi sup.</sup> dominus Græcæ & Latine lingue peritissimus, eloquētiā fuit admirabili: quod eo mirabilius, quia in sermone familiari balbus, sed in dicendo, nullus eo promptior aut facundior. huic magna laus à magno viro Cornelio Musso: Suggesti delicias, & Citharam nostræ ætatis appellare consuevit, quod testatur Radulph. De Musso supra dixi: illud tantum addam, quod de eo Radulph. scriptum reliquit, Splendidum illud lumen, priscum illum concionandi modum, Basilio Magno vsitatū, multis postea sæculis extinctū, primum apud Italos reuocasse. Is ab anno duodecimo ætatis publicum sacrarum concionū munus aggressus, effectus est Concionator celeberrimus, & cunctis admirandus: imò concionatorū sæculi nostri columen. Quis mellita illa Suada Franciscus Panigarola? In dicendo ita eminuit, ut omnes ad se pertraheret. omnes tam auidè audirent, ut nemo à concionantis vultu oculos auerteret; omnes stuperent dulcissimi sermonis eloquentiam vernantem. Et hos nobis dedit Italia. In Germaniā, præter alios F. Iohannes Ferus notior: cuius suauiloquentiæ beneficium Maguntia obliuisci non debet. Augusta Vindelicorum,

De Francisco Panigarola.

Iohannes Ferus.

Isauro:  
Nafu.

& Reti confines, Bauari, Tirolenses gratiam habent, ceriè debent magno viro Ioanni Nafu: cuius operâ & laboribus, opida aliquot in Christianâ religione confirmata, nonnulla ad fidem reducta, multi mecum sciunt. Sed & Hispania nobis insignes viros tulit Didacum Stellam, Philippum Diez, & alias tales stellas in hoc calo, magna etiam lumina, quæ dies nostros clariùs illustrarunt.

Ab infestioris Germaniæ provinciæ Fracastanis habitacionum viginti millia quatuordecim

De Belgicæ provinciis, nihil opus est verbis cum adsunt testimonia rerum. Vt valli contra hostes statuuntur, illisq; obiciuntur fortissimi antagonistæ: sic illi ascenderunt ex aduerso, steteruntq; in prælio, in die Domini. Vita, lingua, & sanguis, quem pro religione fuderunt, in istâ Guescorum barbarie, testantur viros illos fuisse. De nostrâ Prouinciâ inferioris Germaniæ obiter dicâ, illius fuisse fratrum nostrorum Cænobîa triginta duo ante istos motus. & pleraque, à quibus tum opida, tum pagi vicini, singulis annis, mille amplius conciones habuerunt. Et nunc exstant, quæ opidanos, & rusticos quotannis pascunt, ducentis, trecentis concionibus supra mille. & pro certo est, rebus pacatis olim illam Belgicæ partem, quâ prouincia nostra est, (Brabantiam, Hollandiam, Zelandiam, Vltraetisemditionem, Frisiam, Gelriamq; minimam partem complectens) non minus viginti concionum millibus in singulos annos eruditam. Cetera quæ in Confessionibus excipiendis, & aliorum Sacramentorum administratione, monendo, exhortando, consulendo, multorum bono, à fratribus iam olim facta, & quæ nunc fiunt, studio prætereo: quia quamquam magna ista, imò maiora ad salutem generis humani haberi non possunt; tamen consuetudine iam pro nihilo habentur. Quot opida, quot pagi vix audiunt Christum prædicari, nisi à Religiosis! Sapius cum Pastores surgantur,

Alta multa bona ab illis, quæ consuetas valent.

gantur, aut fugiunt, tutoq; omnibus adesse non possunt, illi adcurrunt, ut canes venatici late explorant feras, in ipsa dumeta, silvarumq; recessus se insinuantes, quò venatores ipsi accedere nequeunt: sic illi quoque. Et, ò boni viri, vos rogo, Estne otiosus Ordo S. Francisci? aut umquam ab initio fuit? Recollige paucis, quæ supra de Summis Pontificibus ex hoc Ordine, de Purpuratorum Patrum S. R. E. Cardinalium, & frequenti Prælatorum coronâ; de Regibus, Principibusque viris qui hunc Ordinem adornarent, siue potius eo adornati, sunt dicta. Item quid Minoribus in finibus orbis terrarum, in Asia, in Africa, denique in orbe nouo, patrarent, & modo præsent. quot etiam hic Ordo purpureis martyrum rosis, quot vernet albicantibus Confessorum liliis; quàm multis diuinissimis Theologis, eximius Doctores, Concionatoribus celeberrimis, quasi micantibus stellis hoc cælum fulgeat; quàm strenuam bonamq; operam pauperes isti & mendici in Repub. Christianâ nauent: videbis illos, Deo iuuante, non sibi solum, nec paucis prodesse, sed multis. Itaque si attendis animum, & merita rectè æstimas, ex ipsâ re, posita affectu, iure sanctus Franciscus dicitur sustentare Ecclesiam ruentem. Eò hæc dicta, quia pauca scripta hætenus à nostris, plus in agendo, quàm scribendo opera collocarunt, benigna alioqui materia se offert, cui propositum erit res nostras extendere. At Nullum est tam plenum beneficium, quod non vellicare malignitas possit. Nullum tam angustum, quod non bonus interpretes extendat. Nūquam deerunt causæ querendi, si beneficia à deteriore parte spectaueris. quâ gemmâ hæc consigno.

Differt  
recollitio

Sen. 2.  
de Ben.  
cap. 18.

## IN CAPVT IV.

§. 3. Cùm orabitis, dicite Pater noster. ]  
*S. Franciscus interpretatus est Dominicam orationem paucis; mole, non pondere. quæ hîc adscribo ex Bartholom. Pisano.*

*Orationis  
 Dominica  
 expofito.*

PATER NOSTER, Creator, Redemptor,  
 Saluator, & Consolator noster.

*Confes.  
 fruc. 11.  
 & Firm.  
 triû ord.  
 par. 11.*

QVI ES IN CÆLIS: in Angelis, in Sanctis; illuminans eos ad tui cognitionem: quia tu Domine lux es, inflammans eos ad amorem tuum diuinum: quia tu Domine amor es, inhabitans & implens eos ad beatitudinem: quia tu Domine summum Bonum es, & æternum bonum, à quo omne bonum, sine quo nihil est bonum.

SANCTIFICETVR NOMEN TVVM: Clarificetur in nobis notitia tua: vt cognoscamus quæ sit latitudo beneficiorum tuorum; longitudo promissorum, sublimitas maiestatis, & profundum iudiciorum.

ADVENIAT REGNVM TVVM: vt tu regnes in nobis per gratiam tuam. & facias nos venire ad regnum tuum: vbi est tui visio manifesta, tui dilectio perfecta, tui societas beata, tui fructio sempiterna.

FIAT VOLVNTAS TVA SICVT IN CÆLO ET IN TERRA, vt amemus te ex toto corde, te semper cogitando, ex totâ animâ, te semper desiderando; ex totâ mente, omnes intentiones nostras ad te dirigendo, & honorem tuum in omnibus quærendo; & ex omnibus viribus nostris omnes vires & sensus animæ & corporis in obsequiû tui amoris, & non in aliud expendêdo. Et proximos nostros amemus

*\*Lib. 1.  
 de hist.  
 sac. im.  
 c. 45.*

*Act. 1.*

*Or. ad  
 Gen.*

mus sicut nos ipsos: omnes ad amorem tuum trahendo; de bonis aliorum sicut de nostris gaudento, in malis compatiendo; & nemini ullam offensionem dando.

PANEM NOSTRUM QUOTIDIANVM DA NOBIS HODIE: Dilectum Filiū tuum Dominum nostrum Iesum Christum da nobis in memoriam, & intelligentiam, & reuerentiam amoris, quem ad nos habuit, & eorū, quæ pro nobis fecit, dixit, & sustinuit.

ET DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, per tuam misericordiam, & ineffabilem passionis dilecti Filij tui Domini nostri Iesu Christi virtutem, & beatissimæ Mariæ Virginis, & omnium electorū tuorū merita, & intercessionem.

SICVT ET NOS DIMITTIMVS DEBITORIBVS NOSTRIS: Et quia non plenè dimittimus, tu Domine fac nos plenè dimittere: vt inimicos propter te veraciter diligamus, & pro eis apud te deuotè intercedamus; nulli malum pro malo reddamus, sed omnibus in te prodesse studeamus.

ET NE NOS INDUCAS IN TENTATIONEM, occultam vel manifestam, subitam vel importunam.

SED LIBERA NOS A MALO, præterito, præsentis, & futuro. Amen.

Ad omnes Ecclesias & Cruces, se humiliter prosternebant. ] *Iohannes Molanus*. Rectissime in viis publicis eriguntur Crucis signa & Sanctorum imagines, iuxta definitionem secundæ Nicænæ Synodi. Nam si pagani Mercurium, vt est apud Clementem, viæ, viciniam quæ præfectum statuebant: quanto magis à nobis conuenit Sanctorū imagines in viis poni, vbi eorum

R 5 patro.

Lib. 2.  
de hist.  
fac. ima.  
c. 45.  
Act. 2.  
Or. ad  
Gen.

Crucis signa  
moria  
quod co-  
crant.

patrocinium requirimus? Hinc in foro erigi iussit Constantinus Crucis signum: quod, vt <sup>Homil.</sup> Chrysoft. habet, vbiq; celebrari videre licet, <sup>Quod</sup> in foro, in solitudine, in viis, in mōtib; in col- <sup>chilim</sup> libus, in vallibus, in mari, in nauigiis, & insulis. <sup>fu. Deo</sup> Itaque Crux in viâ posita, ad omnes clamat il- <sup>Thren.</sup> lud Ieremiæ, O vos omnes qui transitis per viâ, <sup>1. 12.</sup> attēdite & videte, si est dolor sicut dolor meus.

*Tertius  
Ordo pe-  
nitentium*

5. Ordinem fratrum de p̄nitentia, ] *Hac* *causâ instituit S. vir. Canarij auspiciatus est præ-* *dicare Euangelium Christi, iam certus Dei reue-* *lacione, se, suosq; ad muneris istud datos esse. Itaq;* *(vt scribit Barptol. Pisanus) ibi tanto prædicauit* *feruore, vt omnes castri illius mares, & feminae* *eum sequi vellent. quibus ait, Non faciatis:* *quia ego ordinabo pro salute vestrâ, quid agere* *debeatis. & ex tunc cogitauit instituire Ter-* *tium Ordinem, qui dicitur fratrum & sororum* *de P̄nitentiâ. Thomas Bozius. Cùm videret* *Laicis non esse nisi vnâ viuendi inter Chri-* *stianos normam præscriptam; vt aliquos ex his* *feligeret, qui haberent, vbi vellent, sanctiorem* *viuendi formam: regulas quasdam, legesq; spe-* *ciales his præscripsit, suosq; præfectos attri-* *buit omnium primus, distinctumq; vestitum.* <sup>Confes.</sup> <sup>fu. 1. a.</sup> <sup>Lib. 6.</sup> <sup>de sign.</sup> <sup>Ecclesi.</sup> <sup>Dei. 6. 5.</sup> <sup>Par. 1.</sup> <sup>de orig.</sup> <sup>Seraph.</sup> <sup>Relig.</sup> *Reuerendissimus P. Franciscus Gonzaga tradit* *anno salutis millesimo ducentesimo vigesimoprimo,* *hunc Ordinem à S. Patre Francisco institutum: ab* *Honorio Tertio confirmatum, à Gregorio Nono,* *Innocentio Quarto, Nicolao Quarto, multis au-* *ctum fauoribus & priuilegiis. Historias Sancto-* *rum qui ex hoc ordine inter Diuos sunt relati, alius* *liber promittit.*

*Secundus  
Ordo Cla-* *risarum.*

6. Clara, ipsarum plantula prima. ] *Ordo se-* *cundus, quem S. Franciscus instituit virginibus,* *artiis*

artius Christo ancillari cupientibus, cœpti anno  
sexto à conuersione S. Francisci, An. salutis 1212.  
vñ S. Antonin. commemorat. & à Clara, primâ  
plantulâ dicitur Ordo S. Clara. de cuius sanctitate  
habes in historiâ vitæ eius. De Sororum S. Clara  
frequentia, capite precedenti dictum.

Hic p. r.  
3. tit. 29  
c. 7.

Qui quotidianis succrescentes profectibus,  
vsque ad fines orbis terræ. ] De multitudine fra-  
trum instituti D. Francisci supra abundè, ad pa-  
ragraphum quintum capitis tertij. Frequentia il-  
lius causam adfert S. Bonauentura à paupertate,  
quam beatus Franciscus fulcrum & basim Ordini  
suo subiecit, vti rerum & virtutem seruatricem.

Ludovic. Granaten. Tantum abfuit vt à beato  
Francisco institutus Ordo inopiâ cogente de-  
fecerit, vt ob hoc ipsum supra omnes alios Or-  
dines auctus ac dilatatus fuerit. Exiguus namq;  
expensis monasterium humile exstruitur. quo  
exstructo facilè monachi sine vllis redditibus,  
quæ sunt ad pauperem ac tenuem vitam ne-  
cessaria sibi comparât Hinc factum est, vt vni-  
cus beatissimi Patris Ordo plura fortasse intra  
se cœnobia, quàm reliqui omnes omniû alio-  
rum Ordinû contineat. In quo etiam Dei pro-  
uidentia mirabiliter elucet: qui cum præcipuus  
huius instituti auctor fuerit, eam mœtem cun-  
ctis mortalibus immisit, vt audito nomine Frã-  
cisci, nauiculatores, piscatores, stabularij, publi-  
cani, atque omne postremum genus hominum  
stipem cunctis eius sedatoribus porrigant, nul-  
lumq; ab eis vectigalis aut tributi genus exigât.  
Quodq; mirabilius est, immanis Turcarû na-  
tio, non modò nihil ab eis (quemadmodum ab  
aliis fidelibus) tributorum exigit: sed stipem  
etiam, & eleemosynâ petentibus præbet. quod  
ego

Cœc. de  
S. Fran-  
at. 2.

Paupertas  
Ordo  
Mores  
propaga-  
tio.



ego planè quoddam miraculi genus à diuinæ  
 prouidentia curâ profectum esse non dubito.  
 Nec minùs miror, eùdem paupertatis spiritum  
 & amorem, qui in B. Patre præfuit, ad eius quo-  
 que filios permanasse. Cùm enim omnes om-  
 nium Ordinum homines, qui in toto orbe ver-  
 santur, omni studio aurum quærant, aurum si-  
 tiant, ac pænè adorent; paupertatemq; per saxa,  
 per ignes fugiant: plurimos in hoc sanctissimo  
 ordine viros ac feminas reperire licet, qui con-  
 tra omnium mortalium vota ac desideria, ma-  
 iori studio paupertatē, quàm illi diuitias quæ-  
 rant, &c. *Nescio sitne rectius dictū ab alio in hanc*

*Epist. 4.*  
 Ea que  
 diues.

*sententiam, quàm à Seneca: Magnæ diuitiæ sunt,*  
 lege naturæ composita paupertas. Lex autē illa  
 naturæ, seis quos nobis terminos statuit. Non  
 esurire, non sitire, non algere. vt famem sitimq;  
 depellas, non est necesse superbis assidere limi-  
 nibus, nec supercilium graue, & cōtumeliosam  
 etiam humanitatem pati. Non est necesse ma-  
 ria tentare, nec sequi castra. Parabile est quod  
 natura desiderat, & expositum. Ad superuacua  
 sudatur. Illa sunt quæ togam conterunt, quæ  
 nos senescere sub tentorio cogunt, in aliena lit-  
 tora impingunt. Ad manum est, quod sat est.  
 Cui cum paupertate bene conuenit, diues est.

9. Fratrem Pacificum.] *Scribit Iohannes Mo-*

*Pacificus  
 in Belgio  
 monaste-  
 ria ali-  
 quot ex-  
 struxit.*

*lanus, operà B. Pacifici, multa monasteria exstructa*  
*in Franciâ: inter quæ Lensense, Atrebatense, &*  
*Valencenense. cuius postremi initium multâ vi-*  
 rorum nobilitate fuit decoratum. Fuit verò in-  
 ter eos nobilissimus Iudocus de Maternes, ante  
 cōuersionem gubernator Montensis: qui cog-  
 natum suum ad eundē Ordinem trahens, fun-  
 datorem vidit cœnobij Gandensis. *Obiit Paci-*

*ficus*

De ori-  
 Scraph  
 tel. par

Histor  
 par. 3  
 tit. 24  
 67. 9.

Natalis  
 Belgjad  
 10. Iul.

ficus Lensis, siue Lendij, & sepultus ibi in monasterio ab illo exstructo.

10. In loco S. Mariæ de Portiunculâ, ad Generale Capitulum.] De hoc dictum supra, ad §. 5. cap. tertij. ubi de Ordinis Minorum incrementis.

11. Viuendi formam per dominum Innocentium approbatam, disponderet per successorem eius Honorium in perpetuum facere roborari.] Cap. 3. precedenti, in fine §. 8. S. Bonauentura commemorat Innocentium Tertium Pontif. Regulam S. Francisci adprobasse anno Pontificatus eius 13. ut Gonzaga scribit: qui fuit an. salutis 1211. & hæc erat prima regula, hic verò, quam legis ab Honorio Tertio confirmatam, secunda est, in compendiosorem formam redacta, cui Franciscani omnes professione nos obligamus. Et vides suggerere Spiritus Dei scriptam: & per incuriam perditam, rursum post ieiunia & preces, velut ex ore Dei rescriptam, quam Honorius confirmauit anno Pontificatus octauo (teste S. Anton.) qui fuit salutis 1223. S. Birgitta de regulâ S. Franc. diuinitus indicatum, Christo dictatam auctore, singula eius verba à Spiritu sancto esse, dixi in Elogijs.

de orig.  
Seraph.  
tel. par. 1

Histor.  
par. 3.  
tit. 14.  
67. 94.

Regula S.  
Francisci  
Dei Spi-  
ritu sug-  
gerente  
scripta.

## IN CAPVT V.

§. 7. Qui perfectioni vitæ inuigilant, quotidianis debere se lacrymarum emundare fluentis.] De recollectione offert se occasio ut differam fufius. Duplex ea nobis, matutina & vespertina. Matutinam voco, quæ post nocturnas preces ordinariè, aliàs ipso diei exortu, agitur ante omnes actiones. Vespertina, post Completorium, antequam nos quieti damus. Distinctè de virâque agam, ipsa res postulat, & magnum bonum inde proueniens, firuè & rectè seruetur. Et profectò numquam intermit-

De recol-  
lectione  
matutina  
& vespertina.

termittenda bono viro, qui viam virtutis inire, pro-  
 gredi, & feliciter finire cupiat. Diuus Hieronymus  
 scribit Pythagoricum preceptum esse, Duorum tem- Apol. 4.  
 porum quàm maximè habendam curam, ma- aduer.  
 nè & vesperi. id est, eorum, quæ acturi sumus, Ruff.  
 & eorum quæ gesserimus. Nimirum à Deo agen- c. 10.  
 di capienda primordia: in Deum desinendum. Pul- Serm. 43.  
 chre S. Ambros. In Christi nomine omnes actus  
 nostri dirigendi sunt; & ad ipsum totius vitæ  
 nostræ cōmotio referenda: quia, sicut ait Apo- A. R. 17.  
 stolus; In ipso viuimus, & mouemur, & sumus. 18.  
 Sed & cùm vespera diem claudit, ipsi debemus  
 per psalterium laudem dicere, & gloriam eius  
 modularâ suauitate concinere: quo operû no-  
 strorum consummato certamine veluti victo-  
 res requiem mereamur, & laboris quædam pal-  
 ma sit soporis obliuio. Hoc autem vt faciamus,  
 fratres, non solùm docemur ratione, sed etiam  
 monemur exemplis. Nōne videmus minutif-  
 simas aues, cùm illucescentē diem aurora pro-  
 ducit, in quibusdam nidorum cubiculis, variâ  
 dulcedine personare? & id studiosè agere prius-  
 quam procedant, vt Creatorem suum, quia lo-  
 quelâ non possunt, suauitate demulceant? Et  
 quemadmodum vnaquæque earum, quoniam  
 confessione nequit, modulis prodat obsequiû:  
 ita vt videatur sibi deuotius gratias agere, quæ  
 dulcius personauit, hoc etiam peracto diei cur-  
 su similiter facere? (*Sic colligit alibi.*) Quis igitur Lib. 5.  
 non erubescat sensum hominis habens, si- hexsem.  
 ne Psalmorum celebritate diem claudere, cùm cap. 11.  
 etiam minutissimæ aues solemnī deuotione, &  
 dulci carmine, ortus dierum ac noctium profe- Pl. 33. 4.  
 quantur? *Omni tempore benedicendum, laudandum* Luc. 18.  
*summum Deum, sacra littera docent, simul etiam* 1.  
*sine* 1 T. 16.  
16.

*Ab omni  
 exemplo.*

sine intermissione orandum. Oratio verò complectitur, nō solum laudes Dei, & gratiarum actionem, sed & petitionem, & postulationem. nec ritē à nobis postulari quod expedit potest, nisi quod desideretur in nobis probè sciamus. Opportunius verò nunquam nos ipsos scrutari, inspicere, possumus, quam cum nobiscum sumus, cum à somno surgimus, cum ad somnum cōcedimus. Itaque oportet quidem semper orare, sed maximè tamen manè & vespere. Iam verò perfectissimam esse orationem, cum petimus cognitionem nostri primū, deinde Dei, paullo post expono fusiùs, producto insigni loco B. Augustini. Non potest autem quis se nosse, Deum multo minùs, nisi vocato ad rationem animo, acta diei & agenda studiosissimè recolat. quod quo pacto debeat fieri, sub exemplo eleganter docet B. Ephrem; Negotiatores sumus spirituales, o dilectissimi. considerate quæ dico. Negotiator per singulos dies lucrum, seu dispendium supputat: & si se detrimentum sustinere intelligat, festinat, ac sollicitudinem adhibet, quomodo damnum ipsum recuperet. Ita & tu, dilectissime, per singulos dies, vespere & manè diligenter cōsidera, qualiter se habeat ratio mercimonij tui, & c. Eiusmodi exercitio probos religiosos purgari & proficere debere, accuratissimè docuisse maiores nostros, testatur docetq. B. Dorotheus, rimari, ac perscrutari diligentissimè, quoniam pacto tempus exegerimus, quid commiserimus, num in aliqua re deliquerimus. Si (inquit) ita sollicitus fueris, saluabis mercimonium tuum: & Domino tuo placebis, & tibi metipsi utilis eris. Atque hac ratione (auctore S. Bernardo) ipsum fontem suum, id est, mentem de quâ oritur, purificat consideratio. Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigi-

Et mer-  
catorum.

lib. 1.  
de cōsi-  
deratio-  
ne.

git excessus, componit mores, vitam honestat & ordinat. Postremò diuinarum pariter & humanarum scientiam confert. Hæc est quæ confusa determinat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta & fucata explorat. Hæc est quæ agenda præordinat, acta recogitat: vt nihil in mente resideat, aut incorrectum, aut correctione egens.

*Sed quoniam à luce dies incepit, ordiemur & nos à recollectione matutinâ: quâ mens collecta in se, & ad varios casus obfirmatus animus feliciter diè transigere queat. Ipse Dauides hortatur suo exemplo: Præueni in maturitate, & clamaui, quia in verba tua supersperaui. Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua. Similiter eius filius Salomon, cum Deo loquens, Quoniam oportet præuenire solem ad benedictionem tuam, & ad orientem lucis te adorare.*

*S. Ambrosius.* Graue est enim si te otiosum in stratis radius solis orientis inuerecundo pudore conueniat: & lux clara feriat oculos somnolento adhuc torpore depressos. Arguit nos tanti temporis spatium sine vllius deuotionis munere, ac sacrificij spiritalis oblatione feriata transmissum. An nescis, ô homo, quòd primitias tui cordis ac vocis quotidie Deo debeas? Quotidiana tibi messis, quotidianus tibi fructus. Occurre ergo ad Solis ortus, vt te Oriens inueniat iam paratum: ne lumina tua madido adhuc sopore mergentia, primus diei fulgor exagitet. *Priscis Christianis hoc solemne & quotidianum fuisse scribit Plinius Secundus ad Imperatorem Traianum* quòd essent soliti stato die ante lucem conuenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum

Summo  
mane ef-  
ferenda  
Deo pri-  
mitia cor-  
di & oris.

Psal. 118  
147.

Sa. 16. 11

Ser. 19.  
in Pla.  
118.

Ser. 8.  
Pfal.

Exemplo  
pri. cor. 11.

Epist. 39

secum inuicem: seque Sacramento non in se-  
culus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latro-  
cinia, ne adulteria committerent, ne fidem fal-  
lerent, ne depositum appellati abnegarent: qui-  
bus peractis, morem sibi discedendi fuisse. *Ter-*

*Cap. 2. tullianus Plinij scriptum in Apologetico aduersus  
gentes rescribit: illumq; cum Proconsulem Bithy-  
nia ageret, etiam diligentissimè in Christianos in-  
quisisse: tamen nihil de sacris eorum comperisse,  
quam cœtus antelucanos ad canendum Chri-  
sto & Deo: & ad confederandam disciplinam,  
homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam,  
& cetera scelera prohibentes. Vides quo pacto il-  
li animum composuerint, & sensus perduxerint ad  
firmitatem? Mentem pręparare necesse est, vt cum  
tentationum procella & tempestates incurrunt,  
turbare non possint, & mouere. Igitur omnibus ob-  
seruandum, quod exemplo suo docuit regius Psaltes:*

*Ser. 8. in Pfal. 118.* Cogitauī vias meas: & conuerti pedes meos in  
testimonia tua. *In quem locum hæc D. Ambros.*  
Diuiduus sensus; aut quia vias superiores meas  
cogitauī, plenas lapsus atque peccati; & ideo vt  
remissionem peccatorum possẽmereri, mo-  
rum conuersione, studioq; virtutum auerti pe-  
des meos in testimonia tua: vt iam non meis  
gressibus, quibus antè sum lapsus, sed testimo-  
niorum tuorum itineribus ambularem, quò  
tuorum semitæ mandatorum me errare non si-  
nerent, nec vestigium in deuia & tortuosa de-  
flecterem. Hic ergo vnus sensus est. Alius au-  
tem ita. Cogitauī vias meas, non superiores, sed  
futuras: vt antè, meos actus cogitationibus præ-  
uenirem, ne inconsultâ operatione progressus,  
aliquid in ipsis actionibus offensionis incide-  
rem. Vt si agere aliquid velim, antè cogitem,

S

vtrum

*Qui mē-  
tem cōfir-  
mabant  
aduersus  
omnes tur-  
bellas.*

vtrum agendum sit illud quod desidero, aut quod  
 agendum modo. Similiter si alloquendum, vtrum  
 alloqui debeam: deinde publice an secreto lo-  
 qui, presentibus aliquibus, aut nullis. Sicut il-  
 lud est, vt si velis fratrem corripere, primo so-  
 lus corripias; secundo, presentibus duobus aut <sup>Mat. 18.</sup>  
 tribus testibus; tertio, si non audierit, coram Ec-  
 clesia. Itaque si praetermisso ordine velis coram  
 Ecclesia fratrem increpare, quem ante monere  
 debueras, erratum ipse cognoscis. Omnia igitur  
 cum cogitatione facito, vt non te poeniteat  
 aperti oris tui. An vero si viam ingressus, cum  
 veneris ad compitum aliquod, (ita enim appel-  
 latur plurimarum velut quidam concursus via-  
 rum) si nescias quod iter ingredi debeas, stas ta-  
 men & cogitas ipse tecum, vtrum primam, an  
 secundam, an tertiam, an quartam, vel certe  
 quintam, si ita est, viam eligas quam sequaris:  
 nec putas prius adoriendum iter, quam animo  
 definieris, & pleniore mentis intentione deci-  
 deris. Stas igitur cogitans, quae sit via quae in ci-  
 uitatem ducat, ad quam tibi putas esse pergen-  
 dum. Quanto igitur magis animo debes ac-  
 mente consistere, qui ad regnum caeleste con-  
 tendis, & cogitare tecum, quia non omnis via  
 illud ducit, non omnis via illud dirigit, ad Hieru-  
 salem illam quae in caelo est! Sunt viae quae ma-  
 los exitus habent, quas diaboli tentamenta tri-  
 uerunt: & ideo exitus earum exitus mortis sunt.  
 Haec nempe sunt viae, de quibus legisti in Pro-  
 uerbiis, quia sunt viae quae videntur viro rectae  
 esse; vltima autem earum aspiciunt in profun-  
 dum inferni. Est autem via angustior illa, quae <sup>Mat. 7.</sup>  
 ducit ad Dei regnum. Volens ergo eam ingre- <sup>14.</sup>  
 di viam quae ad Deum ducit, non circumspicies,  
 non

Simile  
 elegant.

Pal.  
 148.

Sen.  
 27.

r. De  
 Traque  
 an. c.  
 5.6.

non tecum ipse tractabis, non considerabis, ne  
facile capiaris affectu, si via latitudine prouo-  
catus ingrediaris iter, quod ad inferna deducat?

*Paulo post.* Cogitandum est igitur quid gera-  
mus. Vbi enim præcedit cogitatio, maturitas  
operationis adhibetur. Itaque pes iste, fidei ve-  
stigium est, quem meditatione perpensâ à cor-  
poralibus motibus, ad testimonia diuina defle-  
xit. Quid igitur profit cogitare antè, quod post-  
eâ facturus sis, docet versiculus qui sequitur;

Psal. 118  
148. Paratus sum, & nõ sum turbatus, vt custodiam  
mandata tua. Vbi cogitatione quis præuenit

quod acturus est, semper paratus ad agendum  
est, semper fixus & validus: vt non queat subitâ

*Iacula  
præuisa  
minus fe-  
ruunt.*

aliquâ accidentium offensione turbari. Nulla  
enim flabra scopulosâ nimis ambitionis excu-  
tiunt; nulla procella atque tempestas iniustâ  
inuasione exagitat; non petulantis oculus me-  
retrici illaqueat. Si persecutio ingruit, inuenit  
iam paratum: vt vbi possit esse perturbatio sa-  
lutis incertâ, ibi sperata sacri corona certami-  
nis, prouidâ futuri meditatione demulceat.  
Ideoq; mentem suam præparare debet: vt cum  
ista acciderint, turbare se non queant. *Hactenus*

*Sen. ep.* S. Ambrosius. *Porrò autem quoniam* numquam  
27. satis dicitur, quod numquam satis discitur: *ad-  
dam Sapiencia Romane parentis saluberrimū præ-  
ceptum de re eadem. Multa ab ipso bene dicta refe-  
ro, quia non illius modò, sed publicæ sunt voces. hæc*

*ait:* Inspicere debemus primùm nosmetipsos:  
deinde quæ aggredimur negotia; deinde eos  
quorum causa, aut cum quibus agendum est.  
Ante omnia necesse est seipsum æstimare: quia  
fere plus nobis videmur posse, quàm possimus.  
Alius eloquentiæ fiducia prolabitur, alius pa-

*Inspicere  
primùm  
debemus  
nosmet-  
ipsos.*



trimonio suo plus imperabit, quàm ferre possit. Alius infirmum corpus laborioso oppressit officio. Quorumdam parum idonea est verecundia rebus ciuilibus, quæ firmam frontem desiderant. quorumdam contumacia non facit ad aulam. Quidam non habent iram in potestate: & illos ad temeraria verba quælibet indignatio effert. Quidam vrbauitatem nesciunt continere, nec periculosos abstinent salibus. Omnibus his vtilior negotio quies est. <sup>a</sup>Estimanda sunt deinde ipsa quæ aggredimur; & vires nostræ cû rebus quas tentaturi sumus, comparandæ. Debet enim semper plus virium esse in actore, quàm in pondere. Necessè est opprimant onera, quæ ferènt maiora sunt. Quædam præterea non tam magna sunt negotia quàm fecunda, multumque negotiorum ferunt. Et hæc fugienda sunt, ex quibus noua occupatio multiplexque nascitur. nec accedendum eò, vnde liber regressus non sit. His adiuuenda manus est, quorum finem aut facere, aut sperare possis. Certè relinquenda quæ latius actu procedunt, nec vbi proposueris desinunt. Hominum quoque delectus habendus est, an digni sint quibus partem vitæ nostræ impendamus; an ad illos temporis nostri iactura præueniat. Quidam vltro officia nostra nobis imputant. Athenodorus ait, ne ad cœnam quidem se iturum ad eum, qui sibi nil pro hoc debiturus sit. Puto intelligis, multo minùs ad eos iturum, qui cum amicorum officiis paria in mensâ faciunt, qui fercula pro congiariis numerant: quasi in alienum honorem intemperantes sint, deinde illi sint testes spectatoresque. Non delectabit popina secreta. Considerandum est, vtrum natura

Deinde  
qua ag-  
gredimur  
negotia.

Postea  
quorum  
causam.

tura agendis rebus, an otio, studio, contemplationique sit aptior: & eo inclinandum, quo te vis ingenij defert. Malè enim respòdent coacta ingenia: reluctante naturâ irritus labor est.

<sup>1</sup>Hom.  
<sup>2</sup>Ad An.  
tiochen.

*Claudo hæc verbis S. Ioannis Chrysostomi: Si in matutinis hæc meditemur, cum multa fiducia procedemus ad opera, si Deum prius propitium fecerimus occurru & supplicatione. Nihil habebimus inimicum: quod habes deridebis, propitium habens Deum. Bellum est in foro, pugnam quotidianam exhibent negotia, tēpestas & procella. Armis itaque nobis opus est. magna verò armatura oratio. Opus est ventis à puppi, opus omnia discere, vt diei spatiū absque naufragiis & vulneribus transigamus. Multi namque per singulos dies scopuli, & frequenter illiditur scapha, atque submergitur: propterea nobis opus est oratione, matutinâ præsertim & vespertinâ.*

*Et quidem hoc modo animus est aptandus summo manè: ne casuum perturbet varietas, sed aduersus incerta sit certus. Verum quoniam plerumque instabilior, & plurimis distentus, sui obliuiscitur nimis sæpe: non attendit semper propositi consilium, neque quod transuersum à rectâ defleat regulâ, & regiâ illâ viâ. Itaque sub vesperum animum collige, & causam apud te dicito, scrutans totum diem, dicta omnia factaq; remetiens. Hoc docet sapiens*

*Sub nocte  
animus  
ad rationē  
vocandus  
quotidie.*

<sup>1</sup>Sen. de  
ira. c. 36.

*Romanus: "Animus quotidie ad rationem reddendam vocandus est. Faciebat hoc Sextius, vt consummato die cum se ad nocturnâ quietem recepisset, interrogaret animum suum; Quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? quâ parte melior es? Desinet ira, & erit moderatior, quæ sciet quotidie ad iudicē esse venien-*

dum. *In eandem sententiam D. Chrysoſt.* <sup>Hom.</sup> Con-  
 ſtitue ſuper conſcientiã iudicantem rationem; <sup>4. ad</sup>  
 & in medium omnia patrata propone. Anima <sup>Anno-</sup>  
 tuã peccata ſcrutare, & pœnas exige diligenter. <sup>chen.</sup>  
 & dic; Quamobrem hoc & hoc auſa es? Et ſi  
 hæc quidem fugiat, aliena verò diſcutiat, dic ad  
 eam; Non de his te iudico: non pro his veniſti  
 te purgatura. Quid enim ſi ille malus? quare tu  
 hoc & hoc admiſti? noli accuſare. tua confide-  
 res, non aliena. & eam in hanc agas anxietatem  
 continuè. Poſteà ſi nihil quod dicat habeat, ſed  
 refugiat: dilania flagellans eam, quaſi quãdam  
 ancillam inſolentem & fornicantem. Et quoti-  
 die huiuſmodi iudicium conſtitue, & ignis flu-  
 men deſigna, veneniferum vermem, tormenta  
 reliqua. (*Quibusdam interpoſitis.*) Cùm autem  
 hæc examinaueris, adſit nemo, nemo tumultu-  
 eretur: ſed ſicut iudices ſub velis iudicant ſe-  
 dentes, ſic & tu pro velis, quietis tempus &  
 locum inquire. Et cùm coenatus ſurrexeris,  
 & ſis recubiturus, iſta tunc diſcerne. Hoc ti-  
 bi tempus idoneum: locus autem lectus & cu-  
 biculum. Hoc & Propheta iuſſit, dicens: Quã <sup>Pſal. 4.1</sup>  
 dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris  
 compungimini. Et paruorũ magnas exige pœ-  
 nas, ne magniſimumquam approximes. Si per ſin-  
 gulos hoc feceris dies: cum fiducia ſtabis ante  
 tremendum illud tribunal. Paulus ita purus eſt  
 factus: & propterea dicebat, Si enim noiſpſos <sup>1. Cor. 11</sup>  
 iudicarem, non iudicaremur. <sup>12.</sup> Ideo quãtum <sup>Sen.</sup>  
 potes teipſum coargue, inquire in te. Accuſa- <sup>Epitt. 11</sup>  
 toris primũ partibus fungere, deinde iudicis,  
 nouiſſimè deprecatoris. Quòd ſi quotidie pec-  
 cauerimus (*ſalutare D. Chryſoſtomi monitũ*) <sup>1. ser. de</sup> &  
 animam noſtram contuderimus; numquã at- <sup>penit.</sup>  
 tem <sup>& cont.</sup>

Ut iudi-  
 cio Dei ſe-  
 curi ſiſta-  
 mur.

Cap.  
 24.

tem senserimus, sicut continuò vulnera accipientes & desipientes, febrim mortemque sibi accersunt: ita utique & nos inevitabile nobis supplicium, cōtinuâ sensus carentiâ attrahemus.

7. Non est ob amorem luminis, quod habemus commune cum muscis. ] *Simile prorsus, quod Socrates scribit de caco Dydimō, omni tamen litterarum genere exulto.* Fertur Antonium cum hoc Dydimō in colloquium venisse: eiusque doctrinam & intelligentiam cum perspexisset, ei dixisse: Nihil te conturbet, Dydime, quòd sensu oculorum corporeorum orbatu sis. Nam quamvis tales oculi, quales muscis & culicibus tribuuntur ad servandum, tibi prorsus desint: tamen lætari plurimum debes, quòd illos habeas oculos, quibus Angeli aspiciunt, quibus Deus ipse cernitur, quibus denique clarissimum eius lumen comprehenditur.

*Non est cæcus quæ Deum videt, etsi careat oculis.*

8. Ab aure usque ad supercilium coctura protracta. ] *Cocturam videtur cauterium appellare, quomodo S. Bernardus: Nōne & in nostris membris, sæpe pro vnius infirmitate, alteri adhibetur curatio? Dolet caput, & in brachio fit coctura: dolent renes, & fit in tibiâ. Ita hodie pro totius corporis putredine, cauterium quoddam infixum est in capite.* *Loquitur de Circumcisione*

Cap. 16. *Christi Salvatoris, Ser. 3. de Circumcis. Domini.*

24. Nec ignis ardorem sensu. ] *In libro Sapientie legimus, Creatura tibi factori deseruiens exardescit in tormentum aduersus iniustos: & lenior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt.*

Apud eremum S. Urbani. ] *Cur ita dicatur, disserit Ioannes Molanus li. 3. de historiâ sacrarum Imaginum c. 19. opinionem suâ adfert, nihil ponit.*

*Aquam in vinum mutar. S. Francisc. & totum fontem.* Vinum efficitur optimum quod fuerat aqua pura. ] Refert<sup>a</sup> Barpt. Pisanus S. Franciscum in *Marchiâ Anconitanâ, apud locū de Trabebonante cū Ecclesiam adificaret aestivo tempore, fontem totum in optimum vinum commutasse. Operarij vinum poscebant: nec exspectabāt fratres, qui vinum ierant allatum. Tunc B. Franciscus ad fontem ibi vicinum perrexit. & ibi factâ oratione, fontem crucis signo cū signasset, aqua ipsius fontis in vinum optimum est conuersa. quæ conuersio ad horam durauit. Ibidem scribit etiam acetum ab illo in vinum commutatum.* *Confor. fruc. 11.*

## IN CAPVT VI.

§. I. Omnium virtutum custos & decor humilitas. ] *Hugo à S. Victore: Discite à me quia mitis sum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris. Ecce mel humilitatis, cum dulcedine mansuetudinis. Sicut enim mel concordat in confectionibus medicinæ cū omnibus diuersitatibus specierū: sic ex humilitatis dulcedine cōdiuntur omnia genera virtutum.* *Lib. 3. de clauf. animæ. Mat. 11. 29.*

4. Non tam præesse voluit, quàm subesse. ] *Magnificè hic à S. Patre commendatur obedientia. & rectè: quia docente B. Augustino, Ea virtus* *Lib. 14. de eu. Del. 6. 13.*

*Obedire salutare rationali creaturæ.*

in creaturâ rationali mater quodammodo est omnium, custosque virtutum: quandoquidem sic facta est, vt ei subditam esse sit vtile. perniciosum autem suam, non eius à quo creata, facere voluntatem. *Nec Deo tantummodo obediendum, verùm etiam hominibus: idq; exemplo Christi Filij Dei, qui fuit subditus parentibus.* *Origenes: Si Iesus Filius Dei subiicitur Ioseph & Mariæ: ego non subiiciar Episcopo, qui mihi à Deo ordinatus est pater? non subiiciar presbytero, qui* *Luc. 2. 51. Hom. 10. in Luc.*

qui mihi Domini dignatione prepositus est? Nec talis penitenda subiectio: quia multo præstantior est Christiana humilitas & seruitus regum opibus & superbâ. *Audi Minoridarum pedagogum.*

45. Ro-  
ni u.  
Spec.  
discip.  
lib. 1. c. 4

Felix hæc seruitus, imò gloriosa libertas, quâ quis sponte in regiam veditus seruitutem, Deum & eius Vicarios potius, quàm seipsum, super se regnare cõstituens, suæ profus renunciat voluntati. *Eius rei causam præcipuam reddit*

4 Depro-  
f. rel. g.  
l. 1. c. 39

*alibi, ut homo qui sub Deo esse noluit peccando, & ita superbiendo gratiam Dei perdidit, satisfaciat ei subiiciendo se homini propter Deum: & ita per humilitatis meritum gratiam Dei recuperet, quam amisit. Porro autè de propria voluntate, matre inobedientia, nota est S. Bernardi sententia;* Quid enim odit aut punit Deus

4 Ser. 3.  
de resur.  
Domini.

præter propriam voluntatem? Cesset voluntas propria, & infernus non erit. *Hanc pestem ut evitent veteres monachi, obedientia se iugo penitus subdiderunt: Nam præcipua monachi hæc & prima virtus, quæ in Christo maximè fulsit.*

Phil. 1. 8

Humiliavit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum. & c. S. Ambrosius. Considera ô homo quid legas! Non laboravit Apostolus potentiam Christi probare, sed obedientiam predicare: sed demonstrare, quanta sit humilitatis gratia, quâ eius profectus! Si putas quòd Christo profuit humilitas sua: cui ergo non proderit? si illū exaltavit, quē non augebit?

Ser. 20.  
in Psal.  
118.

Duo referam humilitatis, & incredibilis prope modum obedientia magna miracula, ad excitandam virtutum emulationem, ex Sulpicio Severo, quibus obedientia meritum & virtus cognoscetur. Cùm quidam sæculi actibus abdicatis, monasterium

1. Dia-  
log. 12.

5

sterium

sterium magnæ dispositionis ingressurus, cœpisset rogare, Abbas cœpit ei multa proponere: graues esse istius disciplinæ labores; sua verò dura imperia, quæ nullius facilè valeret implere patientia. aliud potius monasterium, vbi facilius legibus viueretur, expeteret, nō tentaret aggredi, quod implere non posset. Ille verò nihil his terroribus permoueri, sed magis ita omnem obedientiam polliceri, vt si eum Abbas in ignem ire præciperet, non recusaret intrare; quam illius professionem vbi magister accepit, non cunctatur probare profitentem.

*Cuius vi  
et potètia  
caminum  
ardentem  
ingressus  
non vni-  
sur.*

Casu clibanus propter ardebat, qui multo igne succensus, coquendis panibus parabatur. exundabat abruptis flamma fornacibus: & intra camini illius concaua, totis habenis regnabat incendium. hoc igitur aduenam illum iubet magister intrare, nec distulit parère præcepto. Medias flammæ nihil cunctatus ingreditur: quæ mox tam audaci fide victæ, velut illis quondam Hebræis pueris, cessere venienti. Superata natura, fugit incendiū: & qui putabatur arsurus, velut frigido rore perfusus, se ipse miratus est. Sed quid mirum, si tuum Christe tironē ignis ille non attigit? vt nec Abbatem pigeret dura mandasse, nec discipulum pæniteret imperio paruisse, qui eo die quo aduenerat, dum tentaretur infirmus, perfectus inuentus est: meritò felix, meritò gloriosus, probatus obedientiâ, glorificatus est passione.

In eodem autem monasterio factū, id quod dicturus sum, recenti memoriâ ferebatur. <sup>Sulpic. ibid. 13.</sup> Quidam itidem ad eundem Abbatem recipiendus aduenerat, cum prima ei lex obedientiæ poneretur, ac perpetem polliceretur ad omnia vel extre-

extrema patientiam: casu Abbas storacinam virgam iam pridem aridam manu gerebat; hanc solo fixit, atque illi aduentæ id operis imponit, ut tam diu virgulæ aquam irriguam ministraret, donec, quod contra omnem naturam erat, lignum aridum in solo arente viuisceret. Subiectus aduena duræ legis imperio, aquam propriis humeris quotidie conuehebat, quæ à Nilo flumine per duo ferè milia petebatur. Iamq; emésò anni spatio, labor non cessabat operantis. & de fructu operis spes esse non poterat: tamen obedientiæ virtus in labore durabat. Sequens quoque annus vanum laborem iam affecti fratris eludit. Tertio demùm succedentiũ temporũ labente curriculo, cùm neque nocte, neque interdiu aquarius ille cessaret operator, virga floruit. Ego ipsam ex illâ virgâ arbusculâ, quæ hodieq; intra atrium monasterij est ramis virentibus, vidi: quæ quasi in testimonium manens, quantum obedientia meruit, & quantum fides possit, ostendit. *Hactenus Sulpicius.*

*Et lignum aridum virescit.*

*Quamuis autem obedientia cuique religioso summo opere colenda sit, tamen B. Franciscus raro per obedientiam præcipiendum esse censebat; nec primò fulminandum iaculum, quod debet esse extremum. Ad ensem, inquit, non citò manus mittenda est. Nam auctoritas imperandi in temerario præceptore, quid est aliud, quàm gla-*

*dius in manu furiosi? hac Speculũ vitæ S. Franc.*

*Cap. 48. & Bartholom. Pisan.*

*6. Dominus Ostiensis Ordinis Minorum*

*Protector, & promotor præcipuus, Gregorius Nonus.] Ut vites nisi arboribus adplicitæ in cacumen adsurgere non possunt; propagantur autem & fructificant comprehensis pedamentis & statumini-*

*Gregorius IX. protector Ordinis Seraphici.*

*nibus*



nibus quibus fulciantur: sic Ordines Religiosorum habuere suos fautores, quorum patrocinio subnixi creuerunt. Primus Ordinis Seraphici protector hic, Hugo dictus, siue Hugolinus: postea Pontifex Maximus, Gregorius Nonus. adeo dilexit Ordinem, ut eius saepe induerit habitum gestaueritq. ut commemorat Barptolom. Pisan. Addit Petrus Radulph. in habitu S. Francisci sepultum. De qua re fusius infra in cap. 15. ad §. 7. Fuit vir laudatissimus, & doctus; libros Quinque Decretalium composuit, & digessit.

7. Vni fratri.] Fuit iste frater Pacificus, de quo supra. Barpt. Pisan. Conf. fruc. 8. & alibi.

Clerus à nobis obseruandus & iuuandus.

9. Humilitate victus Episcopus.] Insigni exemplo docemur Clerum à nobis obseruandum, & cum eo federandam pacem perpetuam, de qua re saluberrimum monitum S. Francisci ex Speculo vite eius. Dicebat fratres Minores in adiutoriū Clericorum missos ad animarum salutem: ut quod in illis inuenitur minus, suppleatur à nobis. quilibet autem recipiet mercedem, non secundum auctoritatem, sed secundum laborem. Scitote fratres, inquit, quod Deo est gratissimum animarum lucrum. & hoc melius possumus consequi cum pace, quam cum discordiā Clericorum. Si autem ipsi salutem impediunt, ipsorum Dei est ultio, & ipse retribuet eis in tempore. Ideoque subiecti estote Prælati, ne quantum ex nobis est, malus zelus confurgat. Si filij pacis fueritis, clerum & populū lucrabimini: & hoc acceptabilius Deo, quam populū solum clerico scandalizato lucrari. Tegite, inquit, lapsus, & multiplices ipsorum supplete defectus: & cum hoc feceritis humiliores estote. Præclara doctrina, verba simplicia: tamen velut daps opipara in ligneo

Cofo.  
fruc. 3.

Lib. 1.  
Histor.  
Seraph.  
relig.

In c. 4.  
§ 9.

Cap. 14.

*ligno catillo. Transcripsit eadem hac Bartholom.  
Pisan. Conf. fruc. 12. cap. 17. in monitus S. Franc.*

10. Dæmones in Christi militem.] *M. Maru-*  
*lus:* Quis autem perfectionem vitæ professus in  
 ædibus magnatum securè versari poterit, si *Se-*  
 raphicus Franciscus eam ob causam, diuino *Monas-*  
 permissu dæmonum verbera passus sit? Apud *rio raro*  
 Leonem sanctæ Crucis Cardinalem dies aliquot moratus, pœnam sustinuit, & culpam ag-  
 nouit: illicoque discessit, atque ad monaste- *egredicam*  
 rium rediens, rem quæ sibi contigerat, vt ceteri  
 cauerèt, indicauit. Ouis quippe quæ ouili egre-  
 ditur, lupi morsibus patet. *Magnus ille Anto-*  
*mus* dicere solebat, aquam piscibus alimento *Ab exem-*  
 esse, solitudinem autem monachis afferre or- *pio piscis.*  
 namentum. atque illos cum continentem at-  
 tingant, vitam amittere: hos autè similiter cum  
 vrbes adeant, monasticam grauitatem perdere  
 solere. Interpretare vocabulum monachi, *in-*  
*quit B. Hieron.* hoc est nomen tuum. quid facis *A mona-*  
 in turbâ, qui solus es? Et hoc ego non integris *chi notio-*  
 rate vel mercibus, nec quasi ignarus fluctuum *ne.*  
 præmoneo: sed quasi nuper naufragio eiectus  
 in littus, doctus nauta timidâ nauigaturis voce  
 denuncio. In illo æstu Charybdis luxuriæ salu-  
 tem vorat. Ibi ore virgineo ad pudicitia perpe-  
 tranda naufragia, Scylla ceu renidens libido *Ad vitæ*  
 blanditur. Hic barbarû littus, hic diabolus pira- *da pericu-*  
 ta, cum sociis portat vincula capiendis. Nolite *la.*  
 credere, nolite esse securi. licet in modû stagni  
 fufum æquor arrideat, licet vix summa iacentis  
 elementi spiritu terga crispentur: magnos hic  
 campus montes habet. intus inclusum est pe-  
 riculum, intus est hostis. Expedite rudentes, ve-  
 la suspendite. Crux antennæ figatur in fronti-  
 bus.

bus: tranquillitas ista tempestas est. *Nota, nota, pio & religioso crebrò è monasterio non egrediendum: sed amplectenda quies est, fortiterq; durandum in loco, ut animi firmitatem stabiliat. Non est à bono, quouis prae-textu exire velle.* Siquidè diabolicum istud commentum est, quâdo huiusmodi artificio uti aduersarius solet, ad disciplinæ nostræ stabilitatem, ordinemque religiosæ huius vitæ labefactandum, ac peruertendum. atque hoc modo nos voluptatum illecebris illectos, variis, iisque instabilibus cogitationibus facere obnoxios studet. Sed in eo potius elaborandum est cuique, ut tacitis secum colloquiis, intimisque cogitationibus, animi sui vitia diligenter perpendat & corrigat. Sedata siquidem animi & requieta constitutio, virtutis est argumentum certissimum. *At verò discursus & frequens peregrinatio conceptam animo deuotionem isto suo statu ac restatu rerum, varietatumq; euentulat, dispelluq;.* Palchrè Sen. Frequens migratio instabilis animi est. coalescere otio non potest, nisi desinat circûspicere & errare. ut animum possis continere, prius corporis tui fugam siltè. Neque verò tamè propterea perpetuò est tanquam in custodiâ permanendum: sed quando-cumque & res polcirit, & cõscientia non reprehendit, liberè est fidenterque prodeundum; ita tamè ut modus teneatur, & praua omnis suspicio euitetur. *Abscondamus igitur nos in otio, sed & ipsum in otium abscondamus. quia optimũ non iactare otium suum. iactandi autem genus est, nimis latere, & à conspectu hominũ secedere.*

In qua  
pellicere  
studet  
diabolus.

Basil.  
M. 2.  
lib. Mo.  
n. 1. c. 8.

Epil. 7.

Basil.  
vbi sup.

Sen. 1.  
69.

IN

## IN CAPVT VII.

De amore paupertatis. ] Pulchra connexio hu- <sup>Pauper-</sup>  
 militatis & paupertatis : cum superiore capite de <sup>tas por-</sup>  
 humilitate egisset scriptor noster, apud <sup>fectionis</sup> subiungit de <sup>radix.</sup>  
 paupertate, quam S. Franciscus appellat humili-  
 tatis fomentum, perfectionisq; radicem. Pau-  
 peres ut plurimum modesti, & animo abiecto: non  
 item diuites. Et quia vir sanctus oderat superbiam,  
 respuit diuitias, è quibus superbia & fastus. S. Au-  
 gust. Nihil est quod sic generent diuitiæ, quo-  
 modo superbiam. Omne pomum, omne gra-  
 num, omne frumentum, omne lignum habet  
 vermem suum. Et alius est vermis mali, alius  
 piri, alius fabæ, alius tritici: vermis diuitiarum <sup>Diuitia-</sup>  
 superbia. Item Seneca. Abstrahunt à recto diui- <sup>rum ver-</sup>  
 tiæ, honores, potentia, & cetera, quæ opinione <sup>mi super-</sup>  
 hominum cara sunt, pretio suo vilia. Nescimus <sup>bia.</sup>  
 æstimare res, de quibus nõ cum famâ, sed cum  
 rerum naturâ deliberandum est. Nihil habent  
 ista magnificum, quod mentes nostras in se tra-  
 hit, præter hoc, quod mirari illa consueuimus.  
 Non enim quia concupiscenda sunt, laudatur,  
 sed quia concupiscuntur, laudata sunt. Hanc  
 præcedentem causam habent diuitiæ. Inflan-  
 t animos, superbiam & arrogantiam pariunt, in-  
 uidiã contrahunt: eo usque mentem alienat,  
 vt fama pecunię nos etiã nocitura delectet, & c.

§. I. Cuius est fructus multiplex, sed occul-  
 tus. ] Rursus in hanc sententiã Seneca. Multis  
 ad philosophiam obstiterẽ diuitiæ: paupertas  
 expedita est, secunda est. Cum classicum cecinit, <sup>Comeda</sup>  
 scit non se peti: cum aliqua conclamatio est, <sup>paupertas</sup>  
 quomodo exeat, non quid efferat, quærit. Aut <sup>tu magna</sup>  
 si nauigandum est, non perstrepunt portus, nec  
 vnus

Basil.  
Ag.  
b. Mo-  
st. 1. 6.  
tit. c. 8.§. 1. hu-  
ius cap.De vet.  
Do. Scr.  
1. 10. 10.Epif. 88.  
& lib.  
de paup.

Epif. 70.

Basil.  
bi. sup.en. 17.  
9.

vnius comitatu inquieta sunt littora. non circumstat illum turba seruorum, ad quos pascendos transmarinarū regionum est optanda fertilitas. Facile pascere est paucos ventres, & bene institutos, & nihil aliud desiderantes quā impleri. Paruo fames constat, magno fastidium. Paupertas contenta est desiderii instātibus satisfacere. *Vt iure alibi exclamet: O paupertatis*

<sup>Lib. 2.</sup>  
cont. 2.

*Seuolutaria, & lata.*

<sup>Epicuri apud Sen. ep. 1.</sup>  
*Epicurus, Honesta res est, læta paupertas. Illa*

verò nō est paupertas, si læta est. Cui enim cum paupertate bene conuenit, diues est. non qui parū habet, sed qui plus cupit, pauper est. Quid enim refert, quantum illi in arcā, quantum in horreis iaceat, quantum pascat aut fœneret, si alieno imminet, si non acquisita, sed acquirenda computet? Quis sit diuitiarum modus quæris? primus, habere quod necesse est, proximus, quod sat est. *Facile sat erit, si nobis Fabricij mens, quæ cupiditatibus nouerat imperare. de quo Gellius, ex Iulio Higino, qui Legatos dicit à Samnitibus ad C. Fabricium Imperatorem pop. Rom. venisse: & memoratis multis magnisq; rebus, quæ benè ac beneuolè post redditam pacem Samnitibus fecisset, obtulisse dono grandem pecuniam, orasseque vt acciperet, vtereturque. atque id facere Samnites dixisse, quòd viderent multa ad splendorem domus, atque victus defieri, neque pro magnitudine, dignitateq; lautum paratumque esse. Tum Fabricium planas manus ab auribus ad oculos, & infrà deinceps ad nares, & ad os, & ad gulam, atque inde porrò ad ventrem imum deduxisse, & Legatis ita respondisse: Dum omnibus illis membris quæ attingisset, obsistere atque imperare posset, numquam*

<sup>1. not.</sup>  
At. c. 14.

*Qualis Fabricij.*

quam quidquam defuturum. propterea pecuniã, quã nihil sibi esset vsus, ab iis, quibus eam sciret vsui esse, non accipere. Plerique tales profani diuitias contempserunt. En Franciscane quos imitere! Et quod illi virtutis dumtaxat, tu non facies amore & exemplo pauperis Christi? Disce non pudendam Euangelicam paupertatem, sed neque impossibile: cum maior illa in istis profanis, quã summa nonnullis paupertatis professoribus. Vt (optimum S. Augustini documentum) Christiani intelligant se nullã ob hoc ventilari oportere iactantiã, id faciendõ pro obtinendã societate Angelorum, cum pãne tale quid illi fecerint pro conseruandã gloriã Romanorum.

Verũ scio hæc plerisque oneri, quibus ipsa paupertas grauis est. Incommoda eius & manantia vitia multis exponunt. At, nõ in paupertate vitium est, sed in paupere. Illa expedita est, hilaris, tuta. Nihil deest auibus. (in sugillatione nostram hæc Ethnicus.) Pecora in diem viuunt. Feris ad alimenta solitudo sua sufficit. & non magis nobis leta erit & iucunda paupertas? Qui secus sentiunt, opinione laborant. Praclarè ab Epicuro dictũ est, Si ad naturam viues, numquam eris pauper: si ad opiniones, numquam eris diues. Congeratur in te quicquid multi locupletes possederũt: vltra priuatũ pecuniã modum fortuna te prouehat, auro tegat, purpura vestiãt, & eò diuitiarum opumq; perducãt, vt terram marmoribus abscondas. & non tantũ habere tibi liceat, sed calcare diuitias. accedant statua & pictura, & quicquid ars vlla luxuriã laborauit: maiora cupere ab his disces. Naturalia desideria finita sunt: ex falsã opinione nascentia, vbi desinant non habent. nullus enim terminus falsò est.

T Viã

Talis erit,  
cum te cu  
piditates  
non suber  
gunt.

lib. 5.  
diu. 18.

senide  
remed.  
fortu.

ide ep.  
16.

Nec pau  
peras rã  
grauu  
quã di  
uisa.

Viâ eunti aliquid extremum est, error immensus est. Pone opinionem hanc ex animo: videbis brevissimam ad diuitias, per contemptum diuitiarum, viam esse: & magnas diuitias ad legē naturæ compositam paupertatem. Nec idè tamen damno diuitias, aut diuites reprobo. Scio meliorem diuitē modestum, paupere superbo: Nec rarò diuitias his salutis esse, illis periculo. Non est enim in rebus vitium, sed in ipso animo. Illud quod paupertatem nobis grauē fecerat, & diuitias graues fecit. Quemadmodū nihil differt, vtrum agrum in ligneo lecto, an in aureo colloces; quocunq; illum transfuleris, morbum suum secum transferet: sic nihil refert vtrum animus æger in diuitiis, an in paupertate ponatur; malum suum illum sequitur.

Idem  
epist. 17.

## IN CAPVT VIII.

Quomodo ratione carentia affici videbantur ad ipsum.] *A quinto paragrafo huius capituli, S. Bonaventura multa recenset, de affectu bestiarum in S. Franciscum: eaq; miranda de sensu ouium, leporumq;, auicularum ad plausu, luporum sedata rabie, quæ tum hîc, tum alibi narrantur. Exhibent talia ista piorum miracula nouatores: & hæc est eorum tota ratio, vt quod experti non sunt, nequaquam esse posse, arbitrentur. Et quidem creditur Appioni apud Gellium scribenti, se Romæ vidisse in circo maximo, à terrifico leone, recognito Androdo iam dato ad bestias, parcitū fuisse. Tum caudam more adulantium canum clementer & blandè mouisse; hominisq; sese corpori adiunxisse; crurag; eius, & manus prope iam exanimati metu, linguâ leniter demulsiſſe. Quamobrem? Stirpem ingentem Androdo vestigio leonis herentem reuulsi,*

Leone  
recognoscit  
Androdo

Aug. 27  
ciuit. 3.

5. Noc.  
Att. 149

reuulsit, conceptamque sanie vulnere intimo expressit, siccauit penitus, atque cruorem deterfit. Ex eo die homo & leo in eadem specu, eodemque victu vivere totum triennium. Sed postquam illum vitæ illius ferina pertæsum est: leone in venatum profecto, fugiens à militibus capitur Androdus, & ad dominum quem antè fugerat, ex Affricâ Romam est deductus. Illo separato, & leo illo captus est: qui in spectaculo hominem recognoscens, gratiam beneficij & medicinæ istam retulit. Atque ideò cunctis petentibus, dimissum Androdum, & pœnâ solutum, leonemq; ei suffragiis populi donatum. Postea, inquit Appion, videbamus Androdum & leonem tenui loro reuinctum, vrbe totâ circum tabernas ire: donari ære Androdum, floribus spargi leonem; omnesq; ferè vbiq; obuios dicere; Hic est Leo, hospes hominis: hic est homo, medicus leonis. Scribit etiam Seneca leonem se spectasse in amphiteatro, qui vitû è bestiariis agnitum, cum quondam eius fuisset magister, protexit ab impetu bestiariû. Videlicet tam prodigiosè cicurare leonem potuit gratia beneficij & medicinæ: & feras tales numquam mansuefecit gratia Dei? Potest certè. & sæpè facta talia, Sanctorum virorum historia, imò & litteræ diuinae testantur.

Breuitè rem aperio. Ab initio mundi datum est homini dominium in cunctas bestias, que in tribus elementis, terrâ, aquâ, aère. Illæ timebant, & reuerbantur Dominum. Vbi autem per inobedientiam dignitatem illam amisimus; etiam principatus illè noster mutilatus est. Quamdiu Adam in se puram Dei conseruauit imaginem, bestia dominum cognouerunt, obseruaruntq;. Postquam faciem peccatis turpauit, illæ velut incognitum fugientes auersatæ sunt.

F 2

l. 2. de  
ben. c. 19

Obliuio  
sua ferè  
latis.

Dominio  
hominis in  
bestias ante  
peccatum



sunt. Vide (inquit D. Chrysostomus) Adam cum nondum peccasset, bestias tamquam seruas habentem, & eis tamquam seruis nomina imponentem. Postquam aspectum peccato commaculauit, tunc bestia eum non agnoscebant: & quae seruae erant ei, hostes euaserunt. Et quemadmodum canis qui in domo est, ei seruit, qui eum alit, & eum timet ac reueretur: sed si eum repente viderit vultu fuligine atrato, vel perforatum, aggreditur tamquam alienum, & cogitat eum dilacerare: ita etiam Adam quamdiu purum seruauit vultum factum ad imaginem Dei, bestia ei tamquam seruae obediebant. Quando autem vultum fecerit inobedienciae, non agnoscentes Dominum, tamquam alienum eum odio habebant. *Subicit historiam Danielis Prophetae, cui leones in lacu pepercere, quod iustus esset: sed illum Prophetam preceptum Dei violantem, leo interfecit. Itaque peccata plenum illud dominium nostrum in bestias acciderunt, minueruntque. Positis autem prauis affectibus, & reformata imagine, & similitudine Dei, animantes redeunt ad antiquam seruitutem, & reuerentiam. Audi disertissimum Iudeorum. Perpetuum bellum, quod est omnibus hominibus & omnibus bestis, vel terrestribus, vel aquaticis, nullas admittit inducias. Hoc dissidium nemo mortalium, sed solus Deus potest tollere, quoties aliquem salute dignum aestimat, mitibus, sedatisque moribus praeditum, societatis amatorem & concordiae, qui aut profusus nesciat inuidiam, aut eam mature reliquerit, bona sua libenter communicantem in utilitatem publicam. Nam si tale bonum exoriretur in vitam, possemus etiam sperare tempus illud, quo ferae mansuescerent, & ante omnia,*

*Peccato  
accusum  
minu-  
simque.*

*Hom. in  
Psal. 5.*

*Gen. 1.  
20.*

*Dan. 6.*

*21. & 16.*

*30.*

*1. R. 2.*

*13. 14.*

*Philo de*

*premit*

*& peccis*

*in h  
xaen*

*Hor  
in o  
for.*

omnia, ferini affectus, qui stabulatur in animâ. quo quid possit esse felicius? Alioqui nōne stultitia est, credere fore vt effugiamus bestias noxias, cū in nobis ipsis feritatem augeamus indies? Non desperandum igitur mansuefactis nostris moribus, posse cicurari animalia. Tum demum, opinor, leones, vrsos, pardos, & Indicos elephantos, atque tigrides, ceteraque inuicti roboris, à solitario victu transitura ad sociabilem, paulatim depositâ ferociâ: & more gregalium latura consuetudinem hominum, cum quâdam velut erga dominos, magistrōsq; suos reuerentiâ. Nonnulla etiam eò processura, vt heris gestu, caudâq; adblandiantur in morem catellorum Melitenisum. Tunc & scorpionum serpentumq; venena cessatura, ceterorumque reptilium. Omnia hæc bonum virum, tâquam sacrum vererentur violare, virtutis ergo à Deo susceptum in tutelam suam ac gratiâ. *Theologi veteres in hac ipsâ re multi, quos prætereo: vnicam V. Bedæ sententiam adducens, quâ hæc concludo:* In testimonium primæ creationis, legimus viris sanctis, atque humiliter Deo seruientibus, & aues obsequiū præbuisse, & rictus bestiarum cessisse, & venenum non potuisse nocere serpentium. *Originalis in stilitis, & innocentie reparata indicium, obedientia est creaturarum.*

*Pietate & innocentia recuperata.*

*In hexaem.*

## IN CAPVT IX.

§. I. Contuebatur in pulchris pulcherrimū: & per impressa rebus vestigia prosequabatur vbiq; dilectum.] *Mundus specimen est operationis diuinæ: quia dum opus videtur, operator præfertur. Eleganter docet Origenes, Deum cognosci duobus modis, per Scripturam & creaturam.*

*Hom. 2. in diuersos.*

*Deus cognoscitur per Scripturam & creaturam.*

T 3

Non

Non enim aliter in nobis diuina cognitio re-  
nouatur, nisi per diuinæ Scripturæ apices, &  
creaturæ species. Eloquia disce diuina, & in ani-  
mo tuo eorum concipe intellectū, in quo cog-  
nosces verbum sensu corporeo. Formas ac pul-  
chritudines perspice sensibilem: & in eis in-  
telleges Dei verbū. Et in his omnibus nil aliud  
tibi veritas declarabit, præter seipsum, qui cun-  
cta fecit. *Et in omnibus aliquod sui vestigium im-  
pressit, quod accurate considerantem ducat in cog-  
nitionem aliquam creatoris. Ex operibus cognosci-  
tur artifex: & Dei inuisibilia à creaturâ mun-  
di, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciun-  
tur: sempiterna quoque eius virtus & diuinitas.*  
Nam ( *ut inquit B. Theodoretus* ) per ea quæ vi-  
dentur, factorem inuisibilem cogitamus. Ita &  
cum arcam scamnumq; videmus, nequaquam  
ea fabrum lignarium, sed fabrica opera esse di-  
cimus. Nauigium quoque affabrè compactum  
cernentes, non illud solum miramur atque su-  
spicimus, sed illius opificem quâuis absentem,  
quàm maximè laudamus. Tū si monile, aliud-  
ve collare ornamentum videmus egregiè fa-  
ctum, aurifici laudem suam deferimus. Ita & in  
mundi fabricam oculos intendētes, illius qui-  
dem magnitudinem pulchritudinemq; mi-  
ramur, quæque vbertim ex eâ se fundit, rerum  
vtilitatē. Intellectus autem noster, omissis hu-  
iusmodi qualitatibus, ad opificem illum pro-  
currit, qui hæc omnia sapienter extruxit. *huc  
spectat quod de S. Antonio tradunt Ecclesiastica*  
*historia: rogatum à quodam id temporis pro Sa-*  
*piente habito, quo pacto posset vitam sustentare in*  
*illâ vastâ eremi solitudine, librorum solatio desti-*  
*tutus; respondiisse, Meus liber, ô Philosopho, est*  
natura

Rom. 1.  
20.  
Serm. 3.  
de curat.  
Græc.  
off.

Secr. 4.  
hist. Ec-  
cles. 18.

natura rerum à Deo conditarum : quæ quo-  
 tiescumque animo lubitum sit meo, libros ip-  
 sius Dei ad legendum suppeditat. *Nam teste*

*Natura  
 rerum li-  
 ter est.*

Hö. 11.  
 in hexa.

*magno Basilio*, vniuersa hæc mundi moles, per-  
 inde est ac liber litteris exaratus, palàm conte-  
 stans ac deprædicans gloriam Dei: illiusque au-  
 gustissimam maiestatem, arcanam aliòqui &  
 inuisibilem abundè enuncians intellectu creatu-  
 ræ. Itaque mundus diuine maiestatis est insigne,  
 vt per ipsum Dei sapiëntia manifestetur. Quocun-  
 que te flexeris, ibi illum videbis occurrentem

Sen. 4.  
 de Ben. 2

tibi. Nihil ab illo vacat. opus suum ipse implet:  
 quia nec natura sine Deo est, nec vlla sine diui-  
 nitatis indicio. Et tu itaque non semper hebes & in  
 terram sis demissus: ad diuina te erige, & totà

Bon. 8.  
 S. 1. 6.

mente consurge, exemplo S. Francisci. videt oues,  
 videt agriculos: mox ferebatur in contemplatio-  
 nem Christi, veri agni, qui abstulit mundi pecca-

*Ex quo  
 Deum in-  
 telligit.*

Isa. 53. 7

tum. qui sicut ouis ad occisionè ductus, & quasi  
 agnus coram tondente se obmutuit, & nõ ape-  
 ruit os suum. Ad auicularum musicam frutillan-  
 tium & minurientium, assurgebat ad diuinorum  
 contemplationè, & laudes creatoris: qui eos vestit,  
 alit, seruat, & gubernat nutu sue prouidentie. Vm  
 ignis conspicatus, lucem, & pulchritudinem: sta-  
 tum illum qui ignis consumens est, ruminabatur.

Deut. 4.  
 24.

Quicquid in orbe vides, pars operis est diuini: & si  
 sensus more piorum exercitaueris, omnia auctorem  
 suum præferunt, & representant aliquid diuinum.  
 Scripsit de hac re S. Bonauentura librum elegan-  
 tissimum, hoc titulo, Itinerarius mentis in Deū.  
 Docet sanè quàm eruditè è conditione omnium  
 rerum assurgere in contemplationè Dei conditoris.

§. 2. Flagrabat erga Sacramentum Domi-  
 nici corporis. ] Testatur Cornelius Iansenius

Oratio S.  
Franc. ad  
elevationē  
S. Eucha-  
ristia.

S. Franciscum, cum sacra Eucharistia in tremen-  
dis illis mysteriis ostendebatur, solitū precari; Do-  
mine Deus, cælestis Pater, respice in hanc glo-  
riofam Christi tui faciē, & miserere mei. *Com.  
in Concordiam Euangel. cap. 135. ad illa verba,  
Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem  
in nomine meo.*

7. Prædicto Soldano prædicavit Deum tri-  
num & vnum. ] *Opera pretium fuerit adscribere,  
quæ S. Antoninus narrat ex Iacobo Vitriaco Car-*  
*dinale in Ierosolymitanâ historiâ, quam cōscripsit,*  
*inquens, Vidimus primum Ordinis Minorum*  
*fundatorem, Franciscum nomine, virum sim-*  
*plicem & illitteratum, dilectum Deo & homi-*  
*nibus, ad tantū ebrietatis diuini amoris exces-*  
*sū, & feruoris spiritum, raptum fuisse, quòd,*  
*cū ad exercitum Christianorum, ante Da-*  
*miatam in terrâ Ægypti deuenisset, ad Soldani*  
*Ægypti castra intrepidus, & fidei clypeo com-*  
*munitus, accessit. Quem cū in viâ captū te-*  
*nuissent Saraceni, Ego, inquit, Christianus*  
*sum: ducite me ad dominum vestrum. Hunc*  
*adductū cernes bestia illa crudelis, aspectu eius*  
*in mansuetudinem conuersa est: & per aliquot*  
*dies, ipsum sibi, & suis Christi fidem prædican-*  
*tem attentissimè audiuit. Tandem metuens ne*  
*aliqui de exercitu suo, verborū eius efficaciam ad*  
*Christum conuersi, ad Christianorum exerci-*  
*tum transfrent: cum omni reuerentiâ & secu-*  
*ritate ad nostrorum castra adduci præcepit, di-*  
*cens ei, Ora pro me, vt Deus illam fidem & le-*  
*gem, quæ sibi magis placet, dignetur inspirare.*  
*Sed tamen facta est S. Francisco copia, quocumque*  
*vellet cum sociis pergere causâ prædicandi Euan-*  
*gely, datâ fide publicâ, & symbolo, siue tesserâ qua-*  
*dam*

Spec. 7  
ex 5. 1  
cap. 7.

Ter. p. 11.  
hist. 14.  
c. 7. §. 1.  
Iacob. 2.  
Vit. hist.  
Oecod.  
cap. 14.

Barpt.  
Pisan.  
Conf.  
fruc. 2.  
10. 13.

Lib.  
orar.  
Deu.

Spec. vi.  
12 S. Fr.  
cap. 74.

dam à Soldano. Interim contigit dignū sanè quod memoria commendetur. Dum S. vir in illā terrā, comitatus vno socio peregrinaretur, decem aliis Evangelij gratiā aliō ablegatis: mulier quādā pulcherrima ipsum ad venerem sollicitavit. Ille verò quasi consentiens, Eamus, inquit, & ostendā tibi lectum pulcherrimum, ignem magnum demonstrans, in quem nudus se intecit. Vocat ad se impudicā illam, Accede, inquiens, fruerere splendido lecto & florido. Ille sus ab igne magno prodigio, mulièrem non solum à libidine, verum etiam ab impietate retraxit ad Christum. Factum prorsus simile in aulā Frederici II. Imperatoris. hic à concione, quam habuit vir sanctus, potissimum contra libidinem & venerem, in quam nimirum proclives aulici illi, invitavit ad cœnam Franciscum. Post, solum in cubiculum introductum, scortū ad turpitudinem illectabat. Sed ignis, in quem se misit, in quo decubuit, ad quem cœ ad lectum, meretricem invitavit ad concubitum, juuenculam coniecit in fugam. Imperator eum omnia per rimulas observasset, videns B. virum, integro & illaeso ab igne corpore, quem illudere statuerat, maximè admirari cœpit, & venerari. Ceterum Soldanum illum sub mortem, meritis sancti Francisci ad Christianam pietatem conuersum, à B. Francisco missis duobus fratribus, & baptizatum, commemorat Speculum vitæ S. Francisci c. 74. Barptol. Pisanus Confor. fruc. 39. ubi fusius, quæ de Soldano tetigi, enarrantur.

Scortū im-  
pudens ad  
se inuocat  
inens ve-  
igne, nec  
vsculatur.Barpt.  
Pisan.  
Confor.  
fruc. 2.  
10. 13.Soldanus  
ille à fra-  
tribus ba-  
ptizatus.

## IN CAPVT X.

§. 1. Orationis gratiam viro religioso desiderandam super omnia.] In eandem sententiam D. Chrysostom. Quemadmodum sol lucē præbet corpori: sic animæ lumen est precatio. Pro-

Lib. 1. de  
orando  
Deum.

T 5

inde

*Oratio  
frequens  
necessaria  
piis.*

inde si cæco damnosum est non iatueri solem: quanto grauius damnus est homini Christiano, si non assidue deprecetur, neque Christi lucem orando in animum suum inducat? *addit post pauca.* Quisquis enim non orat Deum, nec diuino colloquio cupit assidue frui, is mortuus est, & vitæ carens, experitque sanæ mentis. *quibusdam interpositis.* Itaque cum videro quempiam non amantem orandi studium, nec huius rei feruidam vehementemque curam teneri: continuo mihi palam est, cum nihil egregiæ dotis in animo possidere. Rursus ubi quem conspexero insatiabiliter adhærentem cultui diuino; idque in summis damnis numerantem, si non continenter orauerit: coniecto talem omnis virtutis firmum esse mediatorem, ac Dei templum. *Denique sic concludit,* Decet igitur nos cum precatione vitæ cursum peragere, atque hac mentem assidue rigare. Siquidem hoc omnes homines non minus opus habent, quam arbores aquarum humore. Neque enim valent illæ fructus producere, nisi bibant humorem radicibus: neque nos pretiosis pietatis fructibus poterimus esse grauidi, nisi precibus irrigemur. Quapropter oportet & stratis relictis, diuino cultu præuenire solis exortum, & cum ad mensam accedimus, & cum nos ad nocturnam quietem recipimus. Quin potius oportet singulis horis vnam precationem offerre, ut orandi cursus, diei cursum æquet. *De oratione hæc talia obuia passim, plura non addo.*

*Vt arbus-  
culis hu-  
mores.*

6. Orante autem illo, subito Abbas insolitum calorem.] *Vanus quidam adolescens, ad preces S. Elizabeth adeo incaluit, ut moribus in melius mutatis, Minorida factus, nuncium mundo remis-  
serit.*

*serit. habes in hystoria vita S. Elizabeth cap. 24.*

8. Vt minutias temporis, ne omnino exciderent, occuparet.] Magni, mihi crede (*inquit*

*Debreu. Seneca*) & supra humanos errores eminentis vi- Temporis  
maxima  
habenda  
ratio.  
ri est, nihil ex suo tempore delibare. *Vitam &*

*Epist. 1. nobis ex illo quicquam perdere non vacet! sed mul-  
ta pereunt. Nam (rursum ille Sapiens) quaedam tem-  
pora eripiuntur nobis, quaedam subducuntur,  
quaedam effluunt. Turpissima tamen est iactura,  
que per negligentiam fit: & si volueris atten-  
dere, magna vitæ pars elabitur malè agentibus,  
maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.  
Quem mihi dabis, qui pretiũ aliquod tempori  
ponat? qui diem aestimet? qui intelligat se quo-  
tidie mori? In hoc enim fallimur, quod mor-  
tẽ prospicimus: magna pars eius iam præterit.  
Quicquid ætatis retrò est, mors tenet. Omnia  
aliena sunt, tempus tantũ nostrum est. In hu-  
ius rei nimis fugacis ac lubricæ possessionem  
natura nos mittit, ex quâ expellit quemcunque  
vult. Sed tanta stultitia mortalium est, vt quæ*

Cuius ta-  
men pre-  
tium nul-  
lum.

*Sen. de  
breu. vi-  
tae 3. quàm prodigi sumus. Omnia licet quæ vnquam  
ingenia fulserunt, in hoc vnum consentiant,  
numquam satis hanc humanarum mentiũ ca-  
liginem mirabũtur. Prædia sua occupari à nul-  
lo patiuntur: & si exigua contentio est de mo-  
do finiũ, ad lapides & arma discurrũt. In vitam  
suam incedere alios sinunt: imò verò ipsi pos-  
sessores eius futuros inducunt. Nemo inveni-  
tur,*



tur, qui pecuniam suam diuidere velit: vitam vnusquisque quàm multis distribuit! Astricti sunt in cōtinendo patrimonio: simul vt ad temporis iacturam ventum est, profusissimi in eo, cuius vnus honesta auaritia est. *Quemadmodum calum fallit aspicientem, cum velocitatē suam sub specie stantis, atque immoti operis abscondit: ita temporis est iactura latens, non videtur, tamen in cursu semper est.* Fluit & præcipitatur: antè de-<sup>In d. d. c. 10.</sup> finit esse quàm venit. Nec magis moram patitur quàm mundus, aut sidera, quorū irrequieta semper agitatio, numquam in eodem vestigio manet. *Conferamus tandem in vsus nostros tempus. Res omnium pretiosissima est, penè nullum eius pretium est. A profano rursus tu Christiane disces maximam temporis habendi rationem.* Titus filius Vespasiani (*S. Hieronymus scribit*) qui in vltionem Dominici sanguinis subuersis Hierosolymis, Romam victor ingressus est; tantæ dicitur fuisse bonitatis, vt cum quâdam nocte serò recordaretur in cœnâ, quòd nihil boni die illâ egisset, dixerit amicis, Hodie diem perdidit. Nos putamus nobis non perire horam, diem, momenta, tempus, ætatem, cum otiosum verbum loquimur, pro quo reddituri sumus rationem in die iudicij? Quòd si hoc ille, sine lege, sine Euangelio, sine Saluatoris & Apostolorum doctrinâ, naturaliter dixit & fecit, quid nos oportet facere? *Non debet esse tolerabilis nobis iactura temporis. Tacitum damnus, & irreparabile. Nemo restituet annos: nemo iterū te tibi reddet.* Ibit quâ cœpit ætas: nec cursum suū aut reuocabit, aut supprimet. Nihil tumultuabitur, nihil admonebit velocitatis suæ; tacita labetur. Non illa regitur imperio; non fauore populi longius

Titus Imperator, diem se perdidisse dolet.

Annos nemo restituet.

In ep. 6  
epist. ad  
Galat.  
Sueton.  
Tuo 8.

Sen. de  
ben. vi.  
ca 8. 9.

longius proferet. Sicut missa est à primo decurret: nusquam diuertet, nusquam remorabitur. Quid fiet? tu occupatus es: vita festinat. Mors interim aderit, cui, velis nolis, vacandum est. Potestne quisquam sensus hominū, eorum dico qui prudentiam iactant, operosius occupari sibi, vt melius possint viuere? Impendio vitæ vitam instruunt, cogitationes suas in longū ordinant. Maxima porro vitæ iactura, dilatio est. Illa primum quemque extrahit diem: illa eripit præsentia, dum vltiora promittit. Maximum viuendi impedimentum est, expectatio, quæ pendet ex crastino. Perdis hodiernū, quod in manu fortunæ positū est: quod in tuâ, dimittis. Quo spectas, quo te extendis? Omnia quæ ventura sunt, in incerto iacent. Protinus uiue: clamat ecce maximus vates, & velut diuino ore instinctus, salutare carmen canit;

Optima quæq; dies miseris mortalibus æui

Prima fugit.

*Singula  
momenta  
fructuose  
occupada.*

Quid cunctaris, inquit, quid cessas? Nisi occupas, fugit: cum occupaueris, tamen fugiet. Itaque cum celeritate temporis, vtendi velocitate certandum est: velut ex torrente rapido, nec semper casuro, citò hauriendū est. Itaq; sic ordinandus est dies omnis, tamquā cogat agmen, & consummet, atque expleat vitam. *Potestne quidpiam elegantius, aut piū magis à quouis pio, de temporis pretio doceri? Habenda præsertim est ratio temporis. Nemo æstimat: tamen inæstimabile est. Et ideo debet seruari diligentius, cum nescias quando deficiat. Tunc sapere incipere, cum desinit: & inde velle vitam inchoare quo pauci perduxerunt, nimis est serū, & humana nostra mortalitatis obliuionis argumentum.*

9. Pue.

9. Puerulum quēdam dormientem B. Franciscus excitare videbatur. ] *Vincentius Beluacen.* etiam exanimem vsū memorat, puerum Iesum in praesepio, quem vir sanctus complexans, resuscitauit. Non immeritò, inquit, suam Dominus Iesus Christus infantiam recolenti, in huiusmodi formulā, nec absurdè monstrauit. Quippe qui in multorū cordibus, per obliuionem quasi sopitus & mortuus, per B. Francisci doctrinam, & exemplum euigilans, ad memoriam est redyctus.

*Ieiunandis ne sit nobis in Natali Christi Feria sexta.*

*Hic oportune mihi questio vetus, & anceps à multis arbitrata, expedienda videtur: Ne sit Franciscanis, quāque sextā feriā, ex voto ad ieiunium obligatus, licitum carnis vesci in Natali Christi, cum in feriam sextam inciderit: Non ieiunandum, habet receptus mos Ecclesie vniuersalis. Epiphania. In die Epiphaniarum, hoc est, apparitionis & aduentus, quando natus est in carne Dominus, ieiunare non licet, etiāsi contingat vt sit Quarta, aut Profabbatum. Et Leo Magnus improbat Priscillianistas, tali die ieiunantes: causam hanc adferens, vt per omnia sint à nostræ fidei vnitate discordes: & dies qui à nobis in lætitiā habetur, ab illis in afflictione ducatur. Sed aliud est, quod pro recepto more seruetur: aliud quod ex deuotione suscipitur. Hæreticorum impietates execrori mantello pietatis velantur. Moribus Ecclesie mordicus adhaerescō. Igitur mihi licet, tali die frui Ecclesie gaudio: licet etiam instinctu pietatis exerceri ieiunio. Obligasti te voto? reddendum est, si piè suscepseris. Itaq, cum Honorio Tertio Pontifice respondemus, quod illi, qui nec voto, nec regulari obseruantia sunt adstricti, in sextā feriā, si festum Natiuitatis Dominicæ die ipso venire contingerit,*

*Id nota contra auasores nostros.*

L. 177  
Spec.  
hist.  
c. 107.

In fine  
panarij  
cont.  
har.

Epist. 93  
Cap. 4.

Lib. 5.  
Dec. tit.  
46. c. 3.  
Explicat.

gerit, carnibus propter festi excellentiam vesci possunt, secundum consuetudinem Ecclesie generalis. Nec tamen hi reprehendendi sunt, qui ob deuotionem voluerint abstinere. Pontificis sententia fecit, in plerisque cœnobis nostris, ieiunium obseruari in hoc tali die. Sed an ea mens sit D. Francisci, subdubito. Commemoratur Barptol. Pisan. viuentē adhuc S. Francisco, questionem versatam de ieiunio illius diei, inter Fratres: atque fratri Morico, qui ieiunandum dixerat, propter diem Veneris, S. Franciscum sic respondisse; Peccas frater Morice, diem Veneris vocans, diem, quo natus est nobis puer Iesus. Volo, inquit, quod & parietes tali die comedant carnes, si fieri potest, vel de foris limiantur. Scribit quidem hæc facta ante confirmationem regulæ secundæ: sed tamen videtur ad ieiunium soluendum illâ die propensior. hinc forsitan inuenias, qui non ieiunant. Inquit ubi comedendi carnes consuetudo inualluit, benè faciunt, qui non ieiunant: qui secus, melius faciunt.

## IN CAPVT XI.

§. I. Scripturarum profunda miro intellectus scrutaretur acumine.] De Theologia sancti Francisci agitur: quæ cuiusmodi fuerit, elegantissimè docet Ludonicus Granaten. sic scribens: Theologia duplex est, altera, quæ speculari; altera, quæ experiendo Deum agnoscit. Et illa quidem speculatiua, siue scholastica; hæc verò (ut ita dixerim) affectiua, siue mystica nūcupatur: quod videlicet occulta sit, & à paucis cognita. Cùm autem præcipuus huius Theologiæ magister Spiritus sanctus sit, is primùm quidem hominis intellectum sapientiæ dono collustrat; deinde cari-

Conc. 2.  
de S. Fr.  
1.

Theologia  
duplex,  
Scholasti-  
ca & My-  
stica.

caritatis virtute voluntatem vehementer incendit: quæ sic incensa, ineffabilem diuinæ bonitatis, & suauitatis dulcedinem odoratur, & quodammodo degustat. cuius gustu atq; suauitate, intellectus percipit quàm suavis sit Dominus, quàm dulcis, quàm pius, quàm benignus. atque hoc modo intellectus ab ipsâ voluntate quodammodo erudiri atq; instrui dicitur.

*Discrimē  
inter illas.*

Est autem magnum inter vtramque Theologiam discrimen. Illa enim ad intellectū, hæc magis pertinet ad voluntatem. Illa cognoscit Deum, ista diligit. Illa speculatur diuina, hæc amplectitur. Illa tanquam ex auditu cognoscit Deum, hæc quodammodo odoratur atque degustat. Illâ docet lectio, istâ vnctio. Illa discitur in scholis, hæc in secreto diuinæ cōtēplationis. Quâ ex re, duos in hac duplici Theologiâ processus intelligimus. In priori namque (quâ Speculatiuam nuncupamus) præcedit quidem intellectus actio, & sequitur in piis hominibus motus volūtatis. In posteriori autem (quâ Mysticam appellauimus) post hanc priorem intellectus operationem antecedit quidem volūtatis actio, & sequitur in intellectu noua quedam diuinæ suauitatis cognitio. In illâ enim intellectus dirigit volūtatem: in hac volūtas erudit ac dirigit intellectū, qui quodammodo foris stans, ipso volūtatis gustu & experimento, diuinæ bonitatis suauitatem agnoscit. hoc enim illa Prophetæ verba innunt, Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus. Prius enim gustare, deinde videre iubet: vt intelligamus, ex volūtatis gustu intellectū erudiri, & immensas diuinæ bonitatis & suauitatis opes addiscere. Vt enim degustato nouo aliquo cibo, gustus ipse saporem

rem eius ostendit intellectui : sic posteaquam voluntas diuinæ bonitatis dulcedinē nusquam antea perceptā degustauit ; intellectus hoc experimento doctus, qualis ea, quantaque sit, agnoscit. Quo fit vt cum duo animæ nostræ pedes sint, quibus in Deum imus, intellectus videlicet ac voluntas ; in priori illâ Theologiâ, pes intellectus præcedit, quem sequitur voluntas : in posteriori verò, voluntas ipsa, eo modo quo diximus, præcedit, quam deinde noua illa cognitio sequitur intellectus. Hæc est mystica Mystica  
S. Franc.  
Theologia Theologia, quæ Spiritus sancti magisterio ad discitur, quæ inter omnes scientias principem locum tenet. in quâ rudis omnium litterarum Franciscus tatum excelluit, quantum flagrantissimo caritatis ardore incensus fuit. per quam non tam legendo quàm amando, diuinisq; beneficiis atque delictis fruendo, immensas diuinæ bonitatis, caritatis, & sitauitatis opes agnouit. *Existimo hæc sine fructu legi nõ posse : nec operam me cum exscriberem perdidisse.*

Legebat quandoque in libris sacris. ] *Quâ ratione studium nobis instituendum sit, quid spectandum, paucis verbis exponit. Et opera pretium me facturum puto, si de studio S. Theologiæ, cui nobis potissimum incumbendum est, paullo vberius disseruero. Causa mihi ab ipsâ Regulâ nostrâ, quæ nos ad concionandum haud segniter inuitat. Imò (auctore S. Bonauenturâ) Prædicationis officium ex regulari professione Ordini annexum est, & etiam Confessionis : quæ notitiam requirunt sacræ Scripturæ, quæ subtili indiget in plerisque locis expositione. ne ex imperitiâ, errores pro veritate doceamus, necesse est nobis sacræ Scripturæ habere studium & magistros. Hæc enim*

V scien-

Cap. 9.  
Quærit.  
in Reg. 3

Quod uti  
te valde,  
imanecef-  
sarium.

scientia non solum utilis est ad aliorum crudi-  
tionem, sed etiam ad propriam instructionem:  
ut seruus Dei sciat seipsum bene regere; virtu-  
tes à vitiis discernere, & notitiam Dei, & futu-  
rorum præmiorum clarius intelligere, & in om-  
nibus cautiùs & fructuosius conuersari. Nam  
& Apostolus hortatur Timotheum ad <sup>1. Tim. 4</sup> lectio-  
nis studium: & Sanctorum nobis diligentia in <sup>16.</sup>  
sanctarum ruminacione Scripturarum frequen-  
ter commendatur. Veritas enim fidei, & vitæ  
sanctitas, non aliundè quàm ex Scripturarum  
fonte hauritur, sine quibus impossibile est  
quemquam saluari. *Alia subiungit vir sanctus,*  
*quæ velim à nostris aliè considerari, hoc maxime*  
*seculo feracissimo hereseon & sectarum. ut mi-*  
*rum sit, studia isthæc salutaria adeò negligi, pretia*  
*vilere: cum sublati studiorum pretiis, etiam stu-* <sup>Tac. 11.</sup>  
*dia pereunt. Iam verò studii sublati, quem fru-* <sup>Ann.</sup>  
*ctum expectes? tibi non discis, alius non prodes. Et*  
*qui, obsecro, poteris te ipsum saluum facere (quod*  
*Apostolus spectat) vel eos qui te audiunt? Quo* <sup>1. Tim. 4</sup>  
*pactò docebis quod non didiceris? At qui in do-* <sup>16.</sup>  
*ctrinæ sermonibus fuerit innutritus, priùs qui-* <sup>Theo-</sup>  
*dem ipse adiuuatur: & in quo alios adhortatur,* <sup>phylac-</sup>  
*seipsum emendat & instituit.* <sup>in illa</sup>  
<sup>verba</sup>  
<sup>Apost.</sup>

Abusus  
nocet.

Ceterum tu mihi, sat scio, ab usum obiicies: at ego  
scientiam reuoco ad usum. Abusus non à doctrinâ,  
sed ab animo non probè instituto. Et talis detrecta-  
tio ferè eorum, qui doctrina ore tenus exerciti, <sup>Tac. 11.</sup>  
animum bonis artibus non induerunt, segne <sup>Ann.</sup>  
otium specioso nomine velantes. Non placent mihi  
eæ litteræ, quæ ad virtutem non prosunt: sed tamen  
doctrina valde facit ad prudentiam & virtutem.  
Recognosce exempla Sanctorum Ordinis Seraphici  
(aliena præterco) fateare necesse est, sanctos illos  
altosq;

aliosq; viros auidè doctrinam hausisse, acceptâ, virtutem perfecisse. Nam ut oculi ab aere circumfuso lumen accipiunt, sic mens à doctrinâ. Dic, quæso te, quando maximè floruit Ordo noster? Nõne quando sub sanctis Patribus sacra studia spiritû & sanguinè recipiebant? cùm scientia virtutis summâ opere iungebatur, tunc vehemèter toto orbe fructificauit. At postquam otium sine litteris, mors, & viuû hominis sepultura, plerosq; tenuit, en quò deiecti illi: quàm disperti, quàm nihil agunt in magnâ illâ messe, & vineâ Christi! Eruditio maximum est

8. n. ep.  
23.

hominibus in hac vitâ ornamentum: ceterùm his qui abutuntur, perniciofa; nec ideo tamen contemnenda. Ignis, cibus, ferrum, naturâ bona, pro abutentium iudicio, perniciosissima: & doctrina in rebus humanis optimum, abusu est pessimum. Præposteri homines & insulsi obirectatores ab abusu.

Ufus saluterrimus.

Rizian.  
ora. in  
laudem  
Basilij.

Forstân tales, omnes sui similes esse optarint, ut priuata eorum ignorantia communis ignorantia tenebris obtegatur, ne quisquam ipsorum inicitiam prædat & coarguat.

Pertinaciter studendum est: quo à nobis profi- getur ut languor à corpore; sic ab animo imperitia.

Studentis vite & moribus bene opte omnia.

Max. ser.  
17.

Cleanthes dicebat, homines imperitos solâ formâ distare à bestiis, id verum, maximè remotâ iustitiâ, & detractâ probitatis opinione. Studium sine pietate S. Francisco displicuit: omnibus bonis displicet. Sed post diligentem exercitationem omnium, quæ Regula & institutum postulant, animum ad sacras litteras adplicare; vitæ operam dare & virtuti; quicquid legeris ad mores statim referre; discere, ut quæ verba fuerint, opera fiant, hoc est, lectio, vita; facias ipse, tunc facienda alios doceas; eiusmodi salutare studium requirimus. Nemo probus potest improbare, nec improbus quidem nõ probare.



bare. Porro autem ut fructuosum sit studium, tria precipue mihi videntur obseruanda, quae in gratiam fratrum nostrorum, ex sacris auctoribus distincte exponantur. Primum, Quo modo adparatus, ad sacrum studium accedat; Alterum, quem scopum studiorum tuorum collinees; Postremum, quos Scriptores potissimum legas.

Pura ut  
in sit Theo  
logia stu  
di. su.

In primis S. Theologia, pro sua maiestate ac reuerentia, peculiariter requirit in sui studiosis duo, vitam puram ac sanctam ante omnia: deinde frequentes calidâsque preces. Caueat summo opere S. Theologiae candidatus, ne (quod aiunt) illotis pedibus, ad studium diuinæ Sapientiae irreuerenter accedat. Quintilianus eum qui futurus sit orator, virum bonum esse oportere decernit: quanto magis Theologus, Christi legatione functurus, probitate morum conspicuus esse debet? Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas? & assumis testamentum meum per os tuum? Vult Deus (enquit S. Hilarius) à crimine esse liberum, caelestis doctrinae contemplatorem: vult eloquia sua à casti corporis casto ore tractari. Est igitur in primis habenda ratio integritatis vitae & puritatis. Grauius docet quoque S. Athanasius, ad Scripturarum indaginem, verumque intellectum, opus esse vitam probam, animo puro, & virtute, quæ secundum Christum est: ut mens per eius tramitem decurrens, ea quæ expetit, adipisci possit, quatenus fas est humanam naturam diuina intelligere. Nam sine pura mente, & Sanctorum imitatione, nemo comprehenderit Sanctorum verba. Quemadmodum si quis intueri velit Solis iubar, oculos detergit, ut lumen solis contempletur: ita quoque qui vult mentem virorum caelestia loquentium

Proem.  
in lib.  
instr.  
Orat.

Psal. 47.  
16.

De hu-  
manit.  
Verbi.

tium intelligere, prius detergere & abluere viuendi disciplinam animam debet, & ad Sanctos accedere cum studiorum factorumque similitudine: vt illis consuetudine vitæ paris familiaris redditus, quæ ipsis à Deo reuelata sunt, cognoscat. Neque enim ea (addo ex Ioanne Cassiano) vt essent nobis incognita, Spiritus sancti gratiâ promulgata sunt: sed velamine peccatorum cordis oculos obnubente, redduntur obscura, quibus rursus naturali redditus sanitati, ipsa sanctarum Scripturarum lectio, ad contemplationem veræ scientiæ, abunde etiam sola sufficiat: sicut oculi isti carnales ad videndum nullius egent, si fuerint à suffusione vel caligine cæcitatatis immunes. *Christiana* igitur disciplina (*S. Aug. doctore*) eis, qui illam nosse desiderant, simul geminū ordinem sequi iubet: cuius vna pars vitæ, altera eruditionis est. *Pietas præeat, sequetur scientia: iunget utramque Theologus probus.* Qui enim vel vitæ probitate solū, vel solā doctrinā præstant, ij mihi nihil à luscis differre videntur, qui in magnâ sunt deformitate, siue alios inspiciant, siue ab aliis inspectentur. At quibus utrâque laude clarere, ac velut ambidextris esse contingit: hi nimirum omnibus numeris absoluti sunt, ac deinceps æternæ vitæ beatitudine perfuerunt.

*Hac de vitæ puritate: iam de precibus addendum, quibus opus est, vt S. Theologia arcana percipias & penetres. Sæpe orandum, imò preces assidue studio præmittendas, Sancti viri verbo docent & exemplo. Audi Franciscanum veterem B. Rogerium.* Quando tu vis legere, antequam librū aperias, debes cor tuum ad Deum dirigere, & dicere: Domine iste vilissimus seruus tuus, indignus

V 3                      omni

Quo facilius intelliget eius arcana.

Innocentia & scientia beatifici faciunt.

Sit ite in precibus assiduis Theologia cæcitas

lib. 5. In stir. monast. 34.

S. Aug. lib. 2. de Ord. 8. to. 1.

Greg. Nazian. Orat. in laudem S. Basilij

Barpt. Pisan. Cōfor. fraud. 8.

omni bono tuo, vult ingredi ad videndos the-  
 sauros tuos: placeat tibi, vt eum introducas, &  
 des ei in his verbis sanctissimis te cognoscere,  
 vt te diligit, & tantum des ei diligere, quantum  
 dabis ei cognoscere; nec des amplius cognosce-  
 re quam diligere; quia non vult te cognoscere,  
 nisi vt te diligit. talis mens *(inquit)* primâ libri  
 apertione, statim inueniet Deum suum, *omnis*  
*sapientia fontem & auctorem. Audi veteriorem*  
*Theologum B. Ephrem, haud dissimiliter admo-*  
*uentem, Si quis ad sedendum ac legendum, si-*  
*ue etiam ad alium legendum audiendum se pa-*  
*rat, primùm oret Dominum, dicens: Domine*  
*Iesu Christe, aperi aures atque oculos cordis*  
*mei, vt audiam & intelligam, & faciam volun-*  
*tatem tuam. Non abscondas à me madata tua:*  
*sed reuela oculos meos, & considerabo mirabi-*  
*lia de lege tuâ. Vis fructum orationis cognoscere?*  
*S. Augustinus edoccat: Quando seriò studetur,*  
*& Dominus puro corde oratur: plurima quæ*  
*cognitione digna sunt, ipso Deo inspirante ma-*  
*gis, quam hominum aliquo componente per-*  
*discentur. Itaq; diligentia nostra, ab oratione fidis-*  
*simâ scientiæ adiutrice deseri numquam debet: sed*  
*(quod in Ambrosio Origenis discipulo D. Hiero-*  
*nymus commēdat) diebus & noctibus lectio ora-*  
*tionem excipiat, & oratio lectionē. Talis exer-*  
*citatio, non solum parat eruditionem, verum etiam*  
*Dei gratiam cæciliat & amicitiam: imò præsentem*  
*tibi reddit & familiarem. S. Ambrosius: Illum al-*  
*loquimur cum oramus: illum audimus, cum*  
*diuina legimus oracula. S. Augustin. Qui vult*  
*cum Deo semper esse, frequenter debet orare*  
*& legere.*

*Lectio  
 oratione  
 cōmunita*

*De ar-  
 rura spū  
 cap. 8.*

*Psal. 117.  
 18.*

*Epist. 116*

*Epist. 116.  
 ad Mat-  
 cellam.*

*1. off. 10*

*Ser. 111.  
 de temp.*

*De apparatu ad S. Theologia studium, tantum  
 est.*

est. alterum sequitur de scopo, quem mihi quidem <sup>Theologia</sup> <sup>scopus.</sup> diuinus Apostolus monstrare videtur, cum inquit,

1. Tim 4 16. Hoc faciens, & teipsum saluum facies, & eos

qui te audiunt, quando tibi attenderis & doctrina. Dico, prius tibi studendum, deinde aliorum bono & saluti. De priori multa in sacris litteris: illud

Psal. 118 24. & scrutabor legem tuam: & custodiam illam

in toto corde meo. S. Ambrosius: Quærendum

primùm, deinde intelligendum perferendumque omne legis mysterium, & in corde custodiendum, Qui autem intelligit & scrutatur, scrutando in semitam mandatorum deducitur.

Vnde rursus paullo post subiungitur, Et leuavi manus meas ad mandata tua quæ dilexi: & exercebor in iustificationibus tuis. In quem locum eleganter ite S. Ambrosius: Pulcherrimus ordo iste,

vt primò meditemur, & eorum præceptorum quæ diligimus, sit nobis assueta meditatio. Meditatione enim mandatorum cælestium, operis boni vsus inolefcet. Nā sicut meditationi verborum, finis memoria est, vt quæ meditamur verba teneamus: sic meditationis præceptorum cælestium, intentio vel finis operatio est, actusque directus ad implenda præcepta diuina, quorum merces beatitudo est sempiterna. Itaque si hic consistis, ad salutem tibi sufficit. At si vltra progredi lubet, exemplo S. Francisci, non contenti suā salute duntaxat, alios etiam lucrari optimum rati: hoc est optimum, quod in Sanctorum principe Christo possumus imitari. Multis modis docti rudioribus antecellunt. Sancta quippe rusticitas solum sibi prodest: & quantum ædificat ex vitæ merito Ecclesiam Christi, tantum nocet si destruentibus non resistat. Daniel in fine sacratissimæ

6. 12 3. <sup>Et alios.</sup>

visionis ait, iustos fulgere sicut stellas: & intelligentes, id est, doctos, quasi firmamentum. Vides quantum inter se distent iusta rusticitas, & docta iustitia? Alij stellis, alij cælo comparatur, quamquam iuxta Hebraicam veritatē, vtrumque de eruditis possit intelligi: ita enim apud eos legimus, Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. *In magnâ illâ regenerationis die, Magistri habebunt similitudinem cæli: (quod alibi scribit S. Hieron.)* & qui alios erudierunt, stellarum fulgori comparabuntur. Non enim sufficit scire sapientiam, nisi & alios erudias: ita ut sermo doctrinæ alium non ædificans, mercedem operis recipere nō potest. *Sit igitur studiorum nostrorum scopus, & velut alba meta, cum nobis solis discimus, piè & sanctè vivere, cum aliis etiam operam nostram impendimus, rectè docere: hoc est, nos saluos fieri, & qui nos audiunt, vt Sacra Theologia sit adiutrix, duxq; via ferentis in cælū, & velut Aurea Cathena que nos ad Deum trahat.* Ad hunc enim ea cum intelligētia tendit: solaque efficit, vt Deus sincerè à nobis percipiatur atque seruetur.

*Tertium est, vt præscribam Theologiæ candidato auctores, ordine & delectu legēdos.* Illud prius, Cupiditas discendi dirigenda est, ne ipsa se impediatur. Nec passim carpēda sunt, nec auidè inuadenda vniuersa. Per partes peruenitur ad totum. Aptari onus viribus debet: nec plus occupari, quàm cui sufficere possumus. *Alioquin onerat discentem turba, non instruit: multoq; fatius est paucis te auctoris tradere, quàm errare per multos.* *Saluberrimum Seneca præceptum*

Discendi  
cupiditas  
dirigenda

Epist. 2. *ptum in pectus dimitte*; Illud vide ne ista lectio multorum auctorum, & omnis generis voluminū, habeat aliquid vagū & instabile. Certis ingenii immorari & innutiri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquā est, qui vbiq̄ue est. In peregrinatione vitam agentibus hoc euenit, vt multa hospitia habeant, nullas amicitias. Icem accidat necesse est iis, qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim & properanter transmittunt. Non prodest cibus, nec corpori accedit, qui statim sumptus emittitur. Nihil aequē sanitatem impedit, quā remedium crebra mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo crebra medicamenta tentantur. Non conualescit planta, quæ sæpius transfertur. Nihil tam vtile, quod in transitu proficit. Distrahit animum librorū multitudo. Itaq; cum legere non possis quantū habueris, sat est habere quantum legas. Sed modò, inquis, hunc librum euoluere volo, modò illū. Fastidientis stomachi est multa degustare: quæ vbi varia sunt & diuersa, inquinant, non alunt. Probatos itaque semper lege. & si quando ad alios diuertere libuerit, ad priores redi. *Compositi animi, & studii fructuosi indicium est, certis se addicere scriptorib. & probatis.*

*Probatos aliquot distinctè tibi ingero, quos ego censeam præ ceteris legendos; etsi in hoc iudicio, iudicium meum ipse in aliorum iudicium mitto.*

Apud Vincen. Lib. c. 67. h. c. 7. lib. 2. *Ante omnes Liber sacerdotalis (ita vocat S. Ambrosius litterarum Sacrarum volumina) diligentissime, non dico legendus modò, sed ediscendus erit Theologia studio. Memoria traditum (auctore Panormitano) Gloriatum assiduè Alfonso regem Aragonum, quòd Biblia quater & decies*

*Liber Sacerdotalis, sacra Biblia semper legenda, imò ediscenda.*

cum Glossis & Commentariis perlegisset. Proinde illa ita memoriae etiam inculpit, vt non tantum res, sed longum etiam verborum ordinem absque libro, audientibus recitare potuerit. *Si ille Rex inter negotia regni & auocamenta plurima hoc potuit: quanto magis sepositus in studia hic liber versandus? Illius usus organum est scientie diuinae: ac velut instrumenta, quibus tibi aliisq; salutem pares.* Fabri (inquit D. Chrysostomus) quamcunque exercent artem, ante omnia, habent integra & parata sua instrumenta. Neque etiam si fames & inopia premat, eorum facile quicquam vendiderint: illis enim diuenditis, ars vniuersa ipsis inutilis est. Quemadmodum illis, artis instrumenta sunt, malleus, incus, forceps: sic & nobis artis instrumenta sunt Apostolorum ac Prophetarum libri, omnifq; Scriptura diuinitus inspirata. Et quemadmodum illi per illa instrumenta; quicquid faciendum susceperint, perficiunt: ita sane & nos, per hos fabricamur animam nostram, deprauatamq; corrigimus, & inueteratam renouamus. *Nec nostram tantummodo, verum etiam aliorum.* Attestatur Apostolus, Hoc enim facies, & te ipsum saluum facies, & eos qui te audiunt. *Magnus saepe Scripturae lectionis assidue fructus & utilitas.* Nam qui doctrinae innutritur ministerio, prior sibi inde aliis emolumenta conquirat. Dum enim alios admonet, se ipsum quoque compungit. Ita profecto Timotheo dum loquitur, omnes salubriter admonet. Quod si ei qui mortuos excitabat, haec monita edidit: quid iam nos miserum dicturi sumus? Sed & Christus cum qui proferret de thesauro suo & noua & vetera, homini patrifamilias simile dixit. Id quippe ipse

Organum  
diuinae  
scientiae.

Hom. 3.  
de Lata.  
ro.

1. Tim. 4  
16.

Chy.  
sost. ho.  
mil. 11.  
n. 3. ad  
Timot.

Mat. 13.  
52.

maxi-

maximè omnium fecisseprehenditur, qui ad pedes Gamalielis paternâ instructus est lege: ac postmodum lectioni intentissimè operâ dedit. Nam prior ipse fecit quod alios monuit.

*Alibi D. Chrysof. salubri exemplo ad S. Scripturæ lectionē exhortatur. Barbarus ille, reginæ Æthiopiæ Eunuchus, qui in tantâ erat gloriâ, & curru vehebatur, illo tēpore lectionem non negligebat: sed Prophetam in manibus habens, magnum adhibebat studium, & nesciens quid in libris contineretur: sed afferebat quicquid in se erat, nempe studium, alacritatem, attentionem. Cogita enim obsecro, quantum erat, neque in itinere lectionē negligere, & præsertim sedentem in curru! Quid? S. Athanasius etiam Virgini hâc legem præscribit, ita inquit, Non abscedat ab ore tuo verbû Dei. Sit autem illud opus tuum omni tempore. Meditare in sacris Scripturis. Habe Psalteriû & Psalmos disce. Oriens sol videat librû in manib. tuis. Similiter B. Hieron. Nepotianum adhortatur: Diuinas Scripturas sapius lege: imò numquam de manibus tuis sacra lectio deponatur. Disce quod doceas. obtine eum, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem: ut possis exhortari in doctrinâ sanâ, & contradicentes reuincere. Rursum ad Furiam. De Scripturis sanctis habeto fixû versuum numerum: istud pensum Domino tuo redde. Nec antè quieti membra concedas, quàm calathû pectoris tui hoc subtegmine impleueris.*

*Quâ autem attentione sacra Biblia nobis ver-*

*sanda sint, pulchrè docet B. Ephrem, Cùm legis,*

*intentissimè lege, atque diligenter, cum multâ constantiâ, versum bis terque ponderans, & penetrans sensum. Neque studeas libri folia vol-*

*uere:*

*Attenti*

*legendum.*

*De ar-*

*matura*

*spu. c. 8.*



uerè: verùm, vt dixi, bis terque, ac sæpiùs eundem repete versum, vt ipsius intelligentiã consequare. *Siquidem* ex diligentia lectionum, nascitur scientia Dei: ignorantia autem negligentia filia est. *Ioannes Damascenus*, Diligentia & labore, & indultoris Dei gratia, omnia diriguntur. Qui enim petit, accipit: & qui querit, inuenit: & pulsanti aperietur. *Opus etiam fuerit diligenter lecta, attentã ruminacione recolere, ne neglecta fiant. Memoria firmanda est quotidiana rememoratione.* *D. Hieronymus*, Noctibus bis terque surgendum: reuoluenda quæ de Scripturis memoriter retinemus. *Item Sacrorum Antistes Augustinus scribit*, Solitum se amore inueniendi veri, primam aut vltimam dimidiam ferè notis partem, cogitare peruigilem: nec se patiebatur à seipso quocunque modo auocari. *hoc ipsum quoque precipiebat adolescentibus, vt aliquid & præter codices secum agerent, & apud se habitare consuefacerent animum. Quod ipsum in ceteris studiis proficere volenti obseruandum erit. Sic oportet* lectione assiduã, & meditatione diurnã pectus nostrũ bibliothecã Christi facere.

*Lectio  
sit  
meditatio  
firmandã*

Post Scripturas sanctas (*D. Hieronymus, ita præcipit*) doctorum hominũ tractatus lege, eorum dumtaxat quorum fides nota est. non necesse habes aurũ in luto querere. *Theologi tibi legendi, veteres, noni: sed præmittendi Neoterici, qui aui mores, scẽtas dissectas edoceant. vt Hosius, Alfonso Castrensis, & alij, quorum princeps Bellarminus in Controuersis. Apud istos sparsa, hic in unũ conduxit. instar omnium est. Deinceps Scholastici, qui variã doctrinã supelleẽtilem, magnãq; copiam subministrant: hi inuentis nouã quandã addidere lucem, ordinem, dispositionem, perspicuitatem.*

*Auctores  
boni etiã  
legendi.*

*Neoterici  
prælegendi.*

zatem. obscuriora Patrum illustrant, singula pressè  
 & articulatè docentes. Vrosque legendo, absolutus  
 Theologus efficietur. Nam ex illis quasi materiam;  
 Tit. 1.9. ex his tamquam formam mutuatus, Potens erit  
 exhortari in doctrinâ sanâ: & eos qui contra-  
 dicunt arguere. quod est Christiani doctoris pra-  
 cipuum institutum. Scholastici diligenter praelegen-  
 di. Pessimè consulunt inuentuti, qui abstinent &  
 deterrent. Et tibi malè consultū, senties tuo malo, si  
 negligis. Ex imperitiâ, Scholasticorū contemptus,  
 aut scabie ab heresi affrictâ. Prorsus schola Theo-  
 logiæ inuisa hereticis: sed hoc magis existimo ad re-  
 fellendas haereses efficaciorē. Quid de sermone  
 caullaris? Dicitur eâ de re satis: modo S. Ambro-  
 sij auream addo, accomodamq; ad tales respōsionem.  
 Si Orator, illorum qui phaleras sermonum se-  
 quuntur, negat in hoc fortunas positas esse Græ-  
 ciae, hoc an illo verbo vsus sit, sed rem spectan-  
 dam putat; Si ipsi Philosophi eorum qui totos  
 dies in disputationibus consumūt, minus Lati-  
 nis, eo receptis vsi sermonibus sunt, vt propriis  
 vterentur: quāto magis nos negligere verba de-  
 bemus, spectare mysteria, quibus vincit sermo-  
 nis vietas? Nec de his plura: quae tamen si velis, ad  
 librum octauum Locorum Theologicorū Melchioris  
 Cani te mitto. adi: non leges sine fructu.

Et Scho-  
lastica.Licit illi  
sermo in-  
cultior.

Magnum Scholasticorum vides exercitum? ego  
 etiam dico turbam: sed cum delectu probatos legen-  
 dos praescripsi. En tibi B. Thomam ab Aquino, om-  
 niq; calculis absolutissimum Theologum: cuius  
 scripta multitudine, varietate & facilitate expli-  
 candi adeo excellunt, vt ob eam causam nomen Do-  
 ctoris Angelici iure sit adeptus. Si autem subtilioris  
 Theologiae cupido tibi subeat, Ioannem Scotum fre-  
 quenta: quem multi praedicant arcanum Theologiae  
 Thesau-

Sed cum  
delectu.

*Theſaurum. Sed de S. Bonaventurâ quid cenſeam  
rogas? Non ago cenſorem ſine ſuffragio: ſed quod  
ſummus Theologus, Ioannes Garzon olim cenſue-  
rit, recenſeo. Si quæratûr à me (inquit) quis inter  
ceteros doctores plûs videatur idoneus; reſpõ-  
deo ſine præiudicio, quòd Dominus Bonauen-  
tura: quoniam in docendo ſolidus eſt & ſecu-  
rus, pius, iuſtus, & deuotus. Prætereâ recedit à  
curioſitate quantû poteſt, non immiſcens pro-  
poſitiones extraneas, vel doctrinas ſæculares,  
Dialecticas aut Philoſophicas, terminis ſcho-  
laſticis obumbratas, more multorum, ſed dum  
ſtudet illuminationi intellectus, totum refert  
ad pietatem & religioſitatem affectus. Vnde fa-  
ctum eſt, quòd ab indeuotis Scholaſticis ( quo-  
rum prohdolor maior eſt numerus) ipſe minùs  
exſtiterit frequentatus. cûm tamen nulla ſubli-  
mior, nulla diuiniõr, nulla ſalubrior ac ſuauiõr  
pro Theologiis ſit doctrina. *Quæ alio loco ſcribitur,  
velut concluſionem adſcribo, Nec admirari ſuffi-  
cicio, qualiter patres & fratres Minores dimiſſo  
tanto doctore, (qualem neſcio ſi vñquam ſtu-  
dium Pariſienſe habuerit) conuerterunt ſe ad  
neſcio quos nouellos, &c. Et hi principes in hoc  
exercitu. aliquem tibi delige cui inhereas & im-  
moreſis: vt feliciter iactis fundamentis, ſublimem  
Præſcorum Theologiam ſuperſtruas & cõſumes.  
Solis immorari Scholaſticis, ieiunium eſt; & ſte-  
rile ſtudium, ignarum plerumq; pater narum Tra-  
ditionum, quæ Theologo ſummâ curâ ſunt animad-  
uertenda. Nec aliunde cognoſces niſi ex Patribus.  
Hæc duo ita ſunt connexa atque coniuncta, vt  
diuelli ac diffociari non poſſint, Doctrina ſan-  
ctorum Patrum, & Eccleſiæ Traditio. Aduerſa-  
rj Dei verbum purum, purum, inelamant; homi-  
num**

*Lam. 5.  
Bonauen.*

*Arboribus  
ferio ver-  
ſantibus  
illo.*

*Patribus  
poſt illos  
inueni-  
tione.*

*De era-  
minat.  
doctõ-  
nat.*

*Lea. r.  
quæ ſunt  
p. Pr-  
nitem.  
pa. 4.*

*Meleb.  
Can. 7.  
loc. The-  
o. 0. g. c. 7.*

Admon.  
Camp.  
Kat. 2.Vincen.  
Eir. cōt.  
hzie. 9.illi iudi-  
ces incor-  
rupti.

num commentarios auersantur. quid igitur? (Eleganter docet fortissimus ille martyr.) Audiatur antiquitas: & quod nos alteris alteri suspecti non possumus, illud, omnium sæculorum veneranda canities, Christo propior, ab hac lite remotior, decidat arbitrio. Non potest facere cum hæreticis, qui Patres euoluit. nec facile hæreticus admiserit inconcussam Patrum auctoritatem, sed explodit: quia stantibus illis, hic concidit. Inspice sacra Concilia contra errores & hæreses celebrata, & Sanctorum lucubrationes: videbis hac viâ ingressos, novas doctrinas refutasse. Intelligebant enim viri Sancti atq; prudentes, nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi vt omnia, quâ fide à Patribus suscepta forent, eâdem filiis cõsignarentur. nosq; religionem non quâ vellemus ducere: sed potiùs quâ illa duceret sequi oportere. idq; esse proprium Christianæ modestiæ ac gravitatis, nõ sua posteris tradere, sed à maioribus accepta seruare. Ducatum quippe præbet nobis religio, non nos religioni. Nec maiorum sensa quâ volumus trahimus: sed potiùs quâ illa trahunt retrahuntq; sequemur. Ad patres igitur eum accedis, facile prælium hæreticorum conficies. Antiquitate reventâ, nouitas explodetur. Vt prorsus necessaria sit Theologo, accurata & diligens veterum lectio Theologorum.

De ordine in enoluendis patrû monumentis ser-  
uando, sententiæ variant: ego distinctè respondeo. Viri prælegendi, veteriore an nouiores.  
Rudiores à D. Bernardo velim incipere, & deinceps ad veteriores procedere: sed doctioribus, qui inspiciunt ac penetrant, quæ alii illi viri paucis verbis transmittunt, censeo, antiquissimos primæ ætatis Scriptores ante omnes perlegendos. Vt propius accesseris egnem, hoc calesces magis: sic illi se doctiores

rent

rem sanctioremq. facient, si familiares tibi effeceris, in quibus adhuc recens Christi sanguis ferbuit calidius. Illi Apostolicorum dogmatum certiores: ab illis velut per manus accepit, quod semper tenebit beata Apostolorum successio. Ex illis fontibus aqua Doctrina Christiana purius hauriuntur. Itaque me iudice, ante omnes leges beatum Ignatium, qui (teste D. Hieronymo) Christum vidit, & (Baron. suffragante) scripsit ante Areopagitam. certissimus testis Christiana & Apostolica doctrina. In illius epistolis, eius temporis Orientalis Ecclesiae factes propemodum viua representatur: adeo ut non tantum res tunc gesta, sed & Ecclesiastica disciplina, & mores, & Apostolica Traditiones Apostolicarum Ecclesiarum, velut in tabula quadam penicillo manus erudita habeantur expressae. Quae Petrus & Paulus Antiochenos docuerant; quae eadem cum B. Ioanne Asiae Ecclesiis tradiderant; quae eadem Ecclesia susceperant atque seruarent, eadem haec S. Ignatius suis epistolis inculcans, illis asseruanda praescribit. & (quod Eusebius commemorat) primum ut haereses, quae iam tum primo nasci & emergere coeperunt, maxime praecauerent, admonuit: deinde hortatus est, ut Apostolorum Traditioni mordicus adhererent. quam quidem asseueranter testificatus, quod tutius posteritati reseruaretur, necessario scriptis mandandum existimauit. In quibus manifestè videbis in Ecclesia Christi Ordinem Hierarchicum, Ministrorum diuersorum Ecclesiae officia distincta, publicos conuentus, Sacratissime Eucharistiae administrationem, Sacrificij nostri ritus, diei Dominici obseruationem, aliarum etiam festiuitatum celebrationem. Quadragesimae ieiunium; viduarum coetum; Deo sacratarum Virginum collegium; virginitatem

Prima  
aetate ve  
conferuntur  
patres,  
quorum  
primus  
S. Ignatius.

De scri-  
ptor. Eccl.  
Annal.  
Eccl. 106  
2.

1. Eccl.  
hist. c. 30

trinitatem suam Deo consecrantium. & id genus multa, quæ à Catholicis constantissimè seruantur. Ad illum talem iudicem audacter prouocamus omnes nouatores: cuius vel vno dumtaxat aspectu facile intelligunt, quàm dissimilis Ecclesia facies, ab idolo portetiosissimo, quod in dies eundè, recidunt. Post hunc adi magnum illum Sacrorum Antistitem, ac verè Mythen S. Dionysium Areopagitam, <sup>S. Dionysii Areopagita.</sup> Diui Pauli discipulum, Apostolicorum discipulorum <sup>S. Dionysii Areopagita.</sup> Symmysten: quem propter sublimem Theologiam, iure Cæli volucrum cum beato Chrysostomo appellaueris. Post sacrorum voluminam Canonem, nihil diuinius accepisse videtur Ecclesia monumentis illius, & ad stabilien-dos ritus diuinorum Sacramentorum nihil efficacius. Sancti Martialis & <sup>S. Martialis.</sup> Polycarpi epistolas non prateris: facile etiam in <sup>S. Polycarpi.</sup> paruis floribus mella inueniet diligens apis, quibus fauos suos expleat. Iustitius Philosophus verus, <sup>S. Iustitii Philo-sophi.</sup> & Martyr, inter alia docebit, nõ hesternum ritum Sacrificij Christiani: & usum fuisse & morè iam inde ab initio nascentis Ecclesie, adorandi ad orientem, quò Ecclesia & oratoria nostra respiciunt; consignandi quoque dextrâ signum viuifica crucis fidelium frontes. Varias quæstiones eius si diligenter inspexeris, videbis Scholasticos nostros ad eius imitationem Theologiam per quæstiones digessisse. Irenæus S. Polycarpi discipulus omnium doctrinam <sup>S. Irenæi.</sup> curiosissimus explorator, ostèdet Simonem Magum omnium hereticorum esse patrem, & mali illius corui, mala ista oua. Studiosissimè tibi obseruandi illi præsci, qui ex professo contra hæreses scribunt: sic facile cognosces, cunctas hæreses nostri temporis, non nouas, sed veterum hereticorum damnatas hæreses & sepultas, ab istis esse refoffas. Post S. Irenæum in hoc genere excelluit Epiphanius, post quem

An. sta.  
 Biblio-  
 thecar.  
 ep. ad Ca-  
 rolum  
 Cal. Im-  
 perat.

Eccl.  
 ff. 6. 99

quem B. Augustinus. Diligenter animaduertit. Nam vera est illa, magno Doctore beato Hieronymo dignissima sententia, Hæreticorum perfidiam <sup>Epist. 54</sup> exposuisse, superasse est: Clemens Alexandrinus non zizania profert & feces: sed cum aliis salutaribus documentis præcepta tradit ad vitã Christianam benè beateq; instituendam. Cuius discipulus Origenes plurima scripsit; bona & mala. Fuge <sup>Origenes</sup> venena, mella collecturus. Tertullianum scio hominem Ecclesia non esse: tamen præclara reliquit, quibus religionem, veteres mores, ac ritus Ecclesiasticos validissimè vindices & stabilias. Premittit aduersarium & ligat fortissimis argumentis. Et quis tandem Nouatorum audebit libellum illum de Prescriptionibus aduersus hæreses cõfutare, quem pro Romanis & Catholicis conscripsit? Sternit autem nostri cunctos hæreticos. Tu quisquis es antiquitatis amator auidè lege. Quid dicatur aestima, non à quo: sciens quæ optima sunt, communia esse. <sup>Sen. ep. 11.</sup>

<sup>D. Cyprianus</sup> Cyprianus Africa decus & delicta, illum velut magistrum auidissimè legere solebat; magnus ille Episcopus & gloriosissimus martyr non penitentia deprauator sed Pandora illius (specialem hæreticorum fidem sic appello) quam nouus Dii illi, suis donis mirum in modum ornant, acerrimus profligator. qui quod de hæreticis rebaptizandis purgandum habuit; gloriosa martyrij falce purgatum est. <sup>Aug. ep. 211.</sup>

<sup>S. Hippolytus</sup> Hippolytus Episcopus Portuensis; tempora nostra prænunciat viam sternentia Antichristo. An non videmus mysterium iam operari iniquitatis? Facti <sup>2. Thass. 27. Apoc. 15.</sup> habere characterem in dextrâ manu, ne pretiosam crucem in fronte & membris pingant: cunctaque negent, qua ab Apostolis accepta hæcenus retinuit Apostolorum beata progenies. Ecclesiarum sacra ades in star iugurq; ubi pretiosum Christi corpus

Corpus & sanguis non exstat. Liturgiæ extinctio, silentium Psalmorum, significant Antichristum in foribus esse. hæc ille prænuñciauit, tu in præcordia dimitte. Athanasius, Hilarius, Optatus, Hæreticorum furorem & tyrannidem exponunt; illi Arrianorum, Optatus Donatistarum: quos si diligenter versaueris, videri tibi poterit spiritus ille duplex, sed pessimus Arrianorum & Donatistarum, super aui nostri hæreticos, qui uenisse dicam? imò quæta mouisse, totum orbem conturbasse.

Ad mediæ ætatis Scriptores uenio, primùm eloquentissimos Græcos patres, Basilium Magnum, Gregorium Nazianzenum, nobile illud par amicorum; Gregorium Nyssenum Basilij fratrem, Ioannem Chrysostomum, Cyrillum uirumque Ierosolymitanum & Alexandrinum, Theodoretum, totamq; Orientalis Ecclesiæ scholam, concionatoribus assidue frequentandam. Basilii instar purissimi fontis, dulcis incedit & placidus: totus in exercitatione virtutum, & formandis moribus monasticis. Gregorius Nazianzenus, cothurnatus sublimiori genere utitur dicendi. Mouet vehementer, & lacrymas excutit. Vt uita laude nemò illi præstat, sic orationis grauitate facile superat omnes. Ioannes Chrysostomus uerè os aureum & eloquentiæ stumen, omnibus concionatoribus perpetuo legendus. & (D. Augustinus sic scribit) Si acutum & feruens adsit ingenium, facilius adhæret eloquentia legentibus; & audientibus eloquens, quàm eloquentiæ præcepta sectantibus. Post Græcorum patrum scholam Ioannes Damascenus clarè tibi aperiet plusquam barbaricum Iconoclastarum furorem, comprimetq;.

Latini quatuor Ecclesiæ Doctores etiam aduenientes illi fluuij paradysum Ecclesiæ salubriter

X 2

irri-



irrigantes: in quibus non solum immorandum, verum etiam immoriendum, a qui iudices existimant. Quicquid lubet, ex his fontibus plenis manibus hauries. Si vis legere Latine, quod vetustiores Graeci scripsere Graece: habes S. Ambrosium, diuinam eloquentiam clarissimum virum. Sacra Scriptura reconditos sensus & difficiles interpretationes facile exponit D. Hieronymus, oraculum quondam orbis terrarum: cuius doctrinam in nomine & adiutorio Domini, tantum in lingua Latina Ecclesiasticae litterae adiutae sunt, quantum vniquam antea potuerunt. Sanctum Augustinum, lumen illud, quis pro dignitate predicare poterit? illud Os, fistulam aquae viuae, & venam fontis aeterni? Tot tantaque opera posteritati reliquit, & quidem in omni genere doctrinarum, ut quidam dicere solitus sit, Mentitur qui te totum legisse fatetur. Gregorius magnus Romanus Antistes, plenus salubrium documentorum, Christianae pietatis non verba tractat, sed opera. Ut in arbore non folia quaris, sed fructus: sic in illius scriptis non verborum pompam, sed puram morum sanctimoniam. Habes & Leones Magnos, Paulinum, Prosperum, Vincentium, Fulgentium, Venerabilem Bedam, cum sua Doctorum Schola: qui Theologicam disciplinam via & ratione tradentes, quatuor illos Ecclesiae Latinos Doctores, maxime vero diuum Augustinum secuti sunt.

Postrema aetate Lanfrancus, Guitmundus, Algerus, Petrus Cluniacensis, Sacramentarium nostrorum voluntariam insaniam reuincunt: & dum Berengarium ad palinodiam efficacissimis argumentis adigunt, Calvinistarum pertinaciam iure condemnant. Anselmus, Bernardus, Rupertus, Richardus a S. Victore, & plerique alij haec

S. Ambrosius.

S. Hieronymus.

S. Augustinus.

S. Gregorius Magnus.

Postrema aetate praecipui patres.

Aug. ep. 29.

Paulin. ep. 31. in rec. Aug.

Rupert. 7. de op. tib. spiritus sancti. c. 12.

sempetate inclaruerunt, quos paucis annis elapsis, secuti sunt Doctores Scholastici, illos Neoterici, à quibus S. Theologia studium exordiendum supra commonstrauimus. Maximè refert omnium <sup>Omnium etati ali- quos legisse uias</sup> etatum patres, si non omnes, saltem aliquot legisse: quo fiat manifestum, quam fuerit Ecclesia Catholica in moribus, in fidei doctrinà sibi semper consentiens. A

Mat. 16. Petro cepit, super quem Christus Ecclesiam suam edificaturum promisit. Ab illo fonte hoc flumen, cuius impetus lætificat ciuitatem Dei. A fonte præcide riuum, præcisus atrescet. Petrus Apostolus cum ceteris docuit, quod accepit à Christo. Prima etatis patres eandem doctrinam tradidere suis filiis: quam posteri uelut acceptum Catholica fidei ualentum in hunc usque diem sollicitè custodiunt & seruant. Illa perpetua unitas, idemq; sensus, certissimum est. Veræ disciplinæ & magisterij argumentum: ubi eadem confitentur, nec à se inuicem, nec à maioribus dissentiunt. Et quod apud multos unum inuenitur, non est erratum sed traditum. <sup>Vi uideas unanimo consensum omnium.</sup> Iam uerò omnium etatum, Orthodoxorum patrum omnium unanimum consensum peruicaciter contemnerè, quæ sit, rectè sentientium est? imò cum damnatis Donatistis dicentium, non quod est, sed quod uolumus sanctum est. Et ubinam illud Apostoli, Depositu custodi: Quid est depositum? Vincentius Lirinensis exponit; id est, quod tibi creditum, non quod à te inuentum. quod accepisti, non quod excogitasti. rem non ingenij, sed doctrinæ. non usurpationis priuatæ, sed publicæ traditionis. rem ad te perductam, non a te prolatam. in quâ non auctor esse debes, sed custos. non institutor, sed sectator. non ducens, sed sequens. Nihil ex nostro arbitrio inducere licet: ( præclarè id Tertullianus ) sed nec eli-

Athen. ep. de Dec. 66 cil. Niceni. Tertull. de præf. c. 28. Aug. cp. 48. 1. Tim. 6. Cont. hæret. 27. De præf. scrip. aduer. hæret. 6.



gere, quod aliquis de suo arbitrio induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio quod inducerent, elegerunt: sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus adsignauerunt. *Veritas ab initio est, antiqua est: nouitas nominis & res ipsa posterioriorem se arguit.* Posterior nostra res non est, immo omnibus prior est: hoc erit testimonium veritatis vbique occupantis principatum. Indid. 31

*Argumentum  
veritatis,  
quod anti-  
quum.*

*Epistole  
Decretales  
Pontificum.*

Epistolæ decretales *Summorum Pontificum*, eorum præcipue qui Apostolica tempora proximi inclaruerunt, magnâ attentione legenda. et maxime Traditiones Apostolicas tibi ingerent, quarum tanta fuit semper in Ecclesiâ auctoritas, ut quam soleat dici, Traditio est: nihil quæras amplius. In omni lectione hæ tibi studiosissimè obseruâde: quod maxime faciant ad hæreses reuincendas. Adhibebis quoque Concilia: quia (auctore Vincentio Lirinensi.) Chryso-  
hom. 4.  
in 2.  
Thessal.  
Cont.  
hæc. 27.

*Concilia.*

hæreticorum nouitatibus excitata, Conciliorum suorum decretis Catholica perfecit Ecclesia, ut quod prius à maioribus solâ traditione acceperat, hoc deinde posteris etiam per Scripturæ chirographum consignaret. Ex his intelleges Ecclesiasticos Canones, quorum cognitio necessaria, qui ad excipiendas confessiones se applicat. Cum autem illi Canones, tum ex Decretalibus epistolis, tum variis Conciliis, necnon patrum documentis, voluminibus Iuris Canonici comprehensæ sint: prorsus operæ pretium mihi facere videntur, qui libris illis non admodum magnis serio incumbunt. Confessiones audire, pœnitentias iniungere, sine iuris peritiâ, vix quisquam potest. Vt possis, adde qui de Casibus conscientie accuratissime scripserunt: & hi mali, sed præstare ceteris Doctores Nauarrum, sententia est Doctorem.

*Ius Canonicum.*

Libet

Liber Viuentium *reſtat, quem tibi valde com-  
mendo, Historiam dico: ſic vocat nobilis historicus*

Liber Vi-  
uentium  
Historia.

Igitur  
Histor.

*Nicetas Choniates. Actæ vitæ ratio, ſiue ſancta &  
iuſta, ſiue nefaria & iniuria, obituſque ſiue fe-  
lix, ſiue calamitoſus, clarâ hiftoriæ voce prædi-  
catur. Quamobrem haud ab re Liber Viuen-  
tium appellabitur hiftoria; reruſque geſtarum  
deſcriptio tubæ clangor, quo iam olim mortui,  
velut è ſepulchris excitati, in medium produ-  
cuntur. Theologo hiftoriarum cognitio utilis eſt,  
imò neceſſaria. Audi magnum Theologum Alanum*

Præfat.  
ad lecto-  
rem in  
Dialog.

Theologe  
neceſſaria

*Copum; A rebus ſacris & Theologiâ, diuelli hi-  
ſtoria nõ poteſt, ſine quâ infans eſt planè Theo-  
logus: vt & hîc dici poſſit, quod olim de nauï  
reſpõdit Iureconſultus, Si diuidas perdes. Qua-  
re nos multo rectius Theologo, quàm eâ olim  
ſuo Oratori Cicero, attribuemus. Et, ſi verum  
dicere velimus, quid aliud ferè tota Scriptura  
eſt, quàm perpetua quædam hiftoria? vt pru-  
denter quidem noſtri fecerint, qui ad contro-  
uerſorum hodie dogmatum explicationem,  
hîſtorias quoque adhibuerint. Quod cum Eu-  
angelici viderent, & illud præterea, huiuſmodi  
exempla ad perſuaſionem, excitandoſque inge-  
nuorum hominum animos magnam vim ha-  
bere, quaſi viuam quandam Scripturæ inter-  
pretationem: ad huiuſmodi ſe hiftorias, quæ  
Catholicam veritatem valde illuſtrant, peruel-  
lendas, atque ſiniſtrâ & malignâ quadâ depra-  
uatione contaminandas, magno ſtudio contu-  
lerunt. Quid hîc faciet Theologus, cognitione hi-  
ſtoriarum deſtitutus? Ad ſummam, omnes viri  
docti conſentiunt rudes omnino Theologos il-  
los eſſe, in quorum lucubrationibus hiftoria  
muta eſt. De quâ re cum præclare ſcripſerit Mel-  
chior*

Melch.  
Can. li.  
11. de  
loc. The  
pl. 1.

chior Canus, de locis Theologicis librum undecimum; & nuper vir eruditus Ioannes Bernartius, (quocum mihi magnus, propter spectatam modestiam, & raram eruditionem, vsus & amicitia.) duos libros De utilitate legendæ historię, doctè in primis & eleganter: nihil est necesse quicquam de his amplius, ex nostrâ moneri à proferre. Adita illos fontes, & si qua te sitis tenet huius rei, facile explebitur.

Historici  
præcipui  
enume-  
rantur.  
Chronicon  
Eusebii  
Cæsariensis.

Ante omnes arbitror præmittendum Eusebii Cæsariensis Chronicon, (quod utinã correctum haberemus) à B. Hieronymo Latinitate donatum: cui ipse multa immiscuit; & ad sua tempora perduxit. eius filium Prosper excepit, sicut Prosperi, sequentes Palmerij. Ante omnia velim te summam degustare totius orbis historiam: hoc ex illo Chronico assequeris, simul etiã ut memoriã omnia teneas.

Facilius enim singula insidunt circumscripta. his facillimè quoque notitia latior inducitur. Deinde

Iosephus  
Iudæus.

Iosephus Iudæus diligenter legatur, Grauis auctor S. Basilio; Græcus Liuius B. Hieronymo. Iosephi magna semper auctoritas fuit, etsi habeat nonnullos errores. Postea tibi ad eundem Ecclesiasticæ historię scriptores, Eusebius Cæsariensis, Socrates, Theodoretus, Sozomenus, Euagrius: sed

Historie  
Ecclesiæ  
sua.

Ioanne Christophorsona interprete. qui alias aliorum interpretum editiones suspectas esse docebit, imò deprauatas. Subiungendus Nicephorus Callixtus, & qui Corpus vniuersæ historię cõscripserunt, præsertim Bizantinae, Ioannes Zonaras, Nicetas Choniates, Nicephorus Gregoras. Nicetas parum adhuc vulgò notus (scribit Iustus Lipsius) sed dignissimus notitiã. Nicephorus Gregoras historiam & filii narrationis eius excepit, vel hoc nomine legendus quòd pleraque

Es Bizan-  
tim.

ius in notis ad exp. 9 lib. 1. Po-  
licor.

eius

Epist.  
to. 2.  
1 T. c.  
21.

Lib. 1.  
de vr.  
leg. h.

Sen. ep.  
31.

Hom. 8.  
in fame  
& sicc.  
Epist. 23  
15.

In to-  
Anna  
Eccle-  
Baron

Lib. 1.  
loc. T.  
olog.

eius historia ab ævo nostro non diffidet: imò li-  
tes dissensusq; in Sacris reperies, haud diffimi-  
les hodiernis. *Probi hi: qualem etiam vellem Lao-  
nicum Chalcacondylam de rebus Turcicis: sed  
eius lectione tibi interdixit Appendix ad Catalo-  
gum librorum prohibitorum.*

*Latini historici qui exstant pauci & breues: ut* Historici  
Latini  
pauci.  
Seuerus Sulpitius, Paullus Orosius, Cassiodo-  
rus, Beda, & plerique posteriores. *Non est meum  
de illis ferre sententiã: cum sciam D. Hieronymum  
scribere, legendos etiam malos, vt bona eorum  
eligamus, vite musq; cõtraria, iuxta Apostolum  
dicentem, Omnia probate, quod bonum est te-  
nete. Noui plerosque grauitè errasse: tamen de  
omnibus pronuntiaudum existimo, quod Bernar-  
tius meus de solo Tacito, Vt vinum, vinum nõ esse  
desinit, si guttulæ in eo aquæ: sic nec istorum  
historiæ probæ, si eis nonnullæ maculæ. Qui  
sint probatæ fidei auctores multis docet Melchior  
Canus lib. 11. de Locis Theolog. c. 6. quò te mitto.*

*Sed inoffenso pede, vt historiarum campum per-  
curras, necesse est Cæsarem Baronium legere di-  
ligenter: omnibus palmam eripit, quotquot hæc-  
nus in Ecclesiasticâ historiâ quidquam tentarunt.* Cæsar Ba-  
ronius em-  
ni laudat  
maior.

*Sequere illius arbitrium, & in illius sententiam pe-  
dibus & manibus discede. Nam præterquam quòd  
Ecclesiæ perduelles validissimè prostermit, dubiis  
etiam & controuersis certitudinem adfert, tenebris  
lucem. Meritò de illo canit vir doctus Ioannes Bo-  
chius vrbi Antuerpiensi à Secretis;*

Omnia Cæsareo cadunt inuenta labori,  
Veris falsa, sacris vana, vetusta nouis.

*Nec historiam solùm Ecclesiasticam, sed eam* Et Histo-  
ria præfa-  
na Theolo-  
go utilis.  
*etiam quæ ab Ethnicis auctoribus est scripta,  
Theologo contra aduersarios fidei utilissimam*

X s esse,

Epist. 76  
to. 2.  
1 T. ff.  
21.

Lib. 1.  
de vi.  
leg. hist.

In to. 1.  
Annal.  
Ecc. C.  
Baron.

Lib. 11.  
loc. The-  
olog. 2.

esse, testatim reliquit Melchior Canus, ipse Theologus summus: & rudem esse omnino in historiis gentiliū, aut inertissimæ segnitæ est, aut fastidij delicatissimi. *Probus miles latè omnia explorat: & transit in aliena castra, non tanquam transfuga, sed tanquam explorator. Quid tibi cum alieno, inquis? audi, Quod verum est, meum est.* Sen. q. 21.  
*Multa in illis profanis vera, pulchra, erudita, quæ res Christianas rurum in modum amplificanti & exornant.* Veluti plantis, quibus propria virtus est, fructu pulcherrimo scaterere, folia nihilominus ramis coniuncta quædam ferunt ornatum: sic & anima, cui præcellens quidem veritas fructus est, nō ab re tamen exteriori sapientiā circumdatur, sicut foliis quibusdam vmbra fructui, ac aspectum non intempestiuum præbentibus. *hac ratione docet S. Basilus, Poëcis & Oratoribus, & omnibus hominibus vtendum, vnde futura sit aliqua vtilitas, quæ ad animæ faciat ædificationem. Qui iudicio præditi sunt, & facultate discernendi, multa bona colligent, ex illis nō bonis. Adpositè ad hanc rē S. Theodoretus: Ipsis apibus hanc natura legem instituit, vt non solum floribus qui sunt dulces insidant, sed qui etiam amarulenti: cum tamen solam dulcedinem hauriant, amaritiam autem auersentur, ac ex diuersis qualitatibus, amaris videlicet, acerbis, austeris, acutisque, mel quod hominibus dulcissimum est, conficiant. Harum itaque & nos exempla sectati, ex illis amarulentis pratis, dulce nobis ac perquā vtile mel componimus. Ac veluti corporum curatores è venenatis feris atque serpentibus, salutare medicinas conficiunt, deq; ipsis viperis, alia quidem reiicientes, alia verò elixantes, multos harum rerum præsidio*

*Sicut lectio  
 Orationum &  
 Poëtarum  
 Ethnicorum.*

*S. Basil.  
 hom. 14  
 Quomo  
 do ex  
 Gentil.  
 Lect.  
 profus.*

*Lib. 1.  
 de cur.  
 Grec.  
 effec. in  
 fiat.*

diò morbos propellunt: ita & nos Poëtarum, Historicorum, Philosophorumq; monumenta versantes, alia ex iis vt noxia & pestifera declinamus, alia verò sparsim nostræ inferentes doctrinæ, auxiliarem nobis ac salubrem curationem adferimus. *Probatissimos historicos recenset Iustus Lipsius in Notis ad caput nonum libri primi Politicorum: fusius differendo proponit Ioannes Bernartius, libro primo de utilitate legenda historie. Ad lamina ista: satis superq; te instituent non solum, verum etiam ad fructum, nempe Prudentiam & Virtutem ex Ethnicorum scriptis acquirendam, animum vehementer accendent. Plutarchus valde ab illis probatus præconia nostro non eget, sed iudicio: dignus si quis alius concionatore scriptor. Veteriores Græci Patres multa ex illo usurpant. Nam, (vt Lipsius scribit) iudicium mirificè format, & diffusâ ac planâ quadâ scribendi viâ ad virtutem vbique & prudentiâ ducit, sed ad illam magis,*

*Quoniam verò de profanis iam agimus, oportune hic Annæum Senecam pietatis studioso commendabo, quem res ipsa comendat, & virtus, velut Romane sapientia parentem. Quod ipse de philosophiâ dicit, facit: Animum format & fabricat,*

*vitam disponit, actiones regit, agenda & omit-tenda demonstrat. sed & ad gubernaculum, & per ancipitia fluctuantium dirigit cursum. Lege & relege, opera non pœnitebit. Sanctus Bonaventura legit, & ex illa multa suis libris inseruit.*

*Quinetiam Concilium Furonense secundum, sententiam eius honorificè citat. Vtilissimam illius lectionem testatum facit Iustus Lipsius, his verbis:*

*Annæus Seneca frequenter mihi in manibus est: vt ego sentio, non sine fructu. Siue enim doctrinâ quero, multa inuenio in ritibus priscis*

secon.

Not. in  
c. 9. 1. Po  
lic

Epist. 16

Sap. 15.

Elec.  
cap. 26.

Plutar-  
chus. 079.  
commendatus

Annæus  
Seneca  
pietatis  
studioso  
legendus.



recondita: siue sapientiam, Deus bone, quid ad mores, & ad vitam scriptum vniquam præclarior? Qualis ille, & quàm Romanus vbiq̃ animus? quæ tela aduersum casus subministrat, & ipsam mortem? quomodo vitia eripit, inserit virtutes? Fatendum est. in cacumine Olympi montis constitutus mihi videor cum illum lego: supra ventos & procellas, supra omnes res humanas. *Quotquot estis veri virtutis amatores, nec tam boni videri vultis, quàm esse, Romani Philosophi scholam frequentate.* Qui in Solem venit, licet nõ in hoc venerit, colorabitur. Qui in vnguentariâ tabernâ residerunt, & paulõ diutius commorati sunt, odorem secum loci ferunt. Et qui apud hunc Philosophum assidui sunt, trahent aliquid ad minuenda vitia, virtutes augendas. Illud etiam accedet, acriores reddentur stimuli ad rectè viuendum, ex Ethnicorum scriptis, quàm nostratium. Et prorsus erubescendum, cum subit animo, non ea perspicere, siue etiam non perficere peccata Evangelicâ luce illustratû, quæ perspecta sunt iis, imò & perfecta, quib. sola natura scintilla præluxit.

*Vitia mi-  
nus, au-  
gat vir-  
tutes.*

*Stulta le-  
get qui ha-  
bit ratio-  
nem tem-  
poris.*

At enim omnes istos, inquis, quis poterit euolueret qui habeat rationem temporis, nec bonum otium conterat socordiâ & desidiâ. Scio præscripsisse me, discendi cupiditatem dirigendam esse, ne se ipsa impediât: sed induxi te in magnum istum Senatium litteratorum. Difficile est omnes amicos habere, principes ac præcipuos tibi concilia, & familiari amicitia consunge. Velut apes non omnibus floribus similiter insidunt, neque ex eis ad quos accedunt omnia auferre conantur, sed quatum ipsis ad opus necessarium fuerit cõprehendentes, reliquum dimitunt: sic tu potissimos eliges. Ingenium tuum tecum ipse metire, & humeros tuos libra: cognosce quid ferre

Sen. ep.  
109.

329. ep. *ferre valeant, quidve reculent.* Non quantum vis, sed quantum capis hauriendum est. *Illud in peccatis tuis dimitte,* plus prodesse, si pauca precepta sapientiae teneas, sed illa in promptu tibi & in usu sint; quam si multa quidem didiceris, sed illa non habeas ad manum. *Incipe modo & perge. Nihil feracius ingenio humano, si recte colatur.* Bonum tantum habe animum, capies quantum voles. Quo plus recipit animus, hoc te magis laxat.

Id. de brev. vit. cap. 1. *Quod vite breuitatem, & angustiam temporis excuses, nihil est.* Sicut amplae & regiae opes ubi ad malum dominum peruenerunt, momento dissipantur; at quamuis modicae si bono custodi traditae sint, usu crescunt: ita aetas nostra bene disponenti multum patet. *An etiam obtusum ingenium nobis obrundes? Accetur, si Hebraeum audis sapientem.* Si retusum fuerit ferrum, & hoc non ut prius, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur: & post industriam sequetur sapientia. *In qua verba pulcherrime scribit D. Hieronymus:* Si se, inquit, aliquis viderit per negligentiam amisisse scientiam Scripturarum, & acumen ingenij eius fuerit obtusum, & conturbatus nequaquam maserit, qualis esse iam cooperat. euenit quippe interdum, ut cum modicum scientiae quis habuerit, elatus in superbia, discere desistat & legere; & paulatim ex eo quod nihil ei additur, subtrahatur, & vacuum disciplinis pectus remaneat, ferrumque quod acutum fuerat, hebetetur, otium enim & desidia quasi quaedam rubigo sapientiae est. Si igitur quis hoc passus fuerit, non desperet remedium sanitatis, sed vadat ad magistrum, & rursum instruat ab eo: & post laborem, & industriam,

*Nec vita breuius; breuiorem faciat.*

*Labor in probis omnia vincit.*

striam, sudoremque nimium, valebit sapien-  
tiam recipere. Labore, & sudore, & industriâ,  
& quotidianâ lectione, sapientiam conseque-  
tur. *Semen quod spargitur, quamuis exiguum sit,*  
*cum occupauit idoneum locum, vires suas explicat,*  
*& ex minimo in maximos actus diffunditur. Idem*  
*facit labor & constantia: eruditio, in opere crescit.*  
*At sicut artiũ in suo quoque genere, mater est*  
*instãtia: ita nouerca eruditionis est negligẽtia.*

Anacle.  
ep. 1.In tẽpore  
studendi.

*Maacte animo, quãso te, in hoc iuuenili vere*  
*fac sementem, quò aliquando immortalitatis*  
*facias messem. Prudenter ille sapiens Romanus*  
*monet, quod te animaduertere obseruatẽ velim;*  
*Turpe & ridicula res est elementarius senex.*  
*Iuueni parandũ, seni vtendum est; Vt apes colli-*  
*gunt astate, quibus hyeme viuant: ita nobis in tem-*  
*pore est habendaratio studiorum & temporis; quã*  
*percursa utilitatem, fructumq; tum nobis, tum aliis*  
*adferant, & eternam salutem. Apum frequenter*  
*memini in hoc de studiis tractatu: claudã quoque*  
*ductã aptã similitudine ab apibus, & quidem ex Se-*  
*necã, quem vt tibi valdẽ commendo, ita sapius in-*

Io. Ber.  
de vill.  
leg. hist.S. n. ep.  
16.Lectio &  
seripem  
discrimina

*gero, & dilaudo. Nec scribere tantũ, nec tan-*  
*tũ legere debemus. Altera res contristabit, &*  
*vires exhauriet, de stilo dico: altera soluet ac*  
*diluet. Inuicem hoc illo commutandum est, &*  
*alterum altero temperandum: vt quicquid le-*  
*ctione collectum est, stilius redigat in corpus.*  
*Apes (vt aiunt) debemus imitari, quã vagatur,*  
*& flores ad mel faciendum idoneos carpunt.*  
*deinde quicquid attulere, disponunt ac per fa-*  
*uos digerunt: & (vt Virgilius noster ait)*

Epist. 85.

liquentia mella

*Stipant, & dulci distendunt nectare cellas.*  
*Has debemus imitari. & quãcũque ex diuersã*  
*lectio-*

*Lectio  
locos com-  
munes di-  
gerenda,  
& sepa-  
randa.*

lectione congeſſimus ſeparare : melius enim  
diſtincta ſervantur. Deinde adhibita ingenij  
noſtri cura & facultate , in vnum ſaporem va-  
ria illa libamenta confundere: vt etiam ſi appa-  
ruerit vnde ſumptu ſit, aliud tamen eſſe, quam  
vnde ſumptum eſt, appareat. quod in corpore  
noſtro videmus ſine vlla opera noſtra facere  
naturam. Alimenta quæ accepimus, quam diu  
in ſua qualitate perdurant, & ſolida innatant  
ſtomacho, onera ſunt. At cum ex eo quod erat  
mutata ſunt, tunc demum in vires & in ſangu-  
nem tranſeunt. Idem in his, quibus aluntur in-  
genia, præſtemus : vt quæcunque hauſimus, non  
patiamur integra eſſe ; nec aliena ſint, ſed con-  
coquamus illa. alioquin in memotiam ibunt,  
non in ingenium. Aſſentiamur illis fideliter, &  
noſtra faciamus ; vt vnu quiddam fiat ex mul-  
tis, ſicut vnus numerus ſit ex ſingulis, cum mi-  
nores ſummas & diſſidentes computatio vna  
comprehendit. Non vides quam multorum vo-  
cibus chorus conſtet? vnus tamen ex omnibus  
ſonus redditur. Aliqua illic acuta eſt, aliqua  
grauis, aliqua media. Accedunt viris feminae,  
interponuntur tibiae : ſingulorum illic latent  
voces, omnium adparent. Fit concentus ex diſ-  
ſonis. Talem animum noſtrum eſſe volo, vt  
multæ in illo artes, multa præcepta ſint, multa-  
rum ætatum exempla, ſed in vnum conſpirata.  
*Hoc ipſum de choro dico, quæ pietatis ſtudioſi, veri  
Philoſophi nouerunt, vbi pietatis & eruditionis ſua-  
tiſſimus concentus, ſcientiæ & virtutis : vt ( quæ  
ſumma ſummarum) doctrina & opera, omnia fa-  
cta dictaque inter ſe congruant, ac respondeant  
ſibi, & vna forma percuffa ſint. Alioquin multo  
melius eſt e duobus imperfectis, ratiocinationem  
ſanciam*

Sen. ep.  
34.  
Hier.  
ep. 2.

*Summa  
ſummarum  
de ratione  
ſtudij.*

sanctam habere quam eloquentiam peccatricem, scientiam vanam.

10. De verbis Domini aliquod scriptum manu ipsius. ] *Idlatius Barptolom. Pisan. ac fratrem Leonem scriptum hoc desiderasse scribit.* Scriptura hæc erat signo Thau signata; Benedicat tibi Dominus, & custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. Dominus benedicat fratrem Leonem. *Priora verba ex libro Numeri, quibus Deus præcepit Sacerdotes bene dicere filiis Israël: quod ipsum manus extensis faciebant. Aaron summus Sacerdos peracto sacrificio, quod in Leuitico scribitur, Extendens manum ad populum, benedixit ei. Nec dubium, imò certum, illis verbis, ex præcepto Domini, qui locutus ad Moysen, dixit: Loquere Aaron, & filiis eius, Sic benedicetis filiis Israël, & dicetis eis; Benedicat tibi Dominus, & custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. Inuocabuntque nomen meum super filios Israël, & ego benedicam eis.* *Nota, nota, vsum signi Crucis, cum inuocatione sanctissimæ Trinitatis, ad benedictionem dandam à Sacerdotibus, iam tunc adumbratum fuisse: quod clarius intelliges ex verbis Petri Galatini, quæ visum mihi adscribere. Cum summus Sacerdos populo benediceret ex Dei præcepto, ambas manus ante faciem suam protensas tenebat. Cum verò nomē Dei Tetragrammaton proferebat, tres mox vtriusque manus digitos, pollicem, indicem, & medium altius erigebat, reliquosque duos in palmam depressos habens: & sic nomine illo prolato, tres statim eiusdem digitos insimul*

*Benedictio  
Sacerdotis  
verus  
Tostatus.*

*Epist. ad  
Io. Reu-  
clin.*

mul vniebat, vt veteres Thalmudistæ tradiderunt. quod nullam aliã ob rem fieri institutum est, nisi vt diuinarum personarum Trinitatem, diuinæq; naturę vnitatem, per nomen illud designari, palàm ostenderetur. *Sed & Christus Dominus ascendens in celum, eleuatis manibus suis benedixit discipulis. quomodo? Audi Ioannem Molanum, Aut ritu Aaronico, aut Christiano: posteriore modo benedixisse vero similis est. Ab illo tempore inoleuit vsus signi Crucis sub inuocatione Sanctissimæ Trinitatis. Nec Sacerdotes tantum hoc ritu benedicbant, verum etiam Christiani omnes, seipso, alios, tum omnia in vsu cottidiano. vnde & de S. Francisco, signi Crucis maximo cultore, scribitur paragrahho sequenti,*

*Benedictionem Christianorum significans.*

Luc. 24.  
30.  
4. de ima  
gin. c. 14

13. Signo crucis facto, in Christi nomine benedixit.] *Nec hic solum: sapissimè talem benedictionem vsurpasse testatur totius vite historia. Benedictionem verò, boni alicuius, siue salutis bonam precationem, & votum intelligo: quæ aptius peti, dari ve non potest, quàm in nomine Domini, à quo omne bonum; vnà cum illo signo, quod representat, nos à maledicto liberatos, assertos esse saluti, per Christum, qui factus pro nobis maledictus: (quia scriptum est, Maledictus omnis qui pendet in ligno) vt in gentibus benedictio Abrahamæ fieret, in Christo Iesu. A Salvatore nostro benedictio hæc, salutare hoc signum vim habet aduersus omnia mala, aduersus ipsos demones: quos vel sola crucis in aëre descriptio profligat & vincit. Hæc à multis egregiè tractata scio: sed vnum tantum adferam è B. Ephrem præco scriptore, ad vsum frequentè viuifici signaculi, nos grauiter admonente. Pingamus in ianuis, atq; in frontibus nostris, & in ore, & in pectore, atque in membris omnibus viuifi-*

*Quæ in nomine Domini cum signo crucis datur.*

Gal. 3. 13

Deut. 21  
23.

Magian.  
carm. ad  
Nemesium.

De vera  
penit.  
c. 3.

Y cum

*Fius vis  
& magna  
potentia.*

cum signum. Armemur insuperabili hac Christianorum armaturâ. Ea enim victrix est mortis, fidelium spes, lux orbis terræ, paradisi rese-ratrix, profligatrix hæreseon, dæmonum expul-trix, monachorum adminiculum, firmamen-tum fidei, magna salutarisq; custodia, & gloria perpetua orthodoxorum in æternum. Hanc ô Christiane armaturam diebus singulis, & no-ctibus, horis atq; momentis, in omni loco cir-cumferre non desinas, nihil sine ipsâ perficias: sed siue dormias, siue iter agas, siue euigiles, si-ue operi insistas, siue manduces, siue bibas, siue maria nauiges, siue transmittas flumina, hac te loricâ contege, membraq; tua omnia salutari signo exorna atque circumduce, ne accedât ad te mala. Hoc enim signo conspecto, aduersariæ potestates conterritæ, tremensq; recedunt. *Itaque mirum non est humani generis & salutis hostes, demones excitare multos inimicos crucis Christi, qui salutare crucis signum irrideant, & velut magiam execrentur, ut idolomaniâ detesten-tur.* Princeps enim mundi huius (*inquit S. Ignatius, Martyr & Episcopus, Discipulus Apostolo-rum, qui Christum vidit*) lætatur quando quis negat crucem: interitû enim sui agnoscit confessionem esse crucis. Hoc enim est trophæum contra eius potestatem, quod videns expauescit, & audiens timet. Initium enim ei fuit damna-tionis, (*addit paucis interpositis*) Crux Christi, initium mortis, initium perditionis. Idcirco & in quibusdam vt crucem negent facit, vt pas-sionem erubescant, mortem opinionem vo-cent, natiuitatem & ortum ex virgine circum-cidant, naturam ipsam diffament quasi impu-ram & sceleratam. Iudæis auxiliatur ad nega-tionem,

*Aulus ho-  
stis Crucis*

*Epist. 16  
Philip-  
pen.*

tionem, Græcis ad calumniam imaginæ, hæreticis ad imaginationem. *Dicam paucis. Hoc spectat diabolus, ut sublatâ Christi memoriâ, è Christianis fiant Antichristi, Iudæi, Athei.*

IN CAPVT XII.

§. 3. Aues vt verbum Dei audirent, sollicitè admonuit.] *Concionatur auiculis, ad laudem creatoris hortatur. Rides? nimirum faciliè malignitas inuenit, quod vellicet. Ride & ipsum Dauidem, nedû auiculas, sed etiam bestias omnes, omnes creaturas ad Dei laudem inuitantem:*

*S. Franc. hortatur aues ad laudè Dei.*

*Psal. 148. 7.*

*Laudate Dominû de terrâ, dracones, & omnes abyssi. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius. Montes, & omnes colles, ligna fructifera, & omnes cedri. Bestiæ, & vniuersa pecora, serpentes, & volucres pennatæ. Sed & tres pueri in camino illo Babylonis benedicentes Domino, totum vniuersum inclamabant ad benedicendum Domino, etiam auiculas, Benedicite omnes volucres cæli Domino, laudate, & superexaltate eum in sæcula. Grauitè docet beatus Chrysostomus, Sanctos Deum laudaturos, assciscere sibi socios laudis: qui et si inanimè sint, laudant tamen Deum, quia ad laudem eius nos suâ pulchritudine inducunt. Vide Hom. eius in Psalmum centesimum quadragesimum octauum.*

*Dan. 3. 80.*

4. Audite verbum Dei, tenentes silentiû.] *Sic alibi concionaturus coaxantibus ranis silentium imperauit. Auctore S. Ambrosio, Frequens sermo est, cum plurima ranarum murmura religiosæ auribus plebis obstreperent, Sacerdotem Dei præcepisse vt conticerent, ac reuerentiam deferrent sacræ orationi, tunc subitò circumfusos strepitus quieuisse. Non irridenda hæc,*

*hirundines eius præcepto in concione silent.*

*Barpt. Pisan. Confor. fruc. 13. Lib. 3. de virginib. ca. 1.*



*sed miranda: bestias facere, quod debent homines; nec tamen volunt, in concionibus, in orationibus publicis. Silent paludes, homines non silebunt?* in idem

Et irrationabile animal recognoscit, quod per naturam ignorat? Hominum tantam esse immodestiam, ut plerique deferre nesciant mentium religioni, quod deferunt auriū voluptati: *valde est deplorandū. Sed pleraque talia viros sanctos fecisse, litteræ sacræ attestantur. Nec modò viris beatis bestias obedisse, sed ipsa etiam elementa ad nutum paruisse. Iosue soli indixit solstitiū, lunam* Ios. 10. 13.

*in suis stare, rapidissimū cæbi cursum retinuit verbo. Elias ignem celo demisit, Iordanem fluuium pallio diuisum, siccus transiit vestigiis. An negabimus homini perfectò, qui ad innocentiam reuenerit, in quâ Adam ante peccatum, dominium in creaturas recuperari posse? O miram istam Nouatorum Theologiam! De hominibus loquens Seneca vidit, quod* 4. Reg. 1. 10. Ibid. 2. 7.

*Christianus non videt: Si vis tibi omnia subiicere, te subiice rationi. Multos reges, si ratio te rezerit. Et tu rationi subiicere; illa Deo: Deus tibi subiiciet omnia, secundum illud, Omnia subiicisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi, volucres cæli, & pisces, &c.* Epist. 17. Gal. 3. 8.

7. Cùm non humanæ inuentionis ornatum prætenderet. ] *Vt nostri, non secundum artem scripserunt, sed secundum gratiam, quæ supra omnem artem est: ita non secundum artem dixerunt viri diuini, sed prout Spiritus sanctus dabat* Amb. ep. 63.

*eloqui illis: cuius gratiâ stultam fecit Deus sapientiam huius mundi. Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes. S. Augustinus, Elegit discipulos, quos & Apostolos nominauit, humiliter natos, inhonoratos, illitteratos: ut quicquid magnū essent & facerent, ipse* A. 2. 41. 1. Cor. 1. 27. Lib. 18. de ciuit. c. 49.

in

Deo sub-  
iecto, sub-  
iiciuntur  
omnia.

Sancti se-  
cundum  
gratiam  
scripserunt,  
& dixe-  
runt, quæ  
supra ar-  
tem.

in eis esset & faceret, *vt initio Ecclesie, sic in no-*  
Mal. 1.13. *ui orbis conuersione. Semper dicendum, Non no-*  
9. *bis Domine, non nobis: sed nomini tuo da glo-*  
*riam. At nunc plerique litterarum intemperantiâ*  
Sen. ep. *sapientia est. Plus scire velle quàm satis sit, in-*  
89. *temperatiâ genus est. Illud specta, ne tam doctus*  
Ibid. *habeare, quàm sis bonus. Scientia nocet, si nõ rerum*  
*cupiditatem facit, sed sui. Seneca, Magno impen-*  
*dio temporum, magnâ alienarum aurium mo-*  
*lestiâ, laudatio hæc constat, O hominem litte-*  
*ratum! Simus hoc titulo rusticiore contenti,*  
*O virum bonum!*

20. Chordam apud se quâ cinctus fuerat san-

ctus pater.] *Eius attractu acri sanantur. Ludoui-*  
Conc 4. *cus Granatensis. Amplificat Lucas in Actis Apo-*  
de S. Frã *stolorum Pauli miracula his verbis; Virtutesq;*  
cl. *nõ quilibet operabatur Deus per manus Pau-*  
Act. 19. *li: ita vt super languidos deferrentur à corpore*  
21. *eius sudaria & semicinctia: & recedebant ab*  
*eis languores. Magnum hoc certè diuinæ bo-*  
*nitatis & charitatis erga fidelem seruum indi-*  
*ciũ; qui sic non ipsum modò, sed sudaria etiam*  
*quibus is narium sordes tergebat, hoc tâto ho-*  
*nore afficeret. Verùm hic aliquid video mira-*  
*bilius. Non enim solam sancti viri chordã Do-*  
*minus, sed aquam etiam quæ chordam tetige-*  
*rat, hac tantâ virtute donauit. Quanta ergo il-*  
*la Dei bonitas & charitas! quantum illud San-*  
*ctos suos honorandi desiderium, quando illa*  
*etiam, quæ eorum semicinctia tetigerunt, sic*  
*honorare dignatus est!*

*Chordam vocat funem, quo vir beatus cingeba-*  
Cap. 3. *tur. De quo D. Bonauentura; Dum audiret Euan-*  
5.1. *gelium, ubi Christus Discipulis prohibuit possidere*

in zonis pecuniam, reiectâ corrigia, pro cingulo  
 funem sumit. *Commemorat Speculum vitæ sancti*  
*Quæ S. Dominici se pi succinxit.* *Francisci, Beatum Dominicum à S. Francisco pe-* *Cap. 41.*  
*tuisse chordam, quâ cinctus fuerat. licet difficulter,*  
 obtinuit tamen, & sub interiori tunicâ cinxit, ac  
 deinceps deuotè gestauit. Quâ ratione D. Pauli  
 sudaria & semicinctia admonebantur aliorum cor-  
 poribus, eâdem beatus Dominicus gestasse credi po-  
 test chordam S. Francisci, cuius tactu tanta be-  
 neficia in multos conferebantur. Primordia hæc mi-  
 hi videntur sodalium Chordigerorum. Anno salutis  
 millesimo quingentesimo septuagesimo nono, in Ita-  
 liâ cum essem, accepi à fratribus nostris prædicari  
 Verone, & aliis locis, Indulgentias, quibus potie-  
 bantur quotquot acciperent Chordam S. Franciscæ  
 ex præscripto, & deuotè gestarent. Sed non sine mo-  
 tu: multis res ignota, etiam suspecta & illicita arbi-  
 trata est. Vicit tamen veritas: & inuentum à Leo-  
 ne X. facultatem datam fratribus Franciscanis,  
 communicandi secularibus, & cuiusuis instituti  
 alterius Religiosis, & Ecclesiasticis personis, chor-  
 dam Ordinis S. Francisci. Ipsi vero, fune Franci-  
 scano ritè accepto, & in Christi memoriam, funi-  
 bus pro peccatis nostris soluendis constrictis, cinctis,  
 magna sit gratia delictorum, multa indulgentia  
 impertiuntur. Non vidi diploma Pontificium: sed  
 paucis verbis subindicat Compendium Priuilegio-  
 rum fratrum Minorum, sic habens. Leo X. con-  
 cessit, quòd viri deferentes imaginem Conceptionis  
 beatæ Virginis, & mulieres scapularium  
 eiusdem Ordinis cū prædictâ imagine, easdem  
 gratias obtineant & consequantur, quas con-  
 sequuntur, & consequi possunt deferentes chor-  
 dam fratrum Minorum, & corrigiam S. Augu-  
 stini. *Sixtus V. Anno Christi octogesimo sexto su-  
 pra*

*Indulgen-  
 tiæ Leonis  
 X. in ge-  
 statione  
 Chordæ  
 Franci-  
 scanæ.*

*In Indul-  
 gen. quo  
 ad seculi  
 7. nu. 4.*

*pramillesimum quingentesimum, proprio motu instituit Archiconfraternitatem Chordigerorum, quam ceriè maximis donauit Indulgentiis, confirmauitq; hoc Diplomate.*

XISTVS Episcopus seruus seruorum Dei, <sup>De Chordigerorù Archiconfraternitate Xistù V. diploma.</sup> ad perpetuam rei memoriam. Diuinæ charitatis altitudo eminentissima, & summi amoris Seraphici inexhausta bonitas, quâ ab æterno &

<sup>1. Ier. 31. 3</sup> ante mundi constitutionem, "in charitate perpetuâ dilexit nos; ac, vt nos sibi obstringeret" in <sup>2. Ole. 11</sup> funiculis Adæ, id est naturæ, gratiæ, & gloriæ, ad se trahere voluit: videns protoplasti culpâ peccatorum funibus circumplexos, & ad se clamantes, "Propitius esto sorti, & funiculo hæreditatis tuæ; non modò nos vinctos suos non despexit, sed in fortitudine educendos, de mendicitate, & ferro diiudicans, In funiculis secundi Adæ (inquit) trahâ eos. Et vt insolubilius nosmet sibi vinciret, tenaciusq; obstringeret, Filiû suum Redemptorem nostrum, (cuius diuinâ disponente gratiâ, meritis licet imparibus, in sacrosanctâ Ecclesiâ vices gerimus) filium Adæ factum, quasi funiculum, diuinitate, anima, & carne contextum, ac de cælis ad terras <sup>3. Isa. 11. 5</sup> protensum, "iustitiæ cingulo in omni vitâ suâ ad lumbos præcinctum, suâmet solius interiûs charitate vinctum, licet funibus impiorum pro suâ voluntate ligatum, vsque ad mortem crucis tradidit, & traxit: vt sic nobis vinctis, & in peccatorum funibus vinctis, "fieret sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio. Licet autem tantæ charitatis ardor inextinguibilis esse debuisset, refriguit tamen. Vnde frigescente mundo, & in <sup>4. 1. Ioan. 2. 16.</sup> funiculis Euæ (quæ sunt concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ)

denuò constricto, ad denuò inflammanda corda nostra, Pater misericordiarum & luminum, famulum suum beatum Franciscum misit, & in tam largâ dulcedinis benedictione præuenit, vt non modò virtutum prærogatiuis & meritis celebrem fecerit, sed & in carne ipsius sacra Christi stigmata renouauerit, & mira crucis mysteria, ligamina, & paupertatem, multifor- miter in eo ad viuum demonstrauerit: adeò vt verè Christus Francisco inferre possit, <sup>Psal. 133</sup> "Semi- tam meam, & funiculum meum inuestigasti, & omnes vias meas præuidisti. Vnde & factum est, vt meritis dicti B. Francisci, sacrosancta mater Ecclesia, factu nouæ prolis amplificata, ac multorum Sanctorum eius instituti meritis, virtutibus, doctrinis, exēplis & miraculis aucta, nec non quamplurimis Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis, Cardinalibus, Regibus, & Summis Pontificibus decorata, non possit ad eius deuotionis, & imitationis sectanda vestigia non esse propensa. Nos pariter qui à teneris annis singularem erga eundem B. Franciscum (gloriâ nostrâ) semper gessimus deuotionis affectum, & indies semper accreuit, & mirè accrescit, & cuius cinguli, & amictus instituti, & Ordinis, pro Dei gratiâ & nostrâ voluntate pro posse imitatores, alumni, & serui fuimus, ac fuisse gloriamur, considerantes populorū deuotionem, & propensionem erga tantum virum, & quo deuotionis affectu æmuletur, & passim anhelet plebs omnis, gestamen saltem funiculi eius. & quasi non contenta, quòd tot tantiq; vtriusque sexus Christi fideles ad instituta triū Ordinum ipsius, ob deuotionem ad tantum patrem, relicto mundo transierint, totam velit in S. Francisci

cisci imitatione, deuotione, & amore immergere: idcirco cū pro aliquali repensione amoris nostri erga tantū patrem, nuper ad ampliorē decorem insignis & celebris Ecclesiæ domus eiusdem S. Francisci Assisiensis, Ordinis fratrum Minorum Conuentualium nuncupatorum, in quā quidem Ecclesiā, sub illius altari maiori corpus eiusdem S. Francisci requiescit, ac diuini cultus & piorū operum augmentum, ipsiusq; S. Francisci honorē & uenerationem, ac animarū Christi fidelium salutem, vnā Archiconfraternitatem vtriusque sexus Christifidelium, qui chordam per fratres dicti Ordinis gestari solitam, ex illorum deuotione, à Superioribus eiusdem religionis cinctam & susceptam deferent, & illā cingentur, sub eiusdem S. Francisci inuocatione in ipsā Ecclesiā, & ad dictū altare motu proprio erexerimus, & instituerimus: ac vt confratres Chordigeri dictæ Archiconfraternitatis ad pia opera exercenda propensiores redderentur, ac ad Ecclesiam & altare huiusmodi deuotionis causā confluēt, eisdem vtriusque sexus Christifidelibus, verè pœnitentibus & confessis, dictam chordā, quæ prius à Superioribus dicti Ordinis benedici debeat, ad reuerentiam & memoriam eiusdem sancti Francisci gerētibus, sacraq; communione refectis, Archiconfraternitatem ipsam ingredientibus, primā die illorum ingressus, ac in mortis articulo ipsorū, nomen Iesu ore vel corde inuocantibus, ac etiam verè pœnitentibus & confessis, plenariam omnium peccatorum suorum indulgētiam & remissionem, per alias litteras nostras concesserimus. Nec non dilecto filio Clementi Bontadosio moderno, ac pro

Y s tem-

*Eam infirmitate ad altare S. Francisci Assisi.*

*Illi, ubi  
locorum  
confrater-  
nitates  
alia chor-  
digerorū  
arcepo-  
sunt.*

tempore existenti dicti Ordinis Ministro Ge-  
nerali, vt quascunque Confraternitates vtriuf-  
que sexus Christifideliū Chordigerorum hu-  
iusmodi, in quibuscunque Ecclesiis domorum,  
Ordinum fratrum tam Minorum Conuentua-  
lium, quàm de Obseruantia, & Capuccinorum  
nuncupatorū, vbicunque & in quibusuis mun-  
di partibus erigere & instituere; illasq; postquā  
prectæ fuerint, præfatæ Archiconfraternitati,  
cum omnibus & singulis indulgētiis, & pecca-  
torum remissionibus ac relaxationibus, aggregare,  
ipsasq; indulgentias Confratribus illarum  
communicare & concedere valeret, plenam &  
omnimodam facultatem & auctoritatem con-  
cesserimus, easdemq; Confraternitates erigen-  
das ex tunc, prout ex eā die, & è contrā, dictæ  
Archicōfraternitati aggregauerimus, & indul-  
gentias huiusmodi Confratribus illarum com-  
municauerimus, ac litteras prædictas, nullo  
vmquā tempore, de surreptionis, vel obreptionis,  
aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ,  
seu quopiam alio defectu notari, impugnari,  
retractari, aut reuocari nullatenus posse, sed  
semper validas & efficaces futuras, suosque ef-  
fect<sup>o</sup> plenarios sortiri debere decreuimus aliās,  
prout in dictis litteris plenius continetur. Ne  
autem de præmissorū validitate vllō vmquam  
tempore dubitari contingat, nostram denuò in  
præmissis auctoritatem interponere, ipsiusque  
Archiconfraternitatis auctoritatem extendere,  
ac pium dictorum Confratrū Chordigerorum  
propositum amplius promouere, eosque spiri-  
tualibus muneribus; Indulgentiis videlicet &  
peccatorum remissionibus prosequi cupientes,  
supplicationibus dicti Clementis hac in parte  
incli-

inclinati, Institutionem huiusmodi Apostoli-  
 cā auctoritate præfatā, tenore præsentium per-  
 petuò approbamus & confirmamus: supple-  
 tes omnes & singulos tam iuris, quàm facti de-  
 fectus, si qui interuenerint in eisdem. Ipsam  
 Archiconfraternitatem in caput omniū Con-  
 fraternitatum Chordigerorū huiusmodi, vbi-  
 libet institutarum & instituendarū, etiam per-  
 petuò, auctoritate & tenore præmissis erigimus  
 & instituimus: omnesq; & singulas indulgen-  
 tias, & peccatorū remissiones & relaxationes,  
 Religioni & Ordini fratrum Minorum huius-  
 modi, per quoscunque Romanos Pontifices  
 prædecessores nostros, ac nos concessas, quoad  
 eas dumtaxat, quæ non sunt hactenus reuoca-  
 tæ, nec sub vllis reuocationibus comprehensæ,  
 eisdē auctoritate & tenore similiter perpetuò  
 approbamus & confirmamus, ac illis perpetuæ  
 & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus: illas-  
 que Archiconfraternitati & Cōfratribus Chor-  
 digerorū huiusmodi sub eisdem modo & for-  
 mā, quibus illæ Religioni, & fratribus præfatis  
 concessæ fuerūt, dummodo (vt præfertur) non  
 fuerint reuocate, etiam perpetuò concedimus,  
 largimur & cōmunicamus. Nec non de om-  
 nipotentis Dei misericordiā, ac beatorum Pe-  
 tri & Pauli Apostolorum eius auctoritate con-  
 fisi, vtriusque sexus Cōfratribus Chordigero-  
 rum huiusmodi, præter Indulgentias Religioni  
 præfatæ concessas, in mortis articulo, nec non  
 quoties processionibus Archiconfraternitatis  
 Chordigerorum huiusmodi singulis mensibus  
 fieri solitis interfuerint, eisdem quidem Con-  
 fratribus plenariam omniū peccatorum suo-  
 rum indulgentiam & remissionem perpetuò conce-

*Denuo ap-  
 probat &  
 confirmat*

*Ordini Sa-  
 raphico  
 indulgen-  
 tiis conce-  
 ssi illu-  
 strat &  
 auget is, son  
 Chordige-  
 rorum*

*Item aliis  
 condona-  
 tionibus.*



concedimus: Aliis verò non Confratribus, quæ processioibus huiusmodi interfuerint, cētum annos de iniunctis eis, vel aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxamus. Ac præfatis confratribus, qui aliis dicte Archiconfraternitatis processioibus, aut dum beatæ Mariæ, vel quoduis aliud diuinum officium per ipsos Confratres Chordigeros recitabitur, interfuerint; ac quoties sanctissimū Christi corpus dum infirmis defertur, vel defunctum ad sepulturam adsoeiauerint; aut alicui miserabili personæ subuenerint; vel pacem inter inimicos composuerint, seu aliquod horum fecerint: toties centum dies de eis iniunctis, seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis, etiam misericorditer in Domino relaxamus. eisdemq; Confratribus Chordigeris, vt indulgentias & peccatorum remissiones præfatas, per modum suffragij pro fidelibus, qui in gratiâ Dei decesserint, consequi & impertiri valeant. Nec non quascunq; Confraternitates vtriusque sexus Christifidelium Chordigerorum huiusmodi, in quibuscunq; Ecclesiis domorū, tam Minorum Conuentualiū, quàm de Obseruantia, & Capuccinorum, nuncupatorum, fratrum præfatorum, in quibuscunq; mundi partibus & locis, pro tempore erigendas & instituendas, postquam erectæ & institutæ fuerint, Archiconfraternitati illorū aggregandi, illisq; omnes & singulas eorum indulgētias, & peccatorū remissiones, & relaxationes communicandi, & concedendi plenam liberamq; facultatem præfato, ac pro tempore existenti Generali dicti Ordinis Minorum Conuentualiū, auctoritate & tenore præfatis concedimus.

Non

*Qua aliis  
fodatis  
Chordige-  
rorū com-  
munican-  
tur.*

Non obstantibus præmissis, ac nostrâ de indulgentiis ad instar non concedendis, & quibusvis aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque; contrariis quibuscunque: præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod præsentium transfumptis, manu alicuius Notarij subscriptis, & sigillo pro tempore existentis Ministri, vel Procuratoris Generalis Ordinis fratrum Minorum Conventualium huiusmodi, vel cuiusvis personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ, aut Canonici alicuius Cathedralis Ecclesiæ, munitis, eadem profus fides adhibeatur vbique locorum & gentium, in iudicio, & extrâ, quæ ipsis originalibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, cõfirmationum, erectionis, concessionum, aggregationis, elargitionis, communicationis, relaxationis, decreti & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo sexto. Non. Maij. Pontificatus nostri anno. 2.

*Vides hanc gratiam delictorum factam magis aspectu hominum degentium extra Ordinem diuisi Francisci, quàm ipsorum Franciscanorum? Ad pietatem illis calcar subdendum à fratribus, & veluti trahendi ad amorem virtutis. Plerique indigēt ope alienâ: non ituri si nemo præcesserit, sed benè secuturi. Neque solo nos otio noti debemus consensescere: ne tam vita otiosa sit quàm ignava. Res qui fugit*

*Decipimus specie rati.* & homines, velut timidum atq; iners animal metum delitescens, nō aliis viuit, nec quidem sibi. Pulebrē noster Seneca, Non continuō sibi viuit, qui nemi- Epist. 56  
mini. Adeō tamen magna res est constantia, & in proposito suo perseuerātia, vt habeat auctoritatem inertia quoque pertinax. Adeō pietas sacrum quiddam est & venerabile: vt etiam si quid illi simile est, mendacio placeat.

*Contemprores re-arguuntur.* Sed ad propositum. Nouatores Democriti noui valde hīc rident, quō improbitatem suam demonstrant aperte, & insaniam. Fatuus in risu exaltat vocem suam: vir autem sapiens vix tacitē ridebit. Eccli. 17  
21  
Isaie 33  
1  
De talibus non laboro: cū fatigati desierint contemnere, contemnentur. Sed Catholici (si modo tales) & magni viri, doctiq; qui hac arrodunt, (sapius obseruari non sine magno mēore) quoloco habendi sunt? Grandi supercilio, ac fastidiosē inquirunt velut retractantes, vtrum rectē, consulto, prudenter istiusmodi Indulgentias Pontifices largiantur. Nempe delecti illi, quibus liceat solis Censurā virgulā arreptā censere de Sede supremā, quā à nemine alioquin iudicari debet. Bonā fide, homuli, vobisne cerebrum in capite, an in calce est? Scilicet nisi consultis istis, nec quicquam rectē Christi Vicarius decernet. Nihil esse superuacaneū, nec haberi debere, quod multum iuuat ad salutem generis humani, nemo sana mentis negare potest. Et multa licet talia habeamus, nunquam tamen nimis multa. Vt in pharmacopolio quamuis varia sint medicamenta ad corporū sanitatem, tamen nil nimium est, quod ad illam iuuat: sic in Ecclesie valedudinario non est superuacaneum quod maximē prodest ad salutem animarū. Quamquam hoc etiam altē considerandum, Sodalitium Patrum Dominisanorum cum Rosario illo B. Marię, è quo nobilita illa

illa Sodalitas Societatis Iesu fruticauit; item Corrigiam Patrum Augustinensium; Cingulum Patrum Carmelitarum, Funiculum istum instituti D. Francisci. Grana illa (quae vocamus) Benedicta, & alia huiusmodi, symbola esse, ac velut tesseras communicationis Ecclesiae membrorum cum capite: hoc est, piorum cum Petri successore. Agnoscuntur tales per ista signa Catholici: & agnoscunt Romanum Pontificem Christi Vicarium in terris, Ecclesiae caput, cui clauis datae regni caelorum, ligandi soluendiq; potestas. Contestatio hac, & communio cum Romano Pontifice, ab omni aeo habita est certissima nota hominis Christiani. At symbola ista parui facere, contemnere, quid aliud est quam paulatim inducere contemptum Principis sacrorum, atq; adeo dissensum cum Petri successore? Nonne haereses temporis nostri hoc ipsum machinantur? In hoc unum eunt conatus earum, vt ab arbore fractus ramus, germinare non possit, & riuus a fonte praecisus, arescat. Nimirum discessio proprium est opus hominis peccati, filij perditionis. & mysterij iam operatur iniquitatis, quo occultius, hoc pestilentius. Hostem apertum vitare potes, falsos fratres non potes. Facilius cautio est, vbi manifestior formido est: & ad certamen animus antea praestruitur, quando se aduersarius profitetur. Plus metuendus est, & cauendus inimicus cum latenter obrepit, cum occultis accessibus serpit. Sic occulte venenum serpens infundit, quoties consensus hunc salutare membrorum Ecclesiae cum capite latenter dissuit. Contemptores igitur tales aut ipsam rem non intelligunt, non inspiciunt, aut certe incorrupti Catholici haberi non possunt. Si autem haec nostra confessio Apostolatus iudicio comprobatur: quicumque me culpae voluerit, se imperitum,

Dissensio  
latenter  
communio-  
nem cum  
Pontifice  
Romano.

Mat. 16.  
29.

1. Theff.  
2. 3.

Cypt. de  
viti. Ec-  
cl. 1.

24. q. 1.  
c. hęc est

## IN CAPVT XIII.

De Al-  
uernâ  
monte.

§. I. Mons Aluernæ.] Hic in Etruria Apen-  
nino, mediam Italiam diuidente: inſtar præru-  
pti ſcopuli aliorum montium ſuperat iuga. Va-  
riè apellatur. Martyrologio Romano Mons Aluer-  
niæ. Polydoro Vergilio Auernâ. Sabellicus La-  
uernam vocat. & Franciſcus Maurus Mino-  
rida in libris quatuordecim Franciſciados, quos  
Heroicis verſibus in laudem S. Franciſci ad Coſ-  
mum Medicem Ducem Etruriæ, conſcripſit. De  
Sullâ Plutarchus ex Lucullo hæc memorat: Cùm  
ad bellum ſociale cû exercitu mitteretur, tra-  
dit apud Lauernam in ingentem ſinum terræ  
labem deſediſſe, ex quo grandem ignem eru-  
piſſe, & lucidam flammam ad cælum extuliſſe.  
Sitne idem locus, viderint quorum hæc talis profeſ-  
ſio, mihi equidem non videtur. Porro Lauerna  
olim Romanis Dea habitata fuit, in cuius tutelâ fu-  
res eſſe putabântur, ab eâ dicti Lauerniones. Et Ro-  
mæ porta Lauernalis olim, ab eade Lauernâ propin-  
quâ. Famam eſſe ſcribit Franciſcus Maurus, ra-  
ptores & prædones in Lauernâ monte quandoque  
frequentes conſediſſe, finitimis & viatoribus in-  
feſtos, quibus de altiſſimo monte proſpectus ad om-  
nes vias. hæc eius verba:

A Lauernibus  
& graſ-  
ſatoribus.

Ex illo (quando antra, nemus, latebræque  
profundæ  
Rupis inaccessæ) loca tuta nocētibus eſſe.  
Sæpè hîc conuentum diræ fecēte cateruæ  
Raptorum; prædaſq; loco aſſueuere recentes  
Partiri ſecum, & lætè conuiuere rapto.

Sic de S. Franciſco ante F. Maurum cecinit Bapt.  
Manz

Ad 17.  
Sept.  
Deinſe.  
rer. 7. 6. 4  
Enn. 9.  
Lib. 6.

In Sullâ

Lib. 12.  
Franci-  
ſciados.

l. 16.  
Fast.

Mātuān. Vmbererat. coluit Tuscæ montana  
Lauernæ; Quæ furum tutela fuit.

Nunc etiam in ipso monte videtur turris, furū &  
prædonum carcer. Itaque à Deâ Lauernâ furum  
tutrice, Lauernam montem appellatū licet opinari.

Lib. 1.  
Histor.  
Seraph.  
vlg.

pono hoc, non adfirmo. quamquam Petrus Radul-  
phius scribit nonnullos in hac opinione esse. Orlan-

Datus  
S. Fran-  
cisco.

dius Catanæus vir nobilis ex opido Clusino in agro  
Clusentino, qui propè abest ab eo loco, montem hunc.

S. Francisco dedit. qui paullo pòst impressione sti-

gmatum in beati viri corpore nobilitatus, dictus est

Mons Angelorum: quòd Angeli frequentes eo

loci conuersarentur; & montem in tutelam acce-

Mons An-  
gelorum  
appellat-  
us.

piissent. Multa præterea de hoc monte scribuntur,

quæ non persequor: sed mitto te ad Speculum vitæ

S. Francisci. quod scioli reijciunt quidem, sed im-

peritè, cum Cæsar Baronius in notis ad Martyro-

logium Romanum illius auctores fratrem Leonem;

fratrem Ruffinum; & fratrem Angelum, honorifi-

cè citare non vereatur. Inter alia dignum notatu,

hunc montem in Saluatoris Christi passione, cum

terra motu quateretur; & petre scinderentur, etiã

Ruptus in  
Christi  
passione.

discissum esse. quod Barpt. Pisanus testatum relin-

quit: Robertus à Licio, & Baronius in Annalibus

Ecclesiasticis. Item Petrus Radulphius libro secun-

do historiariū Seraphicæ Religionis pluribus etiam

exponit, quæ de sacro hoc monte attingimus.

2. Cum igitur Seraphicis desideriorum ar-

doribus sursum ageretur in Deum. ] Tradit

D. Bonaventura, sanctū patrem visum nocte oran-

tem manibus expansis in figuram crucis, toto corpo-

re subleuari à terrâ, fulgēte illustratum nubeculâ.

Id contigisse sæpenumerò cum in multis locis, tum

etiam in monte Aluerna, Speculum vitæ S. Fran-

cisci commemorat. Frater Leo eius assiduus comes

S. Fran-  
cis  
orans nu-  
bucula  
subleua-  
tur in aër-  
em.

Z

sæpe

sæpe vidit eleuatum ad usque medium fagorum, quæ  
ibi multa & proceræ. nec rarò tam altè, vt aciem  
oculorum eius effugeret. Vidit etiam in illo monte  
beatum virum flexis genibus, erectâ facie, manibus  
in celum deductis, cum Deo colloquentem, frequen-  
tissimè hæc verba repetiuisse,

QVID ES TU DOMINE? ET, QVID SUM EGO?  
Aliquando sic, Quid es tu dulcissime Deus  
meus? &, Quid sum ego vermiculus, & paruus  
seruustuus? *Flammam etiam cum hæc diceret, co-  
ru, scam à summo calo ad caput eius radiantem, ad  
quam beatus Franciscus ter manum extendit, non-  
nulla verba protulit: hæc qualia fuerint, ipse  
vir sanctus fratri Leoni exposuit his verbis: Cum  
hæc videres, inquit, erant mihi aperta duo lumi-  
na: vnum de cognitione Creatoris, & aliud de  
cognitione meipsum. Quædo dicebam, Quid  
es tu Domine? &, Quid sum ego? tunc eram in  
quodam lumine contemplationis, in quo vide-  
bam abyssum infinitæ bonitatis diuinæ, & pro-  
fundum lacrymosum vilitatis meæ. Propterea  
dicebam, Quid est tu Domine? summe sapiens,*

*Cum Deo  
loquatur.*

summum bonum, summe clemens; vt visites  
me, qui sum summè vilis, & vermiculus vnus,  
modicus, abominabilis, & despectus? Illa verò  
flamma fuit Deus, qui in illâ specie mihi, sicut  
Mosi in flammâ ignis loquebatur. *Ter iubente* *Exo. 3.*  
*Deo manum duxi in sinum, & reduxi ad flammam.*

*Cui tres  
aurei of-  
ferti.*

*Tres aureos nummos. Deo dante, magnos qualibet  
vice & pulchros in sinu repperi, iussu Dei, Deo ob-  
tuli. & statim intelligi datum est, Trinam oblatio-  
nem significare Auream obedientiam, altissimam  
paupertatem, & splendidissimam castitatem:  
sive etiam tres Ordines à B. Francisco institutos.  
quod Barpt. Pisan. scribit. Paucis complexus sum:  
histo-*

historiam pluribus exponit Barpt. Pisan. Conform. fructus undecimi. & Conform. fructus trigesimali primi. Ex quibus exscripsisse videtur S. Antoninus tertiâ parte historialis, tit. 24. cap. 7. §. 9.

Verum maximè refert patris nostri exemplo operam dare, & intendere animum considerationi horum duorum, cognitioni Dei & sui: quæ prorsus necessaria homini Christiano, qui voluit esse perfe-

Prou. 9. Etus. Pauca ingeram tibi: & dabo sapienti occasionem, ut addatur ei sapientia. Nolle ante omnia summum illud Numen (quatenus homini datum) oportet: & cognitum pie pureq; venerari. Nam (ut D. Hieron. ait) Absque notitiâ sui

Cognitione Dei studendum.

Epist. 3. ad Hebr. 1. od. c. 3. S. Bernardus rectè docet per omnia, & in omnibus preferendam, & vel solam, vel maximè colendam, quæ ad omnia valet, pietatem. Quid sit pietas quæris? vacare considerationi. Dicas forsitan, in hoc dissentire me ab illo, qui pietatem definiuit cultum Dei. Non est ita. Si bene consideras, illius sensum meis expressi verbis, etsi tamen ex parte. Quid tam pertinens ad cultum Dei, quàm quod ipse hortatur in Psalmo, Vacate & videte, quoniam ego sum Deus? Quod sanè in partibus cõsiderationis præcipuum est.

Aug. 4. Civit. c. 23.

Quid deniq; tam ad omnia valens, quàm quæ ipsius quoque actionis partes, benignâ quâdam præsumptione suas facit, præagendo quodammodo, & præordinando quæ agenda sunt. Necessariò sanè, ne fortè, quæ & præiusta, & præmeditata poterant esse proficuo, præcipitata magis periculo fiant. Sed quia Deum nemo vidit unquam, qui lucem inhabitat inaccessibilem (auctore eodem.) A te tua consideratio inchoet, ne frustra extendaris in alia te neglecto.

Joan. 1. 2. 1. Tim. 6. 16. Lib. 2. de Consuetudine. Et cognitio sui, et quæ in consuetudine





Quid tibi prodest si vniuersum mundum lucreris, te vnum perdens? & si sapiens sis, deest tibi ad sapientiam, si tibi non fueris. Quantum verò? vt quidem senserim ego, totum. Noueris licet omnia mysteria, noueris lata terræ, alta cæli, profunda maris: si te nescieris, eris similis ædificanti sine fundamento, ruinam non structuram faciens. Quicquid extruxeris extra te, erit instar congesti pulueris, ventis obnoxium.

*Itaque attende tibi ipsi. & homo cum sis, id fac*

*semper intelligas. Quia primum decet* (*suffra-*

*gante magno illo Antonio*) rationabilem virum

cognoscere semetipsum: deinde vt cognoscat

ea quæ sunt Dei, & vniuersas gratias quas cum-

que semper cum eo facit. Atque hoc modo (in-

quit mellifluus Bernardus) erit gradus ad noti-

tiam Dei cognitio tui: & ex imagine tuâ que in

te renouatur, ipse videbitur: dum tu quidem

reuelatâ facie gloriam Domini cû fiduciâ spe-

culando, in eandem imaginem transformaris,

de claritate in claritatem, tamquam à Domini

spiritu. *Vtraque cognitio necessaria tibi ad salutem.*

*Sine quâ  
nemini  
salus.*

Nemo absque sui cognitione saluari potest. de

quâ nimirum mater salutis humilitas oritur, &

timor Domini: qui & ipse sicut initium sapien-

tiz, ita est salutis. Nemo absque illa cognitione

saluatur, qui tamen ætatem habeat ac faculta-

tem cognoscendi. quod propter paruulos lo-

quor & fatuos, quorum alia ratio est. Quid si

ignoras Deum; poteritne spes esse salutis cum

Dei ignorantia? Ne hoc quidem. Nec enim

potes amare quem nescias, aut habere quæ non

amaueris. Noueris proinde te, vt Deum timeas:

noueris ipsum vt æquè ipsum diligas. In altero

initiaris ad sapientiam, in altero & consumma-

ris:

Ep. 1. ad  
Atlenoi  
tas.

Ser. 76.  
in Cant.

Idem  
Ser. 37.  
in Cant.

Psal. 110  
20.  
Rom. 13  
10.  
Ser. 17.  
in Cant.
 ris: quia initium sapientiæ timor Domini est,  
 &, plenitudo legis est charitas. Ceterum si nos  
 ignorantia Dei tenet: (rursus vsurpo verba san-  
 cti Bernardi) quomodo speramus in eum quem  
 ignoramus? Si nostri? quomodo humiles eri-  
 mus, putâtes nos aliquid esse cum nihil simus?  
 Scimus autem, nec superbis, nec desperatis par-  
 tem esse vel societatem in sorte sanctorum. In-  
 tuere ergo nunc mecum, quantâ curâ & solli-  
 citudine ambas istas repellere à nobis ignoran-  
 tias debeamus; quarum omnis peccati altera  
 initium parit, altera consummationem! sicut  
 duarum e regione notitiarum, initium sapien-  
 tiæ vna, perfectionem altera gignit: illa timo-  
 rem Domini, ista charitatem.

*Benigna materia hæc, non tamen prosequor. tan-  
 tum dicam Ethnicis etiam Dei cognitionem & sui  
 valde commendatam fuisse. Tradit Plutarchus, at-  
 que ex eo Eusebius Cesariensis, in Apollinis Del-  
 phici propylæis inscripta hæc duo, Es. & Nosce te-  
 ipsum. Apollo enim vnumquemque, qui huc  
 accedit, sicut salutans affatur hoc dicto,*

NOSCE TE IPSVM:

De di-  
ctione  
Es. apud  
Delphos  
Euseb.  
Cesar.  
11. De  
prepar.  
Euang.  
6. 12.
 quod profectò non minus valet quàm salve.  
 Nos vicissim Deo respondentes, **ES,**  
 dicimus. Quo dicto vt verum, vt solidum & so-  
 lum, ad solum illum pertinens vocabulum,  
 Quòd sit, ei tribuimus. Nobis nihil suppetit vt  
 simus: sed natura mortalis omnis, in medio or-  
 tus & interitus posita, visionem præbet, & opi-  
 nationem exilem, & vacillantem sui. Quòd si  
 cogitationem adprehendendam eam intende-  
 ris, sicut vehemens aquæ circumplexus, com-  
 primendo in vnum, & stringendo diffluentem  
 amittit, quam comprimit. Ita si motionum

*Esse nobis  
non sup-  
petit.*

transeuntium cuiusque exactam perspicuitatem consecetur ratio, aberrat modò in ortum eius, modò in occasum. nec potest quicquam quod consistat vel verè sit, corripere. Annem enim haud queas, vt est apud Heraclitum, bis eundem ingredi, neque naturam mortalem bis attingere in vno tenore: verùm mutationis pernicitate & celeritate dissipatur, & vice versâ coit, accedit, & recedit. Vnde nec ortus eius, vt sit, consequitur absolute, quòd numquam desinat generatio nec cedat: sed ex semine, perpetuâ cõuersione foetum efficiat, inde infantem, tum puerum, mox adolescentem, hinc iuuenem, post virum, senem, decrepitum, primas perimens generationes & ætates, succedentibus. Non modò enim, vt dixit Heraclitus, ignis mors aëri est ortus, & aëris mors aquæ ortus: verùm id in nobisipsis lôgè cernas clariùs. Interit enim vir vbi senescit, periit iuuenis, quando viueuafit; puer, quando iuuenis; quando puer, infans; atque hesternus in hodiernum discessit, hodiernus in crastinũ expirat. Manet nemo, neque est vnus: sed circa vnã visionem, & communem imaginem circulante & lapsante materiã, efficiamur multi. Qui enim, iidem si maneremus; aliis nunc duceremur, aliã diuersa diligeremus, aut odissemus, admiraremur, carperemus: Imò aliis vtimur sermonibus, aliis animi motibus: quòd neque speciem, neq; formam, neque sententiam retineamus vltra eandem. Neque enim sine variatione consentaneum sit aliter affici nos: neque est, qui variat, idem. Quòd si idem non sit, neque est: sed statim hoc ipsum variat, quod fiat alius ex alio. Mentitur autem sensus ignorantia eius, quod est,

*Cum in-  
star am-  
is sua-  
nus sem-  
per.*

*Et varia-  
mus,*

*Atq. ideo  
nec su-  
mus,*

est, esse quod apparet. Quid igitur illud est, quod reuera est? Aeternum, quod neque oritur, neque obit, cui tempus vicissitudinem affert nullum. Siquidem est tempus quid mobile, vnaque cum materia quae in motu est, menti repraesentatur: perfluitque perpetuo, neque est solidum sicut vas, ortus & occasus tempus. De quo quidem cum dicatur posterius, prius, erit & fuit: est confessio statim rem non esse. Nam esse affirmare id, quod nondum extitit, aut iam desit esse, sane quam ineptum & absurdum est. Cui autem temporis portioni cogitationem intendimus, quando loquimur, instat, praesens est, nunc: hoc rursus mire excutiens ratio amittit. Extruditur enim in futurum & praeteritum, sicut cernere qui vult acie, quod longe distat, At tempori idem, quod mensuram agenti accidit vel mensura est natura, cuius nihil est quod duret, aut sit: sed quae nascuntur omnia & cadunt ea duce, cum tempore commissa sunt. Vnde nefas est quicquam eius, quod est, dicere fuisse, aut esse futurum. Haec namque inclinationes quaedam sunt, traiectionesque, & variationes eius, quod consistere, in eo quod est, nequit. Verum dicendum, Est Deus: neque vilo circumscriptus tempore est, sed est saeculo immoto, & a tempore & inclinatione libero: quo nihil est vel prius, vel posterius, vel recetius, sed vnus est, & vno tempore instanti perpetuum compleuit. Atque solum eius natura reuera est id, Quod est, non praeteritum, nec futurum, nec exorsum, nec desitutum. Sic illum debemus venerabundi salutare, & ad id assuefacere nos: *Et huic studio assidue incumbere ut Deum noscamus, Et nos ipsos: siue etiam exemplo S. Francisci, Deo nos ipsos apponere, Et*

Nectem  
pms esse  
dicendam  
est.

Deus so-  
lus est,  
vno instā-  
ti perpe-  
tuum com-  
pletus.

committere inter se, Quod est, & Quod non est, stupore & reuerentiâ Dei. Ille verè est, per omnem æuam idem, æternus, summus, beatissimus, optimus, maximus. homo verò non est, ut qui numquam in eodem statu permanet, mortalis, imbecillus, pelagus omnium miseriarum.

Scio equidem non esse necesse in luto aurum quærere: sed tamen ad ornatum tabernaculi Domini iuuant spolia Egyptiorum. Sanè cum mens Ethnici hominis solâ naturæ scintillâ illustratq, alta hæc & diuina potuit videre: tibi iudicandum relinquo, à nobis quid postulet religio Christiano?

Te inspi-  
cit: & te  
suprate  
erige.

An illum hominem putabimus, aut præditum mēte humanâ, qui se nec quicquâ inspicit, sed in terram procumbens, illam modò spectat, non cælum, ad cuius cōtemplationem excitati sumus? haud arbitror. Talem si hominem existimas, assentior, cum hominis vilissimam partem intueris, corpus scilicet ab humo sumptum. At non es is, quem forma ista declarat: sed mens cuiusque, is est quisque, non ea figura, quæ digito demonstrari potest. Vilior hæc portio à terrâ, illa nobilior è cælo, ab ipso Deo originem ducit. Agnosce itaque dignitatem tuam, & diuina consors factus naturæ, oculos & mentem in cælum erige, vilitatem terrenam sperne. Prorsus quàm contempta res est homo, nisi supra humana se erexerit!

Cic. 56.  
Scip.

Sen. præ-  
fat. l. b. 6  
natur.  
quæst.

Ad propositum redeo. Non est quod Apollo, siue maus, inuidus demon, dictis illis tamquam suo gloriatur. Vsurpauit à sacris litteris, verum Dei cultum (ut est gloria diuinæ honorisq, auidissimus) in se transferre cupiens. illis coloribus se pinxit, & sicut graculus plumis ornauit alienis. Constat ante Sapientes Græciæ, quos hoc dictum Apollini dedicasse auctor est Plutarchus, dictum à Deo, scriptum à Mose,

Ante om-  
nem Græ-  
corum sa-  
pientiam  
Deo tri-  
butum.  
Ege.

vbi sup.

E. o. 3. à Mose, Ego sum qui sum. Ait, Sic dices filiis  
 14. Israël, Qui est, misit me ad vos. *Quarebat de no-  
 mine Dei Moses; Deus respondit, rem exprimens,  
 non appellationem, Ego sum, qui sum. & Qui est,  
 quoniam nihil tam proprium Dei est, quàm  
 semper esse. Rursum scimus ipsum Mosem, cum  
 Deum precaretur, Ostende mihi faciem tuam;  
 ut sciam te; scire desiderasse (quaterus homini fas  
 est) essentiam, & naturam Dei. Iam vides è quo  
 fonte ad Ethnicos deriuauerit exiguus ille apud  
 eos riuulus de isto nomine diuino, Esse: quod omnè  
 bonitatem, perfectionem, beatitatem complectitur,  
 & comprehendit. ut mirum non sit, cum omnibus  
 sanctis B. Franciscum summo desiderio optasse, cog-  
 noscere quid sit Deus. Hec est vita æterna (inquit  
 Saluator) ut cognoscant te, solum Deum verum,  
 & què misisti Iesum Christum. Sed illud etiam  
 famosissimum, Nosce teipsum, nobis acceptum fer-  
 re profani debent. Primus omnium Moses dixit, <sup>Etia illud</sup>  
 Custodi teipsum, & animam tuam sollici- <sup>o. m. u.</sup>  
 tate. <sup>Ubi illud</sup> ubi Septuaginta legunt, Attende tibi ipsi ( <sup>o. m. u.</sup>  
 quod extat in signis homilia D. Basily Magni, quam  
 pro bonâ parte in Latinum S. Ambrosius lib. sexto  
 hexaem. traduxit.) Ex hoc loco v surpasse Ethnicos,  
 Nosce te ipsum, auctor est idem Ambrosius, &  
 Procopius Gazæus vetus scriptor. Quinetiam Sa-  
 lomon diuinum oraculum secutus scripsit in Can-  
 ticus Canticorum, Si ignoras te, ô pulcherrima  
 inter mulieres, egredere, & abi post vestigia  
 gregum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacu-  
 la pastorum; *his verbis, Mosis exemplo, nos ad cog-  
 nitionem nostri inuitans. Nosce te ipsum (scribit  
 Ambros.) non, ut ferunt, Apollinis Pythij, sed Sa-  
 lomonis sancti est, qui hæc ait. Quod nisi feceris,  
 (Origen. sic exponit) iubeo te exire, & in vltimis*  
 gre-*

gregum vestigiis collocari: & iam non oues,  
Ignorantia  
Dei & sui  
in exitu  
pernitiosa neque agnos, sed hœdos pascere; illos scilicet  
 qui pro prauitate & lasciuia, à sinistris staturi  
 sunt regis in iudicio presidentis. Et cum tibi in-  
 troductæ in cubiculum regium, ostenderé quæ  
 summa sunt bona: si non cognoueris temet-  
 ipsam, ostendâ tibi etiam quæ sunt vltima ma-  
 la. & c. Ecce sic maledicetur homo (ait S. Ber-  
 nardus) qui ignorantiam Dei habere inuentus  
 fuerit. Dei, dicam, an sui? Vtrumque sine du-  
 bio. Vtraque ignorantia damnabilis est, vtrali-  
 bet sufficit ad perditionē. Vis scire quia ita est?  
 Sed de Dei minimè dubitas; si tamen constat  
 tibi, non aliam vitam esse æternam, quàm vt  
 Patrem cognoscas Deum verum, & quem mi-  
 sit Iesum Christum. Audi ergo sponsum liqui-  
 dō & apertè, in animâ etiâ animæ ignorantiam  
 condemnantem. Quid enim dicit? Non vtique  
 si Deum; sed si ignoras te, inquit, & c. Patet er-  
 go quia ignorans ignorabitur, siue se, siue  
 Deum ignorare contingat. Hom. 11  
in Cant.  
10. 17. 8  
1. Cor.  
14. 19.

*Fugemus itaque ab animo nostro noxiam hanc  
 innotitiam: pectoribus apertis hauriamus discipli-  
 nam, à beato patre præscriptam. Nec leuiter tante  
 rei insistendum: toto impetu nitamur ad sapientiã  
 quæ petenda ab his duobus scientiis. Quoties pro  
 consuetudine, & Ordinis Seraphici more vetusta,  
 etiamnum seruato, precibus operam damus, & præ-  
 cipue in recollectione matutinâ & vespertinâ, de-  
 scendamus in hoc altum, cognitioni tum Dei, tum  
 nostri grauius incumbentes. Nec sufficiat nobis,  
 huic vera sapientiæ studio, minimum temporis tan-  
 quam occupatis impendisse: cuncta momenta sibi  
 asserat, auocamentis ceteris neglectis & repulsis.  
 Iaculatorias preces, velut sagittas è pharetrâ pec-  
 toris*

Orandum  
semper vt  
se noscas  
& Deum.





et quidē vehemētissimo corporis dolore & cruciatu,

3 In manibus eius & pedibus signa clauorū :  
dextrū quoque latus quasi lanceā transfixum. ]

Quia for-  
ma.

Dictum in Elogiis, non signa, nec cicatrices fuisse,  
sed patula vulnera, & perfossa, perpetuum manan-  
tia sanguine, corporis patentes aperturas. Ad san-  
guinem sistendum quotidie alligari debuisse, testa-  
tum faciunt boni auctores, Speculū vite S. Fran-  
cisci, Barptol. Pisanus, quos secutus S. Antoninus

In me-  
dio libri  
Cōfor.  
fruc. 8.  
Hist.  
par. 3.  
lib. 24. c.  
7. 9.

\* lintea  
intelligit.

scribit in hac verba: Fratri Leoni soli, tamquam  
fideliori amico, beatus Franciscus sua sacra sti-  
gmata committebat tangenda: vt nouas \* pe-  
tiolas apponeret, amotis aliis sanguine cruen-  
tatis. Nam qualibet die, inter clauos illos mira-  
biles, & carnem reliquam, ad tenendum san-  
guinem, & mitigandum dolorem, tales illi pe-  
tiolas renouabat. Die verò Iouis de ferò, & per  
totum diem Veneris, nullū apponi remedium  
permittebat: vt illo die crucifixionis, in sacris  
stigmatibus sentiret crucifixi dolores. *Queri  
potest de vulnere lateris, fueritne hians vulnus &  
apertum, cum inquit S. Bonauentura, Dextrum  
quoque latus quasi lancea trāsfixum, rubrā ci-  
catrice obductum erat. Videri potest nō apertam  
fuisse plagam, quia cicatrix propriè dicitur signum  
vulneris obducti. Tu verò ne hoc putes, paullo pòst  
de eodē vulnere sic loquitur; Inuenta quoque fuit  
patientius in ipsius corpore, non inflictā huma-  
nitus, neque factā, plaga vulneris lateralis, in-  
star vulnerati lateris Saluatoris. Nec exiguum il-  
lud, sed ad eò magnum, tres vt caperet digitos. Suf-  
fragatur etiam S. Bonauentura; Vnus frater (in-  
quiēs) qui ei sedulè ministrare solitus erat, cum  
piā eum cautelā, vt ad excutiendum extrahe-  
ret tunicam, induxisset: attentè respiciens vidit  
pla-*

hoc § 3.

Cap. 15.  
§. 2.

Cap. 13.  
§. 10.

plagam : cui etiam tres veloci contactu digitos applicans, tam visu quàm tactu, vulneris quantitatem agnouit. *Virum longum fuerit, non adfirmem. Scribit quidem S. Bonauent. quasi lancea transfixum : sed tamen vides multas lanceas non latâ aut planâ cuspide, sed rotundâ præpilatas. In mortuo corpore rotundum fuisse, idem auctor est sic*

Cap. 15.  
§. 2.

*scribens ; Erat vulnus lateris rubeum, & ad orbicularitatem quâdam carnis contractione reductum, rosa quâdam pulcherrima videbatur. Nota hic, tum etiam supra citatis locis, vulnus dictum. & an in mortuo contractum corpore ac rotundû, in vivo longû fuisse liceat opinari, tu cogita.*

Cap. 13.  
§. 10.

*Vulnera itaq. scias fuisse cruenta, quinque illas plagas : è quibus semper stillabat sanguis, maximè vero è latere. Nec minutum id : sed in tantum sæpè, ut beati viri tunica, & subligaculum cruore infecta ruberent. Ceterùm studiosè animaduertendum est, clauos, non tres modò, sed quatuor fuisse : duos in manibus, in pedibus totidem. Si qua fides sancto Bonauenturae, pronior ego in illorum partem, qui quaternos Christi crucifixi clauos opinantur.*

ibid. §.  
2.

*Inspice hæc verba ; Franciscus lætabatur quidem in gratioso aspectu, quo à Christo sub specie Seraph cernebat se conspici : sed crucis affixio compassiui doloris gladio ipsius animam pertransibat. Admirabatur quâplurimum in tant inscrutabilis visionis aspectu : sciens quòd passionis infirmitas, cum immortalitate spiritus Seraphici nullatenus cõueniret. Intellexit tandem ex hoc Domino reuelante, quòd ideo huiusmodi visio, sic diuinâ prouidentiâ suis fuerat præsentata cõspectibus, ut amicus Christi prænosceret, se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis, totum in Christi crucifixi*

fimi-

fimilitudinem transformandum. <sup>Indid. 1.</sup> Disparens igitur visio, mirabilem in corde ipsius reliquit ardorem: sed & in carne non minus mirabilem signorum impressit effigiem. Statim namque, in manibus & pedibus apparere cœperunt signa clauorum: quemadmodum paullo antè, in effigie illâ viri crucifixi conspexerat. Manus enim & pedes, in ipso medio clavis confixæ videbantur, clauorum capitibus in interiori parte manuum, & superiori pedum apparentibus; & eorum acuminibus existentibus ex aduerso. Erantque clauorum capita in manibus & pedibus rotunda & nigra: ipsa verò acumina oblonga, retorta, & quasi repercussa, quæ de ipsâ carne surgentia carnem reliquam excedebant. *Christus facie Seraph, crucifixus ei visus quaternis clavis: Franciscus autem totus erat in eius similitudinem transformandus, & mox transformatus fuit. singuli clavi singulis manibus ac pedibus eius infixi: quod mihi quidem videtur certissimum argumentum quaternis clavis Christum crucifixum.* Hunc, iste, Alter Angelus ascendens ab ortu solis, habens signum Dei viui, ad Christi Saluatoris tormenta in memoriâ reducenda representat; <sup>Apoc. 7. 2.</sup>

*Vulnere  
& clavorum  
miracula.*

*Miracula horum vulnerum, & clauorum, breuiter colligam ex auctoribus bonis, maiorem ut faciant sui admirabilitatem. Itaque*

1. Primum sit illud, *Vulnera fuere in medio manuum, in medio pedum. Nec sicca solum; sanguine semper stillarunt. atq; id quidem assertum est satis. Nec exigua ea aut parua, sed velut magnis perfossa clavis, qualibus rei in crucem suffigi solent.*
2. Alterum. *In medio vulnerum clavi infixi. quod etiam patet ex proximè citato loco sancti Bonauenturae.*

3. Bonæ.  
c. 11. &  
15.  
Barpt.  
Pisan.  
Confor.  
fruct. 31  
S. Bern.  
Quadr.  
sc. 6e.  
Robert.  
à Licio  
Ser. de  
S. Franc.

3. Nec

3. *Nec illi ferrei, sed ferreis similes, nigri, duri, fortes, solidi, capuati, cuspidati: quorum materia (suffragante D. Alexandro Quarto summo Pontifice) de subiecto propriæ carnis excreuit, vel de materiâ nouæ creationis accreuit.*

4. *Clauus illi solius manibus Christi fabrefacti; qui formâ crucifixi Seraph videndum se præbuit. In Elogio etiam ex S. Bernardino demonstrauit.*

5. *Etiam hoc obseruauit Barptolom. Pisanus, & S. Bernardinus, non simpliciter cuspides illas reflexas, sed tanto spatio, ut inter cuspides & pellem, digitus commodè potuerit immitti.*

6. *Moueri poterant clauus huc, illuc, in quamlibet partem: dum (inquit S. Bonau.) à parte qualibet premerentur, protinus quasi nerui continui & duri ad partem oppositam resulabant.*

7. *Amoueri non poterant, non extrahi. Sacrum Francisci funus cum efferretur, & vnâ spectandum præberetur sacratis illis virginibus S. Clare, propè à monasterio S. Francisci commorantibus;*

8. *Sancta Clara (auctoribus Barpt. Pis. & Roberto à Licio) quâ pietate fuit in S. Patrem, clauum vnum tentauit extrahere, non potuit.*

9. *Manus & pedes quamuis vulnerati, & clauis confixi, tamen suo munere fungebantur. Dignitate mobiles. manus agiles ad opus, ad iter pedes. Sed tamen scribit S. Bonauentura, quoniam propter excrecentes in pedibus clauos, ambulare non poterat, faciebat corpus emortuum per ciuitates & castra circumuehi; ut ad crucem Christi ferendam ceteros animaret.*

10. *Nūquā adhibuit aliquod medicamentū ad ista sua vulnera sanguinolenta; nec vnquā putuerunt, aut putuerunt: imo (teste Rob. à Licio) quod miraculū auget, erāt illæ plagæ odore fragrantissimæ.*

10. Omnibus excellit, quòd hiantibus illis vulneribus, sanguine perpetuum manantibus, per fosso etiam latere & aperto, summo dolore, & cruciatu perenni, ducere vitam potuit amplius toto biennio. ut rectè colligat Robertus à Licio, prodigium hoc Indid. connumerandū inter maxima miracula Dei.

*An alij huiusmodi Stigmata habuerint* Aduerte nunc animum, obsecro, lector: Quero, utrum Sanctorum aliquis istiusmodi stigmatibus, antehac unquam fuerit nobilitatus? In Elogiis in D. Franciscum, non vllum mortalium, non ipsam S. Catharinam Senensem, certissimis testimoniis ostensum, non aliqua signa talia quemquam in corpore tam manifestè habuisse. Quoniam verò stigmata vulgò habere putatur S. Catharina Senensis, & alij plerique, atq, ideo cum illis signis sæpenumero pinguntur; operæ pretium fuerit signatè probare à Sixto Quarto Pont. Max. cautum esse grauitè, ne quis affirmet S. Catharinā Senensem, nō alium aliquem stigmata habuisse: ne concionetur, ne scribat. & idcirco imagines tales cum stigmatibus non pingendas: pictas non ferendas, sed abolendas esse, nisi quis velit excommunicationem non vereri.

SIXTVS EPISCOPVS SERVVS  
seruorum Dei ad futuram  
rei memoriam.

SPECTAT ad Romani Pontificis prouidentiam, sic salubriter prouidere, quòd occasione Sanctarum, quas Apostolica Sedes canonizauit, errores in populis, vel scandala non oriantur: sed illis sedatis, Sanctæ ipsæ à cunctis Christi fidelibus, purâ fide & deuotione venerentur. Sanè pro parte dilectorum filiorum Zaneti de Utino Generalis Ministri, & Capituli Ordinis fratrum Minorum in ciuitate nostrâ Ferrariæ, præterito festo Pentecostes celebrati, nobis Plen.  
terium  
Ord. 1.  
par. 1160  
2. exhi-

exhibita petitio cōtinebat; quòd licet B. Francis-  
 ciscus antequàm spiritum Deo redderet, sacra  
 stigmata Christi, per biennium in suo corpo-  
 re portauerit, à multis atque palpata fuerint,  
 & in suâ sanctâ morte omnibus videre volenti-  
 bus patuerint, multisquē miraculis tam in vitâ  
 quàm in morte, & post mortem claruerint: ta-  
 men nō licuit fratribus sui Ordinis ipsum san-  
 ctum Franciscum cum stigmatibus sacris face-  
 re depingi, aut in prædicationibus publicare;  
 donec placuit sanctæ Sedi Apostolicæ ipsa sti-  
 gmata approbare; & licentiam atque consen-  
 sum benignè concedere, sicut per litteras Apo-  
 stolicas diuersorum Summorum Pontificum  
 ei Religioni concessas, patet. Nihilominus à  
 paucis annis citrà, nonnulli religiosi quosdam  
 Sanctas, & maximè S. Catharinam de Senis, in  
 regionibus Ultramontanis, & diuersis aliis par-  
 tibus, sine consensu & approbatione dictæ Se-  
 dis, & vt creditur sine rei veritate, cum stigma-  
 tibus Christi ad instar B. Francischi depingunt,  
 & in publicis prædicationibus asserunt eandem  
 S. Catharinam à Christo stigmata recepisse, &  
 veriùs quàm ipse B. Franciscus, in præiudicium  
 veritatis, & honoris prælibatæ Sedis, ac in deri-  
 sum multorum populorum. Quare pro parte  
 Ministri Generalis & Capituli, prædictorū, no-  
 bis fuit humiliter supplicatum, vt super hoc  
 oportunè prouidere de benignitate Apostolicâ  
 dignatemur. Nos igitur de præmissis plenariam  
 habentes notitiam, & quòd si dicta S. Cathari-  
 na stigmata huiusmodi habuisset, felicis recor-  
 dationis Pius Papa Secundus prædecessor no-  
 ster, qui eandem S. Catharinam catalogo San-  
 ctorum ascripsit, & suarum virtutum præro-  
 gatiuas

*Nota,  
nota.*

*An Belgicam non  
tangit*

*S. Catharina Senensis stigmata non habuit.*

gatiuas in suâ canonizatione luculentissimè declarauit; aliquam de hoc singulari priuilegio fecisset mentionem: huiusmodi supplicationibus inclinati, vniuersis & singulis quorumcunque Ordinum professoribus, & aliis personis vtriusque sexus, cuiuscumque status, gradus, vel conditionis fuerint, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium in virtute Obedientiæ, & sub excommunicationis pœnâ, quam contrafacientes ipso facto incurrant, & à quâ per alium quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo dumtaxat, absolui non possint; districtius inhibemus prædicatoribus, vt à prædicationibus, & assertionibus huiusmodi deinceps desistant. ac præmissis & aliis quibuscumque, vt picturas cum huiusmodi stigmatibus auferant, & auferri vbilibet faciant atque procurent, infra spatium vnus anni à publicatione præsentium. Nec liceat alicui eandem sanctam Catharinam depingi facere cum ipsis stigmatibus, donec eadem Sedes Apostolica hoc approbauerit, & per speciale priuilegium Sanctam ipsam cum ipsis stigmatibus depingi concesserit. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ millesimo, quadringentesimo, septuagesimo secundo, octauo Idus Septembris, Pontificatus nostri anno 2.

*Vetitum  
contra af-  
ferere &  
emoueri*

*Tales eius  
imagines  
abolenda,  
nec pingē-  
da vinq̄*

SIXTVS

## SIXTVS EPISCOPVS SERVVS

*seruorum Dei ad futuram  
rei memoriam.*

Indidem LICET dum militans in terris Ecclesia triumphantem in cælis, filiali & deuoto veneratur affectu; ac virtutes, laudes, præconiaq; Sanctorum & Sanctarū Dei, dignissimis attollit titulis, & illustrat; deuotis quoque precibus, & solemni ritu sacrificia laudum offert, ad decus & venerationem ciuium supernorū; nihil eis accrescat nouæ perfectionis & gloriæ. nec eorum perfecta felicitas nostris operibus firmari possit, minui, vel augeri; sed dumtaxat misericors miseratorq; Dominus per intercessionem meritaque Sanctorum, quos in terris celebritate congruā veneramur, imperfectum nostrū suppleri prouiderit, vt quod nostris meritis non ualemus, eorū suffragiis assequamur: Nihilominus, Ecclesia ipsa militans consueuit non permittere aliquem, quantumcumque miraculis clarentem in terris pro Sancto venerari, nisi quem Romanus Pontifex subsistentibus miraculis in vitâ, & post mortem, præuioq; diligenti examine, Sanctorum catalogo duceret aggregandum. nec illum aliis quàm Ecclesia ordinet insignibus, titulis, aut officiis venerari. Dudum siquidem, pro parte tunc Generalis Ministri, Capituli etiam Generalis Ordinis fratrum Minorum, tunc in ciuitate nostrâ Ferrariensi celebrati, nobis exposito, quòd etsi sanctus Franciscus dicti Ordinis fundator per biennium, antequam diem vitæ huius clauderet extremum, sacra stigmata Christi, eius corpori à Deo impressa portasset; illaq; dicto durante biennio, à

*Eiusdem  
argumenti  
diploma.*

*Et hæc  
nota.*



multis visa & palpata fuissent : tamen non licuerit dicti Ordinis professoribus , ipsum gloriosum Sanctum cum huiusmodi stigmatibus, quibus à Domino nostro Iesu Christo corpus eius decoratum fuerat, pingi facere absque Sedis Apostolicæ desuper concessione, & licentiâ speciali. quodq; nonnulli aliquas Sanctas Dei, & præsertim S. Catharinam, de Senis cum stigmatibus, à Dei Filio Dño nostro Iesu Christo eius corpori impressis, ad instar eiusdē S. Francisci, nulla desuper Apostolicæ Sedis super huiusmodi stigmatibus approbatione, nullave licentiâ obtentâ, pingi fecerant, & faciebant in Ecclesiis, & aliis locis publicis partium diuersarum, & præsertim ultra montes, & in publicis prædicationibus ad populum asserebant, Sanctam ipsam stigmata huiusmodi à Christo recepisse, & de illis clariùs quàm de præfati sancti Francisci stigmatibus apparere: Nos tunc attendentes, quod felicitis recordationis Pius Papa Secundus prædecessor noster, dum S. ipsam Catharinam Sanctorum & Sanctarum Dei catalogo ascripsit, eius præclara miracula, laudes & præconia, in processu desuper habito declarata referendo suis litteris, de huiusmodi stigmatibus nullam mentionem fecerat, quodq; si corpus eiusdem Sanctæ talibus signis in seculo visibiliter decoratum fuisset, id in processu & litteris Canonizationis eius nullatenus prætermisum extitisset: Vniuersis quorumuis Ordinum professoribus, & aliis personis vtriusque sexus, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, vel conditionis fuerint, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excómmunicationis pœna, quam ipso facto contrafacientes incurrerent, & à quâ

ab

*Refert  
que in  
prædēti  
diplomate*

*Vitramō-  
fanos mo-  
nat.*

ab alio quàm à Romano Pontificè, præterquam in mortis articulo, absolui non possent; districtius inhibuimus, ne præfatâ Sanctam, stigmata huiusmodi habuisse, in suis prædicationibus & sermonibus ad populum asserere auderet; imò & de picturis huiusmodi præfatæ Sanctæ iam factis, stigmata amouerent & delerent, & deleri facerent vbilibet, atque procurarent infra annum à publicatione dictarum nostrarum litterarum. nec licere voluimus alicui eandem sanctam Catharinam cū huiusmodi stigmatibus depingi facere, donec Sedes ipsa stigmata huiusmodi approbaret, & per speciale priuilegiū, quòd cum illis depingi possit concederet, prout in eisdem litteris plenius continetur. Cū autem, sicut postmodum accepimus, nonnulli litteris & mādatis nostris prædictis non obstantibus, propriis inhærentes affectibus, de iam factis picturis dictæ sanctæ, ante datam dictarum litterarum, stigmata huiusmodi amoueri facere non curauerint; & Sanctam ipsam stigmata Christi habuisse, adhuc de nouo pari modo publicè prædicare & asserere, & illam cum ipsis stigmatibus depingi facere non formident, in contemptum mandatorū huiusmodi, & scandalum plurimorum: Nos attendentes quòd Sancti & Sanctæ Dei non nisi veris certisque prærogatiuarum, gratiarum, & priuilegiorum laudibus venerandi sunt; ac etiam quòd tanti mysterij & sacramēti nostræ redemptionis præclara & admiranda insignia, nemini attribui debent, pro reuerentiâ nostri Saluatoris, nisi cui attribuenda esse rei euidētia & certitudo facti declarauerit; ac super his oportunum volentes adhibere remedium, & his ex quibus in

*Præconiū  
falsis Sā-  
cti nō glo-  
rificantur.*

Dei Ecclesiâ scandala possent verisimiliter exoriri, pro posse obuiare, vt tenemur : habitâ super his cum venerabilibus fratribus nostris S. Rom. Ec. Cardinalibus matura deliberatione, & de illorû cõsilio & assensu, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium statuimus & ordinamus, Quòd nullius Sancti aut Sanctæ, Beati vel Beatæ figura aliqua cum prædictis stigmatibus, aut quouis modo, quo existimari possit, vel credi illum vel illam, huiusmodi stigmata habuisse, per aliquem depingi possit : nec aliquis in prædicationibus ad populum, vel alias scripturâ aut verbo, aliquem Sanctum seu Sanctam, Beatum aut Beatam, stigmata huiusmodi habuisse, asserere vel affirmare præsumat, præfati B. Francisci ( quem constat stigmata à Christo recepisse, tum rei euidentia, tum multorum prædecessorum nostrorum approbatione ) figurâ dumtaxat exceptâ. Mandantes vniuersis Ecclesiarum Prælatis, Presbyteris, & clericis, ac Ordinû quorûcunq; tam Mendicantium, quàm non mendicantium professoribus, in quorum Ecclesiis & Oratoriis ; & personis aliis etiam sæcularibus, in quorum domibus & locis, præfatæ S. Catharinæ de Senis, aut aliquorum aliorum Sanctorum seu Sanctarum, Beatorum vel Beatarum Dei, figuræ & imagines, exceptâ figurâ præfati B. Francisci, cû huiusmodi stigmatibus depictæ forent, quatenus infra mensẽ à die quâ in Cathedralibus, vel aliis Ecclesiis locorum eorundem publicata fuerint, teneantur & debeant cum effectu curare, quòd de aliis picturis huiusmodi, exceptis picturis dicti S. Francisci, penitus & omnino stigmata ipsa deleantur & amoueantur, ita vt etiam

*Animad-  
uerse di-  
ligentiam  
Pont. in  
hac re.*

*Nullius  
imago  
præter-  
quam D.  
Francisci  
cû stigma-  
tibus pin-  
genda.*

*Imagines  
alteris cû  
stigmati-  
bus abo-  
lenda.*

etiam illorū forma nullatenus videatur in eis. & quod de cetero cū huiusmodi stigmatibus aliquorum Sanctorum, seu aliquarum Sanctarum, Beatorum vel Beatarum Dei imagines & figuræ (exceptâ figurâ præfati S. Francisci) non pingatur. quodq; in eorū Ecclesiis, aut plateis, seu locis eorum iurisdictioni subiectis, absque Sedis præfate licentiâ speciali, nullus in prædicationibus ad populum, & sermonibus verbi Dei, disputationibus, vel aliâs quomodolibet, quod aliquis alius Sanctus, aut aliqua Sancta Dei, Beatus vel Beata, Christi stigmata habuerit (excepto glorioso Confessore prædicto Francisco) affirmare præsumat. Et si secus fieri contingat, & eos huiusmodi litteris & mādato non parere: ex nunc prout ex tunc, non solum Ecclesias ipsas, in quibus picturæ huiusmodi cum stigmatibus reperietur, sed etiam parochialem Ecclesiam infra cuius parochiæ limites, in priuatis locis forent, quamdiu illæ ibi erūt, & tri-duo postquam deletæ fuerint, & etiam Ecclesias in quibus, seu quarum plateis permissum fuerit, vel toleratum talia prædicari vel asseri, contra præsentium tenorem, in sermonibus ad populū, vel aliâs vt præfertur, donec prædicantes vel asserentes inibi permiserint, eo ipso Ecclesiastico subiicimus interdicto, quod & volumus & mandamus districtè obseruari. Ecclesiarum verò Prælatos, qui in præmissis culpabiles fuerint, aut negligentes, vel remissi, ab Ecclesiarum ingressu, eo ipso volumus esse suspesos, donec mandatis nostris huiusmodi quantum in eis est, obtemperari procurauerint cum effectu. Inferiores denique, qui in Ecclesiis quas obtinent, aut in quibus beneficiati existunt,

*Ecc. Cen-  
sura agrar-  
iustitias,  
aduersum  
temples &  
parochias,  
in quibus  
istæ prædi-  
ctæ ima-  
gines, &  
stigmata  
aliorum  
asserere.*

*In præla-  
tos Apo-  
stolicam a  
data non  
exsequen-  
tes.*

*Item in  
alios, cler-  
icos &  
laicos.*

præmissa fieri permiserint; temporales quoque cuiuscunque status, Magistratus, gradus, nobilitatis, excellentiæ & conditionis fuerint, qui contra præmissa forsitan quocunque modo venire, aut quicquam attentare præsumperint, Excommunicationis sententiam incurrant, à quâ absolui nequeant, præterquam in mortis articulo constituti, donec quantum in eis est procurauerint, vt nostris obtemperetur mādatis. Et si sententiam ipsam animo, (quod absit) per sex menses sustinuerint, indurato; extunc decursis mensibus eisdem, Ecclesiasticâ, Ecclesiis, & beneficiis ipsis sint eo ipso priuati, illaque aliis liberè conferantur. Prædicantes verò, & asserentes, vel facientes contra tenorem præsentium, eo ipso Excommunicationis sententiam incurrant. & postquâ illam per sex menses sustinuerint, tanquam de hæresis crimine suspecti, ab Ecclesiarum Prælatiis, & Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, prout eorum incumbit officio, ad respondendum super his coram eis, & qualiter de fide sentiant, compellantur, & puniantur ab eisdem. Et nihilominus vniuersis Ecclesiarum Prælatiis, ac aliis in Ecclesiasticâ dignitate vbilibet locorū constitutis personis, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, vel vnus eorum, per se, vel aliū, seu alios, illos ex prædictis quos censuras illas & pœnas huiusmodi incurrisse, & loca quæ Interdicto prædicto supposita fore, præmissorum occasione eis constiterit, censuris huiusmodi & pœnis subiacere declarent, ac faciant & mandent illis subiecta publicari: & eosdem excommunicatos ab omnibus artiū euitari, donec mandatis nostris obtemperantes, meruerint ab eisdem

*Qui con-*  
*uincuntur*  
*aut quouis*  
*modo asse-*  
*rent, que-*  
*uis alium*  
*præter*  
*S. Franc.*  
*stigmata*  
*habuisse.*  
*excommu-*  
*niantur.*

*Censura-*  
*ista pub-*  
*licanda*  
*Prælatiis.*

eisdem excommunicationis sententiã absolu-  
tionis beneficium obtinere , & Interdictum  
huiusmodi relaxari , contradictores per censu-  
ram ecclesiasticã appellatione postpositã , com-  
pescendo. Non obstantibus præmissis ac con-  
stitutionibus & ordinationibus Apostolicis cõ-  
trariis quibuscunque. Seu si aliquibus commu-  
niter, vel diuisim, à Sede prædictã indultum ex-  
sistat, quòd interdici, suspendi, vel excommu-  
nicari; aut aliquibus Ordinibus, quòd eorum  
loca, vel personæ interdici non possint per lit-  
teras Apostolicas, non facientes plenam, ex-  
pressam, ac de verbo ad verbum de indulto hu-  
iusmodi mentionem. Prætereã quia difficile  
foret præsentibus litteras, ad singula in quibus de  
eis fides forsã faciendã foret, loca deferri: eã-  
dem Apostolicã auctoritate decernimus, quòd  
ipsarum transumpto, publici & authẽrici No-  
tarij manu subscripto, & alicuius Ecclesiastici  
Prælati sigillo munito, tamquam præsentibus,  
si exhiberentur, litteris, vbique fides adhibea-  
tur, & perinde stetur in omnibus, & per omnia,  
ac si eisdem præsentibus litteris exhibita,  
vel ostensa. Nulli ergo omnino hominum li-  
ceat hanc paginam nostrorum statuti, ordina-  
tionis, mandati, subiectionis, volũtatis, & con-  
stitutionis infringere, vel ei ausu temerario cõ-  
traire. Si quis autem hoc attentare præsumpse-  
rit, indignationem omnipotentis Dei, ac bea-  
torum Petri & Pauli Apostolorum eius, se no-  
uerit incursum. Datum Romæ apud S. Pe-  
trum, anno incarnationis Dominicæ millesi-  
mo, quadringentesimo, septuagesimo quinto,  
octauo Kalendas Augusti, Pontificatus nostri  
anno quarto.

Ibidem. SIXTVS PAPA QVARTVS

VNIVERSIS ET SINGVLIS

*præsentes litteras inspecturis, salutem  
& Apostolicam benedictionem.*

ALIAS per breue nostrum suspendimus, vsque ad certum tempus tunc expressum, censuras & pœnas contentas in Bullâ plumbeâ, contra pingentes imaginem beatae Catharinæ de Senis cum stigmatibus editâ : decernentes tamen, vt huiusmodi suspensione durante, nemo huiusmodi imaginem cum stigmatibus depingeret, & si quis depinxisset, aboleret. Nuper verò cum acceperimus multis in locis, contra decretum & mandatum nostrum, picturas fieri; & à multis allegari & asserti, ipsam, propter suspensionem præfatam, à nobis reuocatum esse : oportunum & necessarium iudicamus, huiusmodi ausibus obuiare; dubiû, quod à non rectè interpretantibus opponitur, tollere. Quare præsentium tenore decernimus, statuimus, & declaramus, quod Bulla prædicta super ipsis stigmatibus edita, ob suspensionem præfatam ( vt præfertur ) nullatenus reuocata censi debeat, sed in suo esse robore & vigore, ac si huiusmodi suspensio, quam ex nunc expirare decernimus, non emanasset. mandantes sub censuris in ipsâ Bullâ contentis, omnibus ad quos spectat, ne præfatas B. Catharinæ imagines amplius de cetero cum stigmatibus depingant : ac pictas aboleant, præfatâ suspensione, ac ceteris in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub anulo

*Confir-  
mato su-  
prodito-  
rum.*

nulo piscatoris, decimâ nonâ die Decembris, anno millesimo, quadringentesimo, octogesimo. Pontificatus nostri anno decimo.

*Sed his forsitan aliquis obiciet, quæ vir doctus* Obiecto ex Cæno soluitur.  
*Melch. Canus scribit, quæ nonnihil mouere queant*  
*lectorem. ait: Sixtus Quartus docuit diuam Catharinam Senensem Itigmata nō habuisse: non defuit qui contrâ iudicaret. hæc dicit, sed tantum dicit. Nam si quis alius, certè Pius Secundus id iudicasse debuit, qui eam retulit inter diuos. & si stigmata in corpore accepit, profectò res tam prodigiosa non debuit premi silentio. Nunc verò, nulla horum mentio in Bullâ (ut vocant) canonizationis: quod disertè testatur Sixtus Quartus in primo & secundo diplomate supraposito. Nec verò puto, te existimare Pium II. illi stigmata asseruisse, quia de eâ cecinit in hunc modum:*

Quem latet virtus, facinusq; clarum,  
 Quo nequit dici sanctius per orbem,  
 Vulnerum formam miserata Christi  
 Exprimis ipsa.

Conc. 3. de S. Cathar. Senen. ar. 1. *Ludouicus Granatensis constanter illi stigmata attribuit, fretus hac auctoritate. At si habuit, & Pius Secundus habuisse asserit; quamobrem, quæso te, in Bullâ Canonizationis, non expressit? Posset videri facta iniuria beatæ Catharinæ, imò Deo ipsi, tantum prodigium celare. Etenim Sacramentum regis abscondere bonum est: opera autem Dei reuelare & confiteri, honorificum est. Post multam & diligentem inquisitionem in sanctitatem & miracula Sanctorum albo ascribendorum, tantum recensentur certa & indubitata. Pius Secundus de stigmatibus illius nihil commemorat in Diplomate. & ipse causam vides, cur omiserit, tu cogita*

Rursum



Item à  
Raimundo  
& alii.

Rursus obiicies Raimundum, qui S. Catharina Senensi fuit à confessionibus. In historiâ vitæ S. Catharinæ scribitur, quinque eam vulnera à Christo accepisse; S. Catharinam etiam secretè indicasse ipsi fide dignissimo Patri Raimundo, Dominum Iesum Christum, sub illo raptu, modo admirabili, ipsius corpori quinque vulnera impressisse. Producit hæc Ludouicus Granatensis supra citato loco. Raimundo hoc primùm indicatum dicitur à B. Catharinâ, & primus scripsisse videtur; adeoq; aliis occasionem præbuisse hæc talia dicendi, scribendi, pingendiq; tales illius imagines, sed ante Sixtum Quartum: qui postquam accuratè inquisiuit in ipsam rem, hæc omnia fieri vetuit. Hoc ignorasse videtur Gulielmus Pepin, cum de stigmatibus sancti Francisci scribit in hæc verba: Dicitur de aliquibus deuotis personis, quod senserunt interdum maximùm dolorem in manibus, pedibus, ac latere, tâquam ibi habuissent vulnera, & stigmata Christi: sed tamen non ita impressa corporaliter, seu visibiliter, sicut factum est in corpore beati Francisci. & huius generis fuit B. Catharina de Senis: quæ legitur rogasse Dominum, vt non apparerent exterius stigmata, quia tamen eius dolorè non possumus commodè exprimere, nisi depingendo cum cicatricibus: idè solet communiter sic depingi, sine tamen præiudicio S. Francisci. Hæc ille, non autè dixisset (opinor) si diplomata vidisset Sixi IIII. Ad Summam: multi S. Catharina Senensi stigmata tribuunt, veteres, noui: multi denegant. non laboro ego, nec meum est, in illorum tanto dissenso arbitrari: sed tamen Raimundo, Melchiori Cano, Ludouico Granatensi, & aliis id asserentibus, oppono S. Antoninum, Gulielmum Pepin, eiusdem Ordinis

Apud  
Sur. 10. 2  
Apr. 29.

Ex Gui-  
lhelmo  
Pepin.

Serm. de  
S. Franc.

*Ordinis S. Dominici magnos viros, qui contra sentiunt, ut in Elogiis declaratum est. Fides adhibenda Roberto à Licto Episcopo Aquinatensi. Romæ orationem habuit in aede Minerva (qua patrū Predicatorum est, ubi etiam S. Catharina sepulta fuit) eo ipso die, quo à Pio Secundo S. Catharina in numerum Sanctorum referretur: & testatur nullam umquam stigmatum illius factam mentionem in istâ sollemnitate.*

*Sed neque suspicari te volo, hæc morbo me potius scribere, quàm iudicio, quasi inuideam alius hanc stigmatum gloriam: Non hoc pata. quid mihi decedit, si aliis quoque hanc gloriam Deus concesserit? Si vult, potest. Neque enim par est (ut rectè Ludouicus Granat.) certis finibus Domini misericordiam ita circumscribere, ut quæ semel alicui Sanctorum contulit, nulli deinceps imperitari debeat: cum liberalissima eius manus, quâlibet multa largiatur, minui & abbreviari non possit. Habuerit igitur & B. Catharina, & multi alij stigmata, quod multi opinantur & scribunt, non inuideo. esto ad laudem Dei: Sed hoc publicè asserere, scribere, pingere, sine adprobatione Apostolica Sedis, prohibet Sixtus Quartus: cui si quis audeat refragari, quid agat, viderit. Porro, si quis Sixti Quarti diplomata supradicta, retractata & irrita quiverit commonstrare; do manus, cedo herbam. me vincat, ego errorem.*

## IN CAPVT XIV.

§. 1. Dicebat, Incipiamus, fratres, seruire Domino Deo nostro: quia vsque nunc parum profecimus.] *Egreziè dictum morte impendente & dignum, si quod aliud, intimo pectori inscribi. Mortales nos, mortem ante oculos semper ponamus.*  
Propè

Supra-  
dicto  
loco.

Ad mor-  
tē parati  
debemus,  
si bene vo-  
luimus  
mori.

Propè est ubique, licet ipsa tam propè se non ostendat. Paremur ad mortem. Non potest stare paratus ad mortem, qui viuere non didicit. Nec viuunt, qui nō Deo. Incipiamus vel tandē. Vixisti hæctenus in *falo*? Subduc te istis occupationibus: si minūs, <sup>Sen. ep. 19.</sup> eripe. Satis multum temporis sparsumus: incipiamus in senectute vasa colligere. In freto proximus: moriamur in portu. Omnes aquè mortales, etiamsi mors aliorum longiùs vitam passa est, procedere, aliorum in medio flore præcidit, aliorum interrupt principia. Mortem venientem nemo <sup>Idem CP. 37.</sup> hilaris excipit, nisi qui se ad illā diu cōposuerit.

5. Beatus vir obdormiuit in Domino. ] De seculo & etate B. viri, quando natus, quando mortuus, iam dictum initio huius Commentarij.

Alaudæ  
multa fa-  
ciunt S.  
Francisco.

7. Alaudæ aues. ] Aduolant in tectum domus, cantu & volatu sancto viro tanquam iusta facientes, & patri pio velut parentantes. Diligebat omnes aues, sed præ ceteris Alaudas: quod in eis consideraret multa imitanda bonis Minoribus & religiosis. Dicta hæc auis Galerita, ab elatus in capite plumis, ad galeri siue galeæ similitudinem. Talem formam cuculli initio Ordinis fratribus fuisse, <sup>Ad cap. 2. § 1.</sup> prædictum est. Sed & colorem Alaudarum imitabatur in habitu: qualis illis in plumis, talem volebat in vestibus fratrum, natiuum, terrenum: ut meminerint cōmunis originis, terræ de qua sumpti: quia (Deus ita tulit sententiam aduersus Adamum.) Puluis es, & in puluerem reuertēris. Ad hæc ubi <sup>Gen. 3. 19.</sup> ille granū aliquod inuenerint ad escam, mox in celum feruntur, cantu quasi gratias agentes summo Deo, omniū parenti & altiori. Sic nos docent calumpetere, despicere terram. Non viuere ut edamus: sed esse ut viuamus. Illud salutare monitum diuini Apostoli obseruandum nobis, Siue manducatis, <sup>1 Co. 10 31.</sup> siue

Natura  
illorum  
Minoribus  
imitanda

siue bibitis, siue quid aliud facitis: omnia in  
 gloriam Dei facite. *Ne in terris, sed nostra con-*  
 uersatio in cælis sit. *Hæc cõtemplabatur in Alau-*  
*dis, hac causâ plurimum amabat. Sed nõ item for-*  
*micas, teste B. Agidio, quòd nimium sollicitè*  
*escas congregarent. quam sollicitudinem improbat*  
*Christus, autum ingenium nobis sequendum com-*  
*monstrans. inquit: Respicite volatilia cæli, quo-*  
*niam non serūt, neque metunt, neque congre-*  
*gant in horrea: & pater vester cælestis pascit il-*  
*la. Nõne vos magis plures estis illis? Denique*  
*paucis interpositis de liliis agri, quæ sine ullâ suâ*  
*curâ crescunt, vestiuntur, ornantur; concludit,*  
*Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid man-*  
*ducabimus, aut quid bibemus, aut quò operie-*  
*mur? hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit*  
*enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.*  
*Quærite ergo primùm regnũ Dei & iustitiam*  
*eius: & hæc omnia adiicientur vobis. Nimiam*  
*illam sollicitudinem nõ ferebat, paupertatẽ Euan-*  
*gelicam Christi fratribus vehementer cõmendabat:*  
*nil de futurũ promittens, quoad puram illam serua-*  
*rent & illibatam. Tradit Barpi. Pis. ad amorẽ pau-*  
*peratis fratres solitum exhortari in hunc modum:*  
*Quantũ fratres declinabunt à paupertate, tan-*  
*tum mũdus declinabit ab ipsis. quærent, & non*  
*inuenient. Sed si dominam meã paupertatem*  
*cõplexi fuerint, mũdus eos nutriet: quia mun-*  
*do dati sunt ad salutem. Commercium est in-*  
*ter mundũ & fratres. Fratres debent ipsi mun-*  
*do bonum exemplũ dare. Mundus autem de-*  
*bet eis prouisionem necessitatum. Quando ipsi*  
*fratres retraxerint bonũ exemplum fide men-*  
*titã: mũdus contrahet manus suas iustã cẽsurã.*

§. 5. In Ecclesiâ S. Georgij cum omni reuerentiâ condiderunt. ] *Eo loco corpus situm fuit: sed cor eius & intestina in Portiuncula cœnobio; ubi excessit ex hac vitâ. in illud monasterium hoc argumento, amorem & affectum testatum faciens. vii commemorat Barpt. Pisanus.*

S. Franciscus referitur in his diuis.

6. Beatum patrem catalogo Sanctorum adscripsit. ] *Quoritu, scribit Alberius Kranzius.* Papa Gregorius veniens Assisium, in cōspectu maximæ multitudinis, quæ deuotionis gratiâ cō confluxit, beatum Franciscum canonizauit, his vsus verbis: Ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & gloriosæ Virginis Mariæ, & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & ad honorem Ecclesiæ Romanæ; beatissimum Patrem Frânciscum; quem Dominus glorificauit in cælis, debito in terris obsequio venerantes; de consilio fratrum nostrorum, & aliorum Ecclesiæ Prælatorum, in catalogum decreuimus Sanctorum adnotandum, & festum diem obitus eius celebrandum. Statim Cardinales Te Deum laudamus incipiunt. & populi voces, laudes Christi excipiunt. Papa de solio descendit, & cum Cardinalibus sanctū corpus de tumbâ leuauit. *Diploma Gregorij Papæ Noni, quo D. Franciscus inter diuos asseritur relatus, historia vitæ S. Fran. subiunximus.*

Corpus eius transferitur ad Basilicam in eius honore adificatam.

7. Anno Domini. &c. ad Basilicam in honorem ipsius constructam, corpus illud Domino dedicatum, translatum est. ] *De istâ Basilicâ hæc S. Antoninus.* Elias Vicarius Ordinis post mortem B. Francisci, Basilicam miræ multitudinis cœpit erigere extra muros Assisij, in

Conforti  
fruc 321  
& 34.

Lib 8.  
Sax. c. 4.  
& lib. 7.  
Metrop.  
c. 45.

Ter pars  
hitt. ut.  
24. c. 7.  
§. 6.

qua-

quadam voragine, quæ antè dicebatur collis inferni: sed cùm dominus Gregorius Nonus primum lapidem in fundamento eius posuisset, vocata est collis paradisi. *Pluribus historiam prosequitur Barot. Pisav. Conf. fruc. trigessimæ quartæ. Illuc corpus S. Francisci è templo S. Georgij translatum hæcenus manet: magnâ pietate frequentatur & colitur. longo tẽpore nemini visum, tamẽ visum.*

Non possum committere, quin oportunè commemorem ingens illud prodigium in funere S. Francisci: quo ex multis mirabilibus hæc facile quisquã dixerit quidquam mirabilius fuisse. Funus illud erectum in pedes; apertis, sublatiisq; in calum oculis calum adspicere; vulnera quoque illa sanguine manare, visum à Nicolao Quinto Pontifice. Ne verò tu de rei veritate addubites, quæ de his scripsit, siue potius exscripsit Petrus Radulphus Episcopus Senogalliensis adscribam.

Lib. 1.  
hist. Seraph. re-  
lig.

## EPISTOLA FRANCISCI DE BAVTIO,

Ducis Andriæ, ad Andriensium Episcopum, de prodigiosa statione funeris S. Francisci.

SCRIPTURVS ego ad te Pontificis Nicolai progressum, qui Seraphici Patris Francisci corpus visitauerat personaliter, veritus sum, ne vt parum instructus, tanquam imperitus à probis & grauibus viris arguar. Attamen quoniam in negotio, quod aggredior, non leuitate (vt ita dicam) aut temeritate aliquã, quin potius reuerentiã & deuotione fretus sum: idcirco ad te admodum Reuerendũ, hanc epistolam etsi incultam, omni tamen veritate plenã, destinare curavi. ad te, inquam, qui potestate tibi creditã, Ecclesiæ Dei partem gubernas, & regis. Noui enim (vt reor) te recentem ac viuã memoriam retinere eorum, quæ hîc modò subinferuntur.

B

Qua-

Quapropter etsi in his, quæ per me scribenda sunt, aliquid me prætermisisse, vel plus satis addidisse perspexeris: articulis tuis id ipsum, tuâ solitâ benignitate & prudentiâ, quâ plurimum polles, emendare & corrigere poteris. Noui enim ob imperitiam meam, me fallere, ac falli posse in hoc negotio. Te autem, qui clauē Dauid solus habes, rogatum esse velim, vt in hanc horam, sermonem rectum ac benedictantem, in os meū concedere digneris: vt ea dignè dicere valeam, quæ infructuoso silentio pertrāsire nefas esset. Te, inquam, Dñm meum Iesum Christū supplex deprecor, ne huius rei per me enarrandæ, deuotionis fructu caream, & expers sim.

Iacobus quidē Laquidonensis Ecclesiæ Episcopus, dum Nonis Martij Andriæ esset, tuque & ipse simul alloquētes, vestros vultus admiratione non minimâ repleuistis. Quod cum ego, qui simul aderam, intuitus essem, causam tantæ admirationis tanquam curiosus à vobis perquirere cœpi. Ea propter Iacobus, qui mihi intimior erat, his verbis affatus est, vt ad me conuersus diceret, Si quæ per tēpora retroacta aures meæ expertæ sunt, non ignorares, tibi quoque admirationis inesset causa. Ad quæ ego, Quæso, vt quæ audisti edisseras. Tunc ille, Mallem (inquit) hoc me narrare, & per contritionē lacerari, quàm in his cordis hilaritatem ostendere. Cum autē hæc ab eo audiuissem, auidius adorsus sum hominem: & oportunam horam quæsitans, deprecatus sum eum, dicens, O vti nam palam abs te ista citò docear. & ille, Libenter faciã, inquit: sed magni ponderis res ista est, & nō omni homini aperienda. Attamen tu diligenter & attentè audi, & ausculta. Austergius qui-

quidam tituli S. Eusebij Presbyter Cardinalis, Beneuentanaeque vr̄bis olim Archiepiscopus, dum in extremā valetudine esset positus, febr̄ique validā quāmaximē vexaretur, vt putaret sibi vicinam mortem fore, nocte superueniēte, quae finem languoris secum ferre videbatur: sic enim viribus corporis destitui visus est, vt vix crederetur eum superuicturum in crastinum. Ego verò Iacobus, qui nimio amore hominem diligebam, cum praesens essem, eiusq; minister, attentē super eum vigilabam, stebamque. Ipse verò sic in extremis laborans, non minū deo- tē quā piē, in hanc vocem prorūpens clama- bat, O Francisce. & aliquanto temporis inter- uallo facto, iterum id idem repetens clamabat, prout poterat, O Francisce. Manē autē facto cum paulusculas utcumque vires resumpsisset, omni cum mansuetudine deprecatus sum ho- minē, vt causam eiusmodi inuocationis Fran- cisci mihi innotescere dignaretur. At ille, O Ia- cobe, quem (inquit) in amore tibi praeferam? Porrò si alius interrogasset me de eiusmodi rei causā, forsitan non illam ei panderem. dicā tibi nihilominus, & tu attentē auscultabis.

Nicolaus huius nominis Pontifex Quintus, Aussereij  
Cardinalis  
narratio. anno Domini millesimo, quadringentesimo, quadragesimo nono, Beati Petri Apostoli Se- dem strenuē gubernabat. huic, dū Assisij mo- ram traheret, venit in mentem, vt beati Fran- cisci corpus oculis propriis inspiceret. Ob quā causam accersitus est ab eo dominus Petrus de Noceto. ad quem Pontifex; Vade, inquit, ad Nicolaus  
Quintus  
ante viden-  
te S. Fran-  
ciscor.  
pau. Guardianum loci huius; & meo nomine illi si- gnificabis, me omnino visitaturum esse, & vi- surū B. Francisci corpus. Iuit dominus Petrus,



& iussa sibi imposta perficiens, reuersus est ad Pontificē, dicens; Feci, beatissime Pater, quod mandasti Guardianus autem iis auditis sermonibus, nimio pauore correptus est: ita vt in magno dubitationis agone tuerit positus. Ex vnā enim parte contradicere non audebat voluntati summi Pontificis, ex alterā verò verebatur, ne tam sacrum & pretiosum pignus auferretur ab Ordine, veluti per alios prius fuerat attentatum, & ipse postmodum calumniam sustineret à ciuibus. Eapropter adiens Pontificem, modò huc, modò illuc, tamquam demens & vagus incedebat, celans animum suum. Cū autē fortiter cogeret, vt Pontificium impleret mandatum: petiit humiliter vt rem istam fratribus loci palam facere permitteret Pōtifex, qui postquam illos fuisset allocutus, ad Pontificem iterum reuersus est, dicens; Obedientiam prout Ordinis dignitas ex postulat, tibi præbere paratissimus, beatissime Pater, dūmodo vnum iuxta beneplacitum nostrum impleueris. Porrò si tui desiderij cupis esse compos, tribus tantum & non pluribus tecum assumptis, ad locū descendere necesse est. Quintā verò noctis horā adueniente, descendet tua Sanctitas: & oculis propriis conspicias, quem ardentem videre desideras. Quo audito, Nicolaus Pontifex, qui rectè & sinceriter se gerebat in negotio, letus, inquit, assentior. Gallicus verò quidam Episcopus, magnā auctoritate vir apud Pontificem, hæc audiens, Pontificem allocutus est, dicens; Nō tibi conuenit, beatissime Pater, horum fratrum assentiri voluntati, propter scandalum quod Ecclesie Dei casu aduenire posset. Ad quem summus Pontifex, Non sic erit, inquit: quoniam rectè

ac fideliter in hoc negotio pergo. Idcirco, Deo præstante, mei desiderij compotē me fore spero. His dictis, Pontifex Nicolaus elegit me Austergiū, Petrum de Noceto, & præhabitū Episcopum Gallicum. Guardianum verò cum tribus fratribus simul adesse mandavit, visitaturis ipsis; & visuris corpus B. Patris. Qui nobis iuncti, suisq; indumentis depositis, horâ cōgruenti cum aduissemus ad paratū locum, amoti sunt lapides, cum quibus ianua fabricata erat. gradusq; marmoreos diligenter aspeximus, quos & magno silentio descēdimus. Et ecce ostium ferreum habuimus obuium, in quo tres catenæ ferreæ ex ordine stabant, quæ illico fuerunt apertæ clauibus. Tunc Guardianus flexis genibus Pontificem allocutus, ait, Ingredere Pater sanctissime. qui solus ingrediēs, ante pedes sancti corporis prostratus humiliter, tā vehemēter plorabat, vt fremitus audiretur à nobis.

*Descendit  
in templū  
sub terra.  
111077.*

*Vbi corpus  
S. Franc.*

Rom. 11  
33.

omnes inuasit. Verè inuestigabiles viæ Domini: & iudicium eius ab omni humanâ cogitatione prorsus alienum. Quis vñquam audiuit, aut quis talia effatus est, vt corpus humanum per totæua mortuū super plantas proprias rectè

Isa. 59. 1.

staret? Sed non fuerat abbreviata manus Dñi. Erat autē locus ille, cernentibus nobis, instar

*Quod era  
stabat  
in pedes.*

\* Fornices, siue  
rectitudi-  
nes, & ca-  
meras.  
\* Basia &  
pes co-  
suetæ.

paruæ ecclesiæ, habens tres \* tribunas in testudine rectas. Media verò quæ ab interiori parte erecta erat, miro marmoreo tabulato fabricata videbatur. in cuius medio\* lastra marmorea posita erat: supra quam ex orientali latere corpus illud

*Oculi  
aperti in  
caelum.*

illud sacrum Francisci Seraphici erectum stabat, facie ad occasum tendens, & oculis eleuatis in caelum. manus verò coopertæ erant habitus manicis, & simul iunctæ, vt fratres ferre cõsueuerunt. Erat autem corpus ita incorruptum, quasi esset primâ die positum: videbatur enim quasi dormiens. Ex alio verò latere, alium erectum stantem vidimus, habitu B. Dominici indutũ. qui & manus simul iunctas habebat cum articulis sursum iunctis, veluti mos est orantiũ: oculi verò eius ad B. Francisci pedes intuebantur. Ambo autem ita lucidos & splẽdentes habebant oculos, vt nulla ad viuos esset differentia. Odor insuper suauissimus talis erat, vt olfactus hominum numquam talem senserit.

Cumq; Summus Pontifex à lacrymis & gemitibus abstinuisset, aliquantulum ad B. Francisci pedes iterum procubens, manu fimbriam eius vestimenti extulit: nos verò sine sotularibus pedes aspeximus. O igitur felices oculi, qui hæc videre meruerunt! O fortunati animi qui hæc meditari digni inuenti sunt! Magna enim his fuerat collata gratia, vt in seruum liquidũ aspicerent, quæ in Deum minimè videre poterat. Erat enim in pedis Sancti medio foramen, cum sanguine ita recenti, ac si tunc mucrone pes fuisset confossus: cuius quidem rei aspectu, singultus magnus omnes arripuit. Et quis cogitare posset animi motionem? animam præ deuotione liquefcere? alienari sensum? & vires totas destitui? Omnes autem ante recessum è loco, osculum dedimus sancto pedi. omnesque pariter ob odorem refocillati sumus. Pes verò alius fimbriâ habitus operiebatur: nec nobis visum fuit illum violenter arripere. Manus similiter

*Vultus  
pedis eius  
sanguine  
manans.*

liter perforatę vt pedes cernebantur, recentem <sup>Item perforata</sup> sanguinem ostendētes. O igitur memoria pro- <sup>manus cernebantur, & sanguinolenta.</sup> funda nostrę redēptionis, in seruo inuēri, quę in Redemptore prius fuerant! O igitur sacra vulnera, & dulci osculatione digna, quę post humanum lapsum in remedium data sunt! Et quis nostrum qui ibidem aderamus, ausus fuit ampliùs corpus sacrum tangere, nisi solus summus Pontifex? Ipse enim manus illius pretiosas deuotissimè osculatus est, osculumq; sacro ori dedit. A quintâ verò noctis horâ, vsque ad vndecimam illic mansimus, suauissimo odore repleti. Cũ verò à narrantibus nunciatum fuit nobis, diem propè esse, doluit quàm maximè: visum enim fuerat nobis per horam ibi fuisse.

In illis verò tribunis, sociorum B. Francisci corpora tumulata iacēt: vnusquisque enim locum suum possidet, vnus hinc, & alter hinc. ante ostium verò loci iacet corpus illius ecclēstici viri Dei, fratris Ægidij. quorũ corpora absque diminutione vllâ integra cernuntur, suauissimum odorem redolentia. Ad extremum autem cum magnâ animi fortitudine roborati, omnes inde recessimus. Cardinalis verò Austergius, quem superiùs memorauimus, quamuis in memoratâ infirmitate aliquantulũ conualuisset in die, attamen nocte sequenti nature debitũ soluit. Nec est dubitandũ, quòd tantus <sup>vera hæc</sup> homo, à quo hæc quę narrauimus, accepimus, dum ad vitę peruenisset extrema, composuisset mendaciũ, referēs illa, quę vera nõ essent. Affirmabat quoque antequã spiritũ celo redderet, <sup>Et si nota omnibus nota.</sup> quòd Nicolaus Põtifex, dũ è loco illo sacro recederet, promisisset Guardiano, & ceteris qui simul aderant, nulli mortaliũ palàm facere quę

viderat, dum ipse viueret. quamuis non parui-  
penderet illa manifesta fieri apud homines de-  
uotos & probos, qui non secundum carnē am-  
bulant. ¶ Finis epistolæ.

*Hactenus Reuerendissimus Dominus Petrus  
Radulphus Fossinianēsis Senogalliensis Episcopus.  
Fuit is aliquando à secretis Ordini patrum Con-  
uentualium instituti Seraphici. & librum suum  
dedicauit Sixto Quinto Summo Pontifici. Ille ta-  
litum rerum certissimus, nisi certa & indubitata ad  
Summū Pontificem, eiusdē etiam instituti, per scri-  
bere non potuit. Tradit etiā Petrus Radulphus Piū*

Vbi sup.  
lib 2. h.  
ser. Se-  
raph. te-  
lig.

*Quintum Pontificem optimum, aliquando man-  
dasse Ioanni Pico Camerti, Ordinis Conuentualium  
Generali, (cui ipse Petrus id tēporis à Secretis erat)  
vt curaret aperiri cryptam, in qua S. Francisci cor-  
pus, quod videre cupiebat. Fossū est, laboratum est  
inter diu, inter noctu, sed frustra. inquit, Diuino  
numine factū est, ne tantus thesaurus pateret.*

*Hec de funere sancti Patris, ex quibus facile a sti-  
mare poterit æquus iudex, eius merita & sanctita-  
tem. Hac causā viri summi Seraphicum Ordinem  
magno amore & honore prosecuti, familiari ami-  
citiā quoque sibi coniunxerunt. Frequens in vitā  
S. Francisci mentio Gregorij Noni Pont. Maximi:  
quia adiutor is Ordinis precipuus extitit & fautor.*

*Primus etiam postulante B. Francisco, ob Honorio  
Tertio datus Ordini Protector: quod præsiret  
S. Franciscus, & prænunciaret futurum illū Sum-  
mum Pontificem. Creatus Pontifex, teste Barptol.*

Barptol.  
Pisan.  
Confor.  
fuit 8.  
Bon.  
c 6 4 6.  
Indl. 7.  
hilt. Ser.  
relig.

Habitum  
Francisca-  
num Pō-  
tificis Sū-  
mi sub  
mortē in-  
dierunt  
in coe-  
pulti.

*Pisano, fuit primus qui habitum induit Ordini,  
& pluries tulit. & si qua fides Petro Radulph.  
se cum eo sepeliri mandauit. Nec is solummodo,  
verū etiam Martinus Quartus sub mortem, Mi-  
noritarum cucullo vestitus, ita sepultus fuit Peru-  
sia.*

Confor. fruct. 1. sive in Ecclesia S. Laurentij. atq. aliquantopost, visum est corpus eius (quod Pisani tradidit) integrum & incorruptum, habitu illo incorrupto. Hoc ipsum imitati sunt multi reges, quorum aliquot recenset

scr. 46. de S. Ludovic. cap. 2. Robertus à Licio Episcopus Aquinatis: Iacobus Rex Aragonia. Alfonso item Rex Aragonia. Fredericus Sicilia Rex. Robertus quoque Sicilia Rex, frater germanus S. Ludovici Episcopi Tolozatum.

Item tradit Reges.

& pleriq. alij apud Barp. Pisani Conf. fruct. octavi. Scio exhibitari eiu modi ritum ab istis scolis: sed tamen nihil antiquius fuisse maioribus nostris, quàm sub mortem, vestem monasticam petere, induere, & in eà tumulari, ne demeritis dignitatis vestibus freti videamur, comprobabo ex historicis probatis scripturis. De Manuele Comneno Imperatore Constantinopolitano hæc tradit Nicetas Choniates. Imperator morbo correptus, ad mortem ad arteriam manu, & pulsu pertentato, cum alto suspirio femur percussit, & monasticum habitum postulavit. Quo dicto, cum, ut fieri solet, tunica esset ornatus, & spiritualem vestem nigro panno, cunctis ornatus expertem, ministri nescio ubi nacti in olibus & regijs vestibus detractis, & aspero illo diuinæ vitæ indumento illi induto, in spiritualem illum conuertunt militem; & galeam thoracemq. insigniore ornatum, in cælestis Imperatoris catalogum referunt. Ea lacerna, quippe breuior, crura heroici illius corporis non tegebat: ut nemo qui id cernebat, à lacrymis sibi temperaret, humanæ imbecillitatis cogitatione, & vilitate corporis in morte, quo animus tamquam testæ inclusus coalescit. Sic igitur & vitæ & imperio cedit. Prorsus simile huic, quod de Theodoro Lascari iuniore, Imperatore commemorat Nicephorus Gregoras, his verbis; Imperator in annu aratis

Lib. 7. Ann.

Et Imperator Constantinus in fine vite vestimonia sua induit.

b s sextum

1. 1. Hist. Rom.

sexum & trigésimū agentem, molestus ac difficilis, & plane letalis morbus inuasit. qui paulo ante obitū alacriter habitum monasticum induit, & multos pecuniarum acervos suis manibus distribuit; feruentiq; corde vim lacrymarū profudit, quibus animi vulnera, in tantæ necessitatis articulo, eluebat & curabat. *Item de Andronico Iuniore, Imperatore Constantinopolitano hæc scribit, Cūm grauiſſimis doloribus cruciaretur, & mente alienaretur, atq; id malū omnem medicorū artē superare, & de vitā illius postridie actum fore videretur, iure iurando adstantes adegit, primū vt sibi monasticum cucullum induerent, priusquam vitā excessisset. Videni quo exemplo meliores ingenio, imò & principes viri, habitum monasticum petant in publico sine generis humani Pietate inducti, & aspectu gratiæ delictorum, quæ sit piis illis & religiosis. Indulgentias talibus largitas habet compendū Privilegorū Ord. Minorū, quas ascribere superſedeo.*

l. 9. hist.  
Rom.

Quod ve-  
tigosi imi-  
tantur.

Ver. ha-  
bitui tra-  
trum. &  
ver. in-  
dulgen-  
tiæ quo-  
ad. sæcu-  
lales nu-  
6.

IN CAPVT XVI.

De S. Francisci miraculis (quæ publica Ecclesia vox) post eius obitum patrat is, nunc agitur. De omnibus communiter scribit S. Bernardinus; (non dicere, nisi reseretur vir sanctus.) Vix est inuētus similis illi, qui tot miraculis in vitā, & in morte claruit, iam à statu primitiue Ecclesiæ. Multa perſcribit S. Bonauentura, non tamen omnia. Nonnulla adiciam, quæ lectorem ducere queant in summam admirationem.

Quadr.  
ter. 60.  
c. 1. art. 1

§. 2. De mortuis suscitatis Iquorum octo enumerat S. Bonauentura. Plures S. Antoninus. Multos (inquiēs) mirifice mortuos resuscitauit. quorum, etſi de pluribus non sumus incerti, numerum ad præſens non posuimus: nisi quod vndecim

Histor.  
Ter. pat.  
tit. 14. c.  
2. §. 6.

Confor.  
fruct. 33

eim esse, à viris fide dignis accepimus. *Barptol.*  
*Pisanus miranda profectò commemorat, quæ mihi*  
*digna visa transcribere ad verbum.* In Legendâ  
 fratris Bernardi de Blesâ habetur, quòd frater  
 cuiusdam militis, qui miles B. Franciscum ho-  
 spitio acceperat, cum esset in aquâ suffocatus,  
 nec eius corpus posset inueniri, B. Francisco  
 orante, & corpus repertum, & homo à mortuis  
 est resuscitatus. In ciuitate Interamnæ, vt man-  
 datum est sollempni memoriæ, tempore D. Pa-  
 pæ Nicolai Tertij, per publicum Notarium &  
 testes; per ipsum resuscitatus est quidâ nomine  
 Ioannes: super quem murus cadens ipsum ex-  
 tinxit. & tunc erat decem annorum. Cuius ca-  
 sum audiens B. Franciscus, & cum à parentibus  
 lamentabiliter plangeretur, ad domû eius ac-  
 cessit, & intrans per partem posteriorem, vt nò  
 videretur, dictum puerû mortuum accepit, ac  
 super se ponens, eum, vocato proprio nomine,  
 à mortuis reuocauit: illiq; prædixit, quòd filios  
 nûquam haberet, & sic euenit. Alium dicitur  
 suscitasse filium paruulû cuiusdam nobilis, qui  
 eum ad prandium inuitauerat. paruulus ceci-  
 derat in cacabum, & consumptis carnibus, præ-  
 ter ossa quasi nihil remanserat. hoc depictû &  
 scriptum in pluribus locis inueni. Sed de nullo  
 præfatorum dominus Bonauentura in Legen-  
 dâ maiori facit mentionem, &c. *Item commemo-*  
*rat alibi, puerum quendam in frustra (à diabolo,*  
*sive malo aliquo homine) concisum, voto materno,*  
*& multis precibus vita restitutum. Sub finē illius*  
*Conform. fruct. 39. colligit triginta mortuos à beato*  
*Francisco resuscitados, singulos indidem nomina-*  
*tim recensens. Hoc ipsum breuiter repetit Confor.*  
*fruct. 40. de quibus tamen S. Bonauentura nihil*  
 com-

S. Franc.  
vultu mor-  
tuo. et  
resuscitatus.Confor.  
fruct. 39



comemorat. Plura multo eum patrasse, quam S. Bonaventura perscripserit, facile animadvertet, cui vacauerit legere Barpt. Pisanam. singula persequi non est consilium.

7. Miraculum octanum, de oculis iniussè orbato, & à S. Francisco ei redditis, addidi ex veteribus exemplaribus Parisiensibus. Exemplar Romanum, Aloisij, Surij non habent.

10. Sextum miraculum de fratre Nouitio, ope S. Patris curato à paralyti & amentia, praedicti libri non habet, sed adscripsi ex duobus antiq. manus.

HÆC mihi visum, ad vitã S. Francisci notare, in Dei gloriam, in Sancti honorem: sub cuius umbrã latemus, cuius respectu etiam hæcenus sumus. Hæc patri, hæc debemus meritis eius & virtutibus, cõmunia vitia humano generi, supergressus. Et quidem nullã gratiã, aut ambitione hæc commentatus sum, sed bonæ tantum conscientie pretio: ut debito illi honoris officio utique defangerer. tum etiam ut adferrem, quod decet veris honoribus adficientem, vitij fugam, virtutis incrementum. Nam hominibus modo ut placeam, stultissimum existimo, qui profligare contendam (certè debeo) omnem ambitionem. Scripsi mihi, meæ salutis, non famæ. Nec enim laborandum in nomen, & gloriolam inanem scio. Introrsus mea, ut bona sint, necessum est spectent: ipsum me, ipsum Deum, mentis omnis & operis arbitrum, & satis magnum alter alteri theatrum sumus. At vero consortibus studiorum nostrorum, si aliquis è lectione fructus, congratulabor. & id quidem ex animo voueo: ut & qui seminat simul gaudeat, & qui metit. Nec de fructu spem omnem abijcio: nec omnibus omnia placitura confido. Periere tres partes etiam Dominicæ sementis: sola quarta cadens in terram bonam, fructum tulit, ecquid non  
ni si

Quam  
ob hæc  
scripta.

10.4.16.

Mat. 13.

ui si verborū meorū caduca folia pereant? sed tamen  
fauente Deo, exiguum aliquod semen sparsum in  
bono solo, comprehendet, se explicabit, fructificabitq̄.

Habes igitur à nobis, Pater beate, sermonum no-  
strorum primitias: quæ si ad virtutis, & sanctitatis  
tuæ meritū propè accesserint, beneficiū id est tuum.  
(te enim fretus hæc scripsi) sin autem longè infra  
dignitatem tuam subsisterint: quid facerem ego, nec  
oratione, nec stilo exercitatus? Tu verò nos calidius  
inspicias: ut viam paupertatis & humilitatis in-  
tissimam, certissimamq̄ ad salutem, ingressi, ala-  
criter tuo ductu percurramus. Huius rei gratiā, tibi

Ita. 66. 2. *flecto genua cordis mei, Christe Saluator: te supplex  
oro, fac nos ad quos respicias, pauperculos, & cō-  
tritos spiritu, & trementes sermones tuos. Da  
fallacis sæculi cognoscere vanitatem: & exemplo*

Greg.  
Mazian.

*Patris nostri, viri supra mundum, supra res omnes  
humanas, magno animo despicere. Infidæ sunt  
opes: sublimiumq̄; thronorum & dignitatum  
fastus, mera sunt insomnia. pulchritudo porro  
breuis, atq; fulgetri gratiæ similis. iuuentus, ni-  
hil aliud quàm temporis feruor: canities, tristis  
vitæ occasus. gloria, aer. nobilitas, vetus san-  
guis. robur, cum apris commune. satietas, pe-  
tulans. matrimonium, vinculum. liberorū co-  
pia, curæ necessariæ mater. orbitas morbus. fo-  
rum, vitiorū schola. artes, abiectorum homi-  
num angustus alienus panis. Omnia denique  
mortalibus laboriosa sunt, omnia humana me-  
tus, risus, lanugo, umbra, ros, flatus, volatus, va-  
por, insomnium, fluctus, nauis vestigium, aura:  
orbis quidā, perpetuā conuersione similia om-  
nia voluens; nunc stabilis, nunc rotans, nūc la-  
bilis, nunc fixus, anni temporibus, diebus, ho-  
stibus, laboribus, mœroribus, voluptatibus,*

Vanitas  
sæculi.

mor-

398 COMMENT. AD VIT. S. FRAN.  
morbis, calamitatibus, secundisq; rerū successi-  
bus. Nec verò sine magnâ sapientiâ, hoc à te, ò  
Christe, constitutū est, vt res omnes huius vitæ  
incertæ atque instabiles sint: nempe, vt rerum  
firmarum stabiliū mq; amore ac desiderio inar-  
descamus. Vnum hoc bonum, ac firmum est,  
nimirum sublatâ cruce, hinc pedem efferre; la-  
crymas etiam fundere, atq; ingemiscere, men-  
temq; diuinarum rerū studio mancipare; cæle-  
stium bonorū spem pectore fouere: ita se com-  
parare, vt Trinitatis splendor, qui puris animis  
impertiri solet, nobis illucescat. à stultâ insupet  
carnis contagione mentem abrumpere; imagi-  
nemq; illam, quâ diuinitus accepimus, puram  
atq; integram conseruare; vitâ ab hac vitâ alie-  
nam ducere; difficultates omnes huius vitæ,  
molestiasq; forti animo perferre: ac denique  
cum altero mundo mundū hunc commutan-  
do, ad beatarum mentium patriam feliciter  
commigrare. *Hoc tuum solius magnum donum;  
ò Christe Saluator, omnibus, sanguinis tui lytro,  
& vitæ redemptis gratiâ & fauore tuo contingat.*

A M E N.

Errata ante lectionem corrigenda.

Sub finem epistolæ ad Lectorem dele historia.  
Pag. 10, lin. 23. Euglubium, lege Eugubium. 90, 30. pro-  
ponderaret. præponderaret. 179, 19. Humilitatem, eruit. hu-  
militate meruit. 212, lin. vlt. vos. vos. 224, 11. Xere, Xerxe.  
235, 14. Temistlitar. Temistlitan. 241, 27. est. sunt. 245, lin.  
penul. Scoti non. Scotinon. 248, lin. penul. dicentes. discen-  
tes. 276, 26. præueniat. perueniat. 286, lin. antepenult. in  
ortium. dele, in. 310, lin. vlt. cærum, cætus. & collegium,  
collegia. 331, 14. led. iudicio, iudicio.

APPROBATIONES.

Opus hoc pio labore R. P. Henrici Sedulij Ordinis Minorum concinnatum ad Beatisſ. patris Franciſci vitam illuſtrandam, quia Eccleſie Dei ad orthodoxæ fidei & bonorum morum promotionem plurimum conducit, ideo illud prælo dignum iudicavi. Mechl. Anno 1596. die triceſimo Decembris.

Laurentius Nagelmaker, Archidiaconus  
Mechlinienſis, librorum cenſor.

VITA Sanctiſſimi Patris Franciſci, à ſancto Bonaventura piè conſcripta, R. P. Henrici Sedulij ope, & opera, à pluribus mendis zepurgata, & erudiſſimo commentario illuſtrata, vnà cum elogiis variorum adiunctis, nihil continet Catholicæ religioni cõtrarium, piis moribus noxiũ; quinimmo opus eſt pietate præclarum, digniſſimis monitiſ eximium, vt ab omnibus lægatur, & relegatur, dignum.

Petrus Bernartius S. Theolog. Licentiaſus, & Ec-  
cleſie Metropolit. Mechlinien. Canonicus.

Vt pium hoc opus, ſilenti industria R. P. Henrici Sedulij, verbi Divini Concionatoris eximij, necnon Prouincia noſtra Patris Diſſinctoris, cui obedientia ſuſceptum & abſolutum, accedente etiam Cenſorum comprobatione, ſuo fructu non careat, rogò & iuſſo edatur in lucem, in multorum edificatiõnem.

F. Gerardus Iaccanus, Prouinciæ Germaniæ Inferioris,  
Ordinis Minorum, Regularis obſeruantiz Mihiſtes  
Prouincialis.

*Sortis 333 Paderb.*


SVMMA PRIVILEGII.


REGIÆ Maiestatis priuilegio cautum est, ne quis præter Ioannem Moretum Typographum Antuerpiensem, S. Bonaventura de Vita S. Franciſci librum à R. P. Henrico Sedulio Commentario illuſtratum intra ſexennium imprimat, aut alibi impreſſum in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalẽmve habeat: qui ſecũs faxit, cõfiſcatione librorũ, aliaque graui pœna mulctabitur, vt latius patet in litteris datis Bruxellæ IV. Ianuarij. M. D. XC VII.

Signat.

*S. de Grimaldi.*
















2333

Th  
2333